COLLECTIO

LATINORVM SCRIPTORVM

CVM NOTIS.

Si prega il sig. Associato di leggere l' avviso degli Editori posto in fronte al presente volume.

TAVRINI
MDCCCXXII
PER VIDVAM POMBA ET FILIOS.

tus.
mus
ens
sta
orum
contumeli et 1 e 6, 14. insolenter inse , 45. A. 27. cf. *Intoleranter*.

Insolentia, ὕβρις C. 1, 32

Insolitus ad laborem exercitus, non adsuetus labori C. 3, 85. insolita constructio

Instabilis motus tribuitur rei, quae non diu eadem manet, sed omnibus horae momentis mutatur 4, 23

Instar, similitudo, praesertim ratione magnitudinis et multitudinis. Hinc A. 19. *instar trium cohortium*, numerus, tres cohortes sequans, numerus tantus, quantus est trium fere cohortium, h. e. tres circiter cohortes.

Instituere remiges ex aliquo loco, arcessere, comparare 3, 9. *instituere aciem*, instruere 3, 24. 4, 14. Sic Af. 37. *partem copiarum instituit*, instruxit, ut acies esset. *machinationem* 2, 30. *pontem* 4, 18. C. 1, 54. *naves* 5, 11. *turres, testudines, munitiones* 5, 52. *fossas* C. 3, 46. *officinas ferrarias* Af. 20. *ut instituerat*,

Inter (per) *tredecim annos* 1 36. ut Liv. 1, 10. *inter tot annos*, in decursu tot annorum. *Inter manus* C. 2, 2

Intercidere, *iugum valle a castris intercisum*, divisum 8, 14. *colles vallibus intercisi*, divisi, disiuncti A. 72. cf. ad A. 73

Intercipere pila, excipere, arripere 2, 27

Intercludi re frumentaria, arceri ab iis locis, unde frumentum peti poterat 1, 23

Interdicere alicui re aliqua 1, 46. *interdicere aqua et igni*, in exsilium mittere 6, 44. Sed 5, 58. *interdicere* est iubere, edicere

Interiicere, interponere, immiscere 7, 36. *interiicere sentes arboribus* 2, 17

Interior, vid. ad 2, 2. cf. 5, 12. 13. 14. *interiores*, qui intra moenia sunt 7, 82

Interire de re inanima, *de navibus* C. 1, 58. C. 3, 27. A. 21. *de usu tormentorum* C. 2, 16

Interitio, interitus, caedes H. 24

Intermittere tempus a labore (vacuum) C. 1, 32. cf. *Ad. intermittunt subeuntes*, desinunt accedere, [Greek illegible] 2, 25. *flumen intermittit*, vacuum spatium relinquit, quod aqua non offusum est 1, 38. *inter-*

Frustra mittere telum, quod non ferit adversarium 3, 4

Fugitivus sc. miles 1, 23

Fundere, vincere proelio, efficere, ut diffugiant 1, 44. *fundere glandes*, *schmelzen*, *giessen* Af. 20

Funditor 2, 7

Fusilis argilla 5, 43

Fustuarium H. 27

G.

Gaesum 3, 4

Galea. Cf. *Induere*.

Galeari, galea indui Af. 12

Gemella legio C. 3, 4

Generatim, per gentes s. nationes, singulae gentes et nationes singulatim 1, 51. ubi in metaphr. gr. est κατὰ φυλάς. Cf. 7, 19. et Homer. Iliad. 2. 362. ubi κατὰ φῦλα et κατὰ φρήτρας est *generatim*, singulos populos et singulas gentes singulatim. Explicatur hoc 7, 28. aliis verbis, *cuique civitati sua pars castrorum obvenerat*; erant ergo generatim distributi per castra — Per singula genera hominum et rerum, C. 3, 32. *Gen. gratias agere*, singulis auditorum generibus C. 2, 21: nam deinceps enumeran-

gnitudinem demonstrant 1
graviter de aliquo iudicar
2, 32. *graviter decernere*
asperitate sententiae C.

Grumus, collis H. 8. Caesar
reum tumulum adpellare
Festus: *Grumus terrae coll*
minor tumulo: quae verba l
alterum H. 24. illustrant.

H.

Habeo coactum 1, 15. *habeo*
demtum 1, 18. *habeo ne*
hoc facere Af. 29. *habeo*
aliquo, possum eo iter face
3, 11. contendo eo C. 1
C. 3, 106. *non habuit* (put
dubium H. 29. *res habet cel*
et instabilem motum, mu
celerrime 4, 23. cf. *Process*

Harpago 7, 81. C. 1, 57. H
contus, unco ferreo praefi
auctore Livio 30, 10. cf.
34. Inserviunt harpagones n
diruendis, et navibus attra
dis. Videntur quodammodo
non usu, at fabrica a *manu*
rea differre; etsi mihi qui
non constat de discrimine.
nus H. N. 9, 57 extr. et C
B. C. 1, 57. utrumque ve

PLAVTI COMOEDIAE

TOM. I.

M. ATTI
PLAVTI
COMOEDIAE
QVAE EXSTANT

EX RECENSIONE

F. H. BOTHE

TOMVS PRIMVS

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS VIDVAE POMBA ET FILIORVM
ANNO MDCCCXXII

TYPOGRAPHVS TAVRINENSIS

L. S.

Ardeatium nobiles quasdam picturas commemorat C. Plinius Secundus, quae in summa vetustate, servato colorum nitore, recentes adhuc viderentur. Idem dici posse arbitror

de antiquorum ingeniis, quorum leporem et venustatem nulla aetas extinxit. Quod nonnulli naturae et arti tribuunt; ego incorrupto eorum de pulchro iudicio, ex quo fieret, ut nihil nisi sincerum probarent, eam autem unicuique rei formam inderent, quae omnium esset aptissima. Expressius id in graecis, nec obscure tamen in romanis scriptoribus apparet, qui eamdem, quam priores viam instituerunt. Et huius quidem imitationis exempla in latinis comoediis nunc tibi iuvat ostendere, candide Lector, vel potius in Attio Plauto totius latinae comoediae parente, qui ut ingenii festivitate aequalium studia tenuit, sic artem et industriam aluit posterorum. Itaque ut suus in Italia literis honos rediit, cum eisdem coepit reviviscere, eiusque adeo fabulae una cum Teren-

tianis sub finem Saeculi XV, Romae primum in Pontificum aedibus, Pomponii Leti opera editae sunt, uti ex Sabellici narratione accepimus, mox vero Ferrariae per Herculem Sfortiam, quibus visis, divina illa Ariosti vis ad scribendas comoedias se convertit. Per idem ferme tempus Poenulus italice redditus, Leonis magnificentiam exhilaravit, et Plautinae Musae, repressa passim Atellana mimorum licentia, cum Italis hominibus in gratiam redierunt. Ac nescio, an alius plures, quam Plautus imitatores habuerit. Nam, ut Leonardum Brunium, Leonem Albertium, aliosque ex antiquioribus omittam, quorum studium in Plauto positum ipse latinus stilus ostendit, nemo paullo elegantior post Ariostum fuit, quin aliquid ex comica illa copia et

vi decerpere conaretur, ex quo non pauca argute et celeriter dicta in nostrum sermonem fluxerunt. Nec solum dictiones, sed et nodos et argumenta fabularum nostri aliique ab eodem sumserunt; et incredibile dictu est, quam saepe et quam diverso ornatu Menaechmi, Trinumnus, Aulularia, Mostellaria in scenam prodierint, ut mirum prorsus videatur, graeca illa Menandri, Philemonis, Diphili, Apollodori, unde sua duxerat Plautus, in tanta temporum longinquitate et morum mutatione, nihil pristinae venustatis amisisse. Sed ex recentioribus, qui Vmbrum Poëtam melius expresserunt, laudare in primis libet Molierium et Goldonium, quorum alter latinos sales omnino suos fecit, alter populares characteres ad illius exemplum feliciter effinxit.

Eo autem libentius lepidissimum Comicum meis typis edendum curavi, quod nihil aptius eius lectione putarem ad excitandam paene intermortuam apud nos scenae hilaritatem. Quis non miretur, quum videat in ea regione, quae iocis ac dicacitate scriptorum olim celebrabatur, abdicato nunc omni Attico risu, lacrymosa poëmata tantummodo esse in honore? Quis comoediam ferat, in qua odiosissimae eae res agantur, quas vix tragoedia admittat? Itane homines ad moerorem esse conversos, ut voluptatem in luctu quaerant! Adeo nimirum potuit alienarum rerum admiratio et opinionum perversitas! Sic, adolescentulis nobis, Ossiani studium omnem paene poësin apud nos corrupit, quum homines sub nitidis Italiae Solibus nati, hyperboream illam moestitiam

et inopem naturam in scribendo sequerentur. Sic paullo ante hispaniensis color et Gallorum acumina nativum italicae eloquentiae candorem infecerant. Quamquam multo infelicior videtur huiusmodi scenae conversio. Nam praeterquam quod comoedia effigies est domestici moris et consuetudinis, nec aliunde peti debuit, quid tam iniquum, hac praesertim aetate, quam comicam festivitatem nobis invidere? Solebant Romani, atroci ac difficili reipublicae tempore, aediliciis muneribus plurimoque ludorum apparatu multitudinem a seriis cogitationibus avocare; nos praeteritis calamitatibus defessi, quum vix a civilibus studiis quieverimus, innocuis Thaliae lusibus carebimus?

Sed enim, quasi ea, quae vidimus, aliam scriptoribus mentem indiderint,

eosdem passim sic audias disserere: iocos, quibus proavi delectabantur, tandem esse mittendos, aliud quippe severiorem hanc aetatem poscere; comoediam aut plane otiosam esse, aut tamquam philosopham civium peccata redarguere; id autem efficere, si non tam ludere, quam serio agere videatur. Quod si graecam placet laudare, quin, inquiunt, veteris Atticae speciem exprimimus, quae ingeniosissimis fictionibus vera atque utilia doceret, factiosos autem, et improbos, qui tunc essent in civitate, facunda libertate notaret? Eam et grandem et maxime civili populo dignam fuisse, quam postmodum, perditis iam Atheniensium moribus, deterior altera sine choro et lacertis exceperit. Menandrum enim, urbanum scurram ex Epicuri disciplina, quum ad

Aristophaneos illos spiritus nequiret assurgere, artem corrupisse, adhibuisseque in scena primum parasitos et fidicinas, quarum blanditias spectatoribus exponeret. Hunc praecipue imitatos esse Latinos poëtas, quibus videlicet omnis comicus lusus in potentiorum libidinem, praeter quam in triumphis, esset interdictus. Naevii namque exemplo, cuius, ut nonnulli interpretantur, columnatum os viderat, quod Scipionem maledicto laesisset, deterritum Plautum ad novam comoediam se convertisse, quemadmodum ipse habet in Militis prologo. A Latinis porro hanc nostram multo flagitiosiorem fluxisse; in eo autem vel maxime recentiores fuisse reprehendendos, quod nihil medium inter tragoediam et comoediam esse putarent. Atqui hilarodiam et magodiam

utriusque artis participes, Graeci ipsi noverunt, et tragicocomoediam, veluti cinnum ambarum, fabulam a se conscriptam nominat Plautus. Grave hoc genus a populo vehementer expeti, qui, neque fictis heroum casibus movetur, et verissimam privatae vitae picturam, quasi in tabula amat spectare.

Haec atque alia huiusmodi saepe memini audire, simul etiam mirari, qui iidem possent iucunditatem e comoedia excludere, et Aristophanem laudare. Quis enim tantam facetiarum vim effudit? Quis illo fuit in cavillando ridendoque ingeniosior? Nam quum duplex iocandi genus sit, alterum in fallacia et astu quodam sermonis, alterum in verborum aculeis positum, in utroque sic excelluit, ut Cratini aliorumque in pungendo

felicitatem longe superaret. Quot tamen improbe et obscoene dicta ab eo velis abesse! Quae quidem legenti incredibile videri debet, Aristophanis vitia tam severe in Menandro, cuius pulcherrimae gravissimaeque sententiae in Graecia ferebantur, potuisse redargui. Sed, hisce nunc omissis, illud potius a nostris quaeram, cur, quum caetera probent in Aristophane, summam eiusdem in faciendis versibus diligentiam posthabendam putent. Nec enim credo aliquem vel leviter hasce literas attigisse, quin eorum venustatem statim persentiat. Quantus in illius dimetris et anapaesticis nitor, quanta metri observantia! Cuius quidem elegantiae arbiter Horatius, de romanorum comicorum in metiendis numeris negligentia non semel querebatur. Quid igitur causae

est, ut Aristophanis laudatores hanc eius virtutem praetermittant, quum tamen metrum praecipuam esse comoediae partem diserte tradat Aristoteles, idemque scribat iambos usurpari antiquitus coeptos fuisse, quod ludicrae sententiae aptiores viderentur? At non solum summus versuum artifex Aristophanes fuit, sed Atticae urbanitatis exemplar nitidissimum. Quem si minus in metrica ratione, at saltem in vernacula sermonis pulchritudine nostri fuissent imitati! Tunc enim vel commodam illius brevitatem referrent, vel gratam Sophronis Siculi simplicitatem, quem Mimos suos soluta oratione sic perhibent scripsisse, ut quum a recto loquendi usu discederet, id non inscientia, sed suavitatis causa facere videretur. Ad eumdem ferme modum

Terentium probabat Wielandus, qui tametsi versum non agnosceret, eamdem tamen voluptatem ex eius lectione se aiebat percipere, quam ex politissima et numerosissima oratione quisquam posset haurire.

Sed non tam, opinor, ingenii tarditas, quam falsa quaedam de imitatione opinio multos deterruit à comicis versibus scribendis. Se enim existimant melius veritati servire, si nihil a loquendi consuetudine recedant. Quasi vero omnem omnino artem ab imitatione velimus abesse. Quod falsum esse demonstrant pictura et sculptura, in quibus non tam similitudo laudatur, quam disciplina et iter ingenii. Quis ûnquam Graecorum in Lysippi signo vel in Apellea tabula Philippi filium se videre arbitratus est, aut quis putavit Troianam Hecubam

ut Euripideam esse conquestam? Sed delectabat eos eximia operum pulchritudo, delectabat carmen ad flétum et miserationem compositum, ut Romanos Augusti aetate aptus in Pylade motus et incessus, quum Aiacem aut Agamemnonem saltaret. Nec enim imitandi studium, sed artem probamus, ut nec ferenda imitatio sit, si rudis et nimia; quas contra res inviti adspicimus, earum simulacra propter artificum praestantiam cum voluptate spectemus. Quid aliud in veteribus admirabilitatem facit, nisi ars, eo perfectior, quo occultior, quod quum docte scriberent, naturam, non studium sequi viderentur? Nam sollerter et cum virtute aliquid tractare, simul conatum obtegere, ea demum summa laus est. Haec vero non magis in Phidia et Praxitele, quam

in Homero aliisque poëtis enituit. Deme iam Anacreonti versus, deme Catullo, multum sane detrahes venustatis, nihil addes veritati. Idem possem de Ariosto, Molierio et Goldonio confirmare, quem tamen in multiplici ac nimis celeri fabularum inventione persaepe somnus oppressit. Sed quid ego plura, ut probem metri elegantiam comoediae nihil officere, eosque comicos esse praestantissimos, qui excultis auribus placeant, neque rei difficultatem per ignaviam praetereant? Quem locum fere non attigissem, nisi aegre admodum ferrem, italicam comoediam, non modo versuum, sed omni stili ornatu exutam, sordide nunc adeo ac negligenter tractari.

At multo magis errant recentiores, quum comoediam, uti severam et

querulam morum castigatricem conantur traducere. Quid alienius fingi potuit ab ipsius origine, sive illa Doriensibus et Megarensibus, quod ferme placuit Aristoteli, sive Atticis debeatur? Eam namque inter sacra Liberi patris, ex procacibus iocis ortam demonstrant, antiquitus vero trygodiam a vindemiis dictam fuisse scribit Athenaeus. Fingamus iam animo agrestiorem iuvenum manum, quae lascivientem otio multitudinem circumeat; ex his alii ad movendum risum diverbia faciant inter se, alii gestus agant, et ridicularia in praetereuntes iaciant; et initia artis habebimus, quae a Sicula Epicharmi et Phormidis mordacitate primum nobilitata, summam postea ab Atheniensibus expolitionem accepit. Triplicem porro eius aetatem, et quasi

characterem distinguunt, et antiquiorem, misso a Cratete lacessendi more, innocuam aiunt fuisse, maledicam mox, quum Eupolis et Aristophanes in scena regnarent; novam denique, cui in Cocalo postremus praeiverat, castigatiorem ac primae simillimam a Menandro prodiisse. An vero per hasce vices ad severitatem deflexit? Imo risus, pro vario auctorum ingenio, urbanus, solutus et Satyricam petulantiam referens, eiusdem perpetuo comes fuit. Et lenissimum quidem nova excoluit, utpote quae melius edocta, civibus parceret, vitia rideret. Id patet ex eodem Aristotele, qui, extincta iam vetere comoedia, Macedonicis temporibus scribens, artis naturam in ridiculo constituit. Nec facit quod narrant ex G. Vossio de hilarodia et magodia Graecorum. Do-

ctum namque virum praepropera, puto, Athenaei lectio fefellit, unde potius arguas hilarodos et magodos, vicos obeuntes, et in beatiorum conviviis fortasse adhibitos, ludiones et pantomimos, non iustae fabulae actores fuisse. Nobilis ipsius locus est L. XIV, 13, 14. Ibi « hilarodus, inquit, « molliter agit, candida utitur veste, « et coronam auream gestat. Lyram ei « pulsat mas aut femina. Qui vero ma- « godus dicitur, is tympana habet et « cymbala, muliebri veste induitur, « et saltat obscoene; modo mulieris, « modo lenonis partes agit, interdum « etiam adolescentis comissatum ad « amicam euntis ». Subdit porro, ex Aristoxeno hilarodiam, quae gravior, ad tragoediam, magodiam ad comoediam accessisse, vel ut mavult nuperrimus Athenaei editor, iocose eam-

dem repraesentasse; nomen autem magodi ex eo ductum, quod pharmacorum vim declararet, et magica quaedam proferret. Ex quibus verbis nemo procul dubio conficiat ab huiusmodi histrionibus legitimam et seriam actionem fuisse exspectandam, si ea praesertim conferat, quae de Dicelistis et Autocabdalis, sive poëtis ex tempore canentibus, ab eodem scriptore continuato sermone disseruntur. Quod si tamen libet suspicari, aliquam ludicram actionem, illepidam et tragicis affectibus permixtam, apud Graecos floruisse, quod comoediam vocarent, nae aliud argumentum ex erudita antiquitate erit afferendum. Parum certe quadrat Plautina Amphitruonis appellatio, quem tragicocomicum idcirco dixit poëta, quod licentius, atque ad Satyricum morem,

Deos cum servis loquentes ludentesque induceret.

Cur vero lacrymosam comoediam scripsissent? An ut tragoediam aemularetur? At tragoedia strenuorum erat imitatio, comoedia deteriorum; illa graves fortunae ictus, haec lusus repraesentabat; prior ab Iliade et Odyssea, posterior ab Homerico Margitis poëmate colores ducebat. Vt igitur poëticis numeris, musicis modis, omnique demum scenico apparatu hae artes differebant inter se, sic etiam fine et effectibus. Tragici poëtae officium erat, miserationem et terrorem movendo ad omnem virilem disciplinam animos instituere; pulchre comicus munere fungebatur, si incommodos mores, urbis atque urbanitatis vitia ridicule, et qua par erat veritate, depingeret. Magnam namque

vim in ridiculo esse putabant; complura quippe, ut habet Tullius, risu dissolvi, quae vix multa contentione frangantur. Et quia sedes et quasi regio ridiculi in aliqua turpitudine est, poëtam idcirco laudabant, si eam ageret non turpiter. Mediocres ad id personas adhibebant, ut si quis levis, amator, ineptus, avarus, is sub alieno nomine comice plectendus exhiberetur. Quum autem hominum vitia vel statim se prodant, vel per varios incertosque eventus melius patescant, hinc comoediam aliam statariam, aliam motoriam fecerunt, quarum altera quietiores, altera turbulentiores casus reciperet, sic tamen, ut parvi semper fortunae impetus essent, nihilque dirum et atrox oculis subiiceretur. Quocirca Terentius ex Latinis, Molierius inter

Gallos laudatur, quorum neuter ad tragoediam ambitiose transiliit, posterior autem in Mysanthropo vel maxime, quod non Timonem illum Lucianeum expresserit, sed virum recti studiosum, nec inhumanum, qui aliquo mentis vitio aequalium congressus devitaret. Nam qui belle scelestum ludas, aut calamitosum? Et multus quidem essem, si subtiliorem hac in re veterum rationem persequi vellem. Etenim, quum furaces servos, falsos parasitos, flagitiosos senes facerent, id praesertim cavebant, ne odio et misericordia magis, quam risu digni viderentur. Sic in avaro, cui Davus per fraudem aurum surripiat, non tam servi improbitatem repraesentabant, quam suspiciosam senis naturam astu superatam, ut ex eo veluti calliditatis conflictu iocandi

materiam colligerent. Adde, servos Plautinos et Terentianos, dolos ut plurimum aggredi, quo subductis patri nummis, hero adolescenti deposita in re opem ferant. Id certe parum intelligunt qui facinorosos ob oculos ponunt, nullius plane leporis, et ad supplicium rapiendos. Quanto melius ille, qui non plus nequitiae personis attribuat, quam ad hilaritatem opus sit, nodi vero solutionem petat ab eventu omnium iucundissimo, ut si sollers a sollertiore vincatur, cupidus a spe, amator ab amoribus excidat! Recte namque Cl. Schlegelius, si gravior poena flagitium sequatur, omnis continuo perit comicus effectus. At nostri, nescio quomodo, indignabundam Iuvenalis, quam hilarem Horatii indolem omnino malunt imitari, a quo tamen,

et cavillandi genus, et verissimam hominum scientiam, perinde atque a Socraticorum libris possent haurire; adeo versutum se praebet in notanda opinionum repugnantia, et sapientum levitate. Quod mirum, quantum risui comico inserviat. Fac nempe philosophum idem velle ac nolle, fac amare, aliaque facere ut insanum, tunc hominem tamquam in culpa deprehensum salibus obruis, ridendumque caveae proponis. Id quum vidisset Alferius, nobiliorem aliquam comoediam excogitavit, in qua notissimos in historia viros, tunicatos ostenderet, multa arcano molientes, quae ab eorum moribus viderentur aliena. Atque utinam diutius vixisset, vel festivior a natura fuisset! tunc enim exemplo suo demonstravisset quod in Convivio Platonis Socrates contendit,

summum tragicum facile in comoedia excellere. Alferii specimen Sographiana Hortensia consecuta est, magno doctorum studio excepta, credo, ob latinae dictionis elegantiam, et scriptoris consilium, qui novum iter Italorum ingeniis muniret.

Verum non solum in mediocribus characteribus, qui subtilius amant tractari veteres praestiterunt, sed etiam in expressioribus, quales habet Theophrastus. Sunt autem quaedam vitia ad describendum festiva, quum modum excedunt. Vt enim invicta illa Sophoclei Philoctetis constantia, quam, non corporis dolor, non Lemnia solitudo, non Vlyxeae artes possunt subigere, nos magnopere delectat, sic etiam insignis quaedam fatuitas ac rusticitas nullis sermonibus delinienda, si ita depingitur,

ut in omnibus vis naturae cernatur. In his porro adumbrandis tanta fuit antiquorum felicitas, ut nemo ferme intempestivus, truculentus, mendax, gloriosus, in scenam veniat, quin vultu habituque graecam vel latinam prodat originem. Itaque ad eumdem modum, quo Deorum ac Dearum imagines effinxerant, certas comicas personas nobis reliquerunt, quibus uteremur. Ex quo iam coniecturam facere licet de nova comoedia, unde illae sumtae sunt, nec non de praecipuo ipsius auctore Menandro, cui video nuperrimum scriptorem obtrectare voluisse. At aequior profecto fuisset, si Graecorum de summo poëta sententias, et Plutarchi reliquias de Aristophane et Menandro cognitas habuisset. Negat is omnino, Menandrum, cuius sales cum ipsa

Venere e mari ait emersisse, cum priore posse conferri. « Cuius rei gra-« tia, inquit, vir recte institutus in « theatrum venit, nisi propter Me-« nandrum? Cui in conviviis iustius « mensa cedit, locumque Bacchus « dat? Iam vero sicuti pictores, de-« fessis iam oculis, ad floridos et « virides colores se convertunt, sic « philosophiis continentium medita-« tionum requies Menander est, prato « similis, qui aura molliter perfla-« tus, cogitantis animum excipiat ». Quae verba e Plutarcho liberius reddidi, quo de ubere ac propemodum iuvenili ipsius copia tute, Lector, queas existimare. Atque hinc intelligitur cur Menandri fabulas a puellis legi dicat Ovidius, eumque caeteris comicis praetulerint Quintilianus et Dio Chrysostomus. Nec mirum, quum

multiplicem doctrinam a Theophrasto acceperit, ac fuerit in primis honoratus et nobilis, Regumque familiaritatibus floruerit. At Epicureus fuit. An si Stoicus comoediam scripsisset? Quis vero id docuit? An Laërtius, a quo nusquam in Epicuro nominatur, an Strabo, qui utrumque Samum insulam ait incoluisse? An id demum ex uno tantum epigrammate arguitur, quum tot versus poëtae supersint, et viriles et fortes, ob eamque rem pro Euripideis antiquitus usurpati? Quamquam, si Epicurum in hortis audivisset, communem ipsius cum Molierio fortunam mirarer, quem Atheniensis philosophi dogmata a Gassendio summae innocentiae viro, iuvenem scimus excepisse. Verius illud fortasse obiicitur, quod meretricias velitationes

exhibuerit, tametsi hoc modice et verecunde fecisse ex Terentio apparet. At hoc ipsum genti et Seculo dandum est, nisi potius Graecos laudamus, qui amores in abiectis personis idcirco ponerent, quod ne per lusum quidem, in ingenuis et matronis ferendum esse putarent.

Scio subtristem recentiorum comoediam utilitatis specie, Atticae a plerisque praeferri; in quo tamen vereor ne scriptorum inertiae, sapientiae nomen imponant. Facilius quippe est declamatorie et tragice, quam facete scribere, et citius lacrymas, quam scitum risum elicias. Quis nescit multitudinem ingeniosa actione parum affici, contra miserabili spectaculo omnes moveri, quod in aliena infelicitate quisque suam pertimescat? Iure propterea graecus

Antiphanes tragoediam felix poëma prae comoedia vocabat. Sed in eo praecipue latet error, quod in seriis fabulis tantam vim ad mores corrigendos credunt inesse. Quid enim? An si eiulatus actor ediderit, et comploratio fiat a populo, melior evadet spectator? Leniorne e scena domum redibat Alexander ille Pheraeus, tyrannorum immanissimus, quem in theatro aegre fletum perhibent repressisse? Absurdum sane est fictis rerum narrationibus hanc virtutem tribuere, et quum quotidie videamus diuturno malorum adspectu mortales fieri deteriores, atrocia describere, ut eosdem et bonos et humanos reddamus. Haud ita veteres, qui pro diverso scriptionis genere, sententiarum sublimitatem a tragico, politissimam artem a co-

mico requirebant, sive is populares opiniones vellet emendare, sive quaedam passim carperet, quae nulla lex coërceret. Latus hic campus fuit, per quem summi poëtae ad hanc diem excurrerent, nec aliunde sibi laudem quaesiverunt Molierius et Goldonius. Hos equidem nostros velim aemulari, ne scilicet uti Parmeniscus Metapontinus ab Athenaeo memoratus, ridendi facultatem amittamus, quam plurimi se facere significabant Athenienses, institutis publice in Herculis templo sacerdotibus, qui ridicula dicerent, quae deinde cum caeteris communicarent.

Veniam a te peto, candide Lector, si longiuscula praefatione te diutius detinui. En tibi Plautum, nitidissimis formis descriptum, quo a te gratiam ineam. In eo evulgando usus

sum recensione et notis, critici cum paucis eximii, F. H. Bothe, cuius curis primum prodiit Berolini, anno huius Seculi viii. Ne vero aliquid meae diligentiae deesset, compluribus operarum mendis penitus sublatis, animadversiones textui subieci, et quae postea editor severius emendavit, ex ipsius mente religiose exhibui. His addidi lectiones Gronovianas una cum indice locupletissimo, quos meos labores, tui et literarum causa a me libenter susceptos, tibi etiam atque etiam cupio approbare.

Dabam Augustae Taurinorum Nonis Decembr. An. MDCCCXXII.

FRID. HENR. BOTHE

PRAEFATIO

Prodit tandem aliquando nostra fabularum Plautinarum recensio, decimum illa quidem, imo undecimum, in annum pressa, nec tamen fortasse, quae est humanarum rerum imbecillitas, tam exculta, tamque vitiis mendisque quibus foedissimis etiam libri scatebant, perpurgata, quam vel fama poëtae postulet, vel temporis insumti promittere videatur longitudo. Sed enim quos maxime hanc Spartam regere semper exoptaveram, eos minime id curare, quum intellexissem, alios vero, de quibus moderatior spes esset orbi literato, suae operae nimis quam largos, satagere viderem aliquamdiu ac festinare, ne quis palmam praeriperet scilicet, mox etiam ipsos consulere, ampliare, negligere denique et alia omnia potius quam Plautum tractare: quidni ego quoque manum commodarem, ut aliquantillum certe elegantissima haec promoverentur studia, praesertim

quum et promissis standum esset, nec labores me mei, interim suscepti, nimis avium ab hisce Romanae Musae facetiis tulissent?

Feci igitur ego, quod potui, sedulo; non quo magnam de me haberem ipse opinionem, sed ut aliquid saltem fieret, ingeniaque feliciora ut a me strata via mox latius grassarentur. Nam prorsus emaculare Plautum quis cogitet vel solus vel homo privatus, quum ad id efficiendum eidem opus sit non fervore solum ingenii Acidaliano, eruditioneque Gruteriana aut Gronoviana; verum etiam multo magis fortuna illa, qua usus olim Camerarius, in inveniendis optimae fidei codicibus, vel, ea deficiente, opibus haud vulgaribus ad conquirendum sumtu nimio, industria indefessa, longinquis denique peregrinationibus, quidquid ubique vel innotuit, vel etiamnum situ obductum latet, emendandi Comici subsidiorum?

Et de his quidem, quae contigerint, quae frustra anquisita fuerint, latius ibi exponam, ubi potero commodius, tomo operis quarto; nunc in universum monere sat habeo, neque illo auxilio, quod valentissimum quidem ostentant libri scripti, prorsus destitutum provinciam hanc suscepisse, nec, si quid lucis adferre posse viderentur Sarsinati scriptores vel veteres vel recentiores, lectionis multae continuaeque, ac parum saepe fructuosae, fugere taedium, quam opus, quod molirer, quam fieri posset optime, procurare me maluisse.

Idem autem nunc in edendo Plauto ac nuper in

Terentio consilium sumus secuti: ut, ablegata tandem, quo digna est, librariorum ignorantia, tum verba, si quae vulgatis apparerent magis esse genuina, poëtae restitueremus; tum autem orationes hic vel illic personis aptius divideremus; tum metra saepissime corrupta ad usitatas in eo genere revocaremus formulas, sperantes (praefiscini dixerim), fore, ut tantum sibi de nobis gratularetur Plautus, quantum de Bentleio Terentius.

Elocuti sumus, quid quomodo effectum dare fuerit animus (in capiundis autem rerum consiliis summa affectare non licet modo, sed etiam necessarium est); caeterum quid praestiterimus, quid deliquerimus, et utrumne haec opera nostra penitus perdita sit habenda, necne: rei periti, praesertim ii, qui et ipsi hoc saxum volverint, ut rectissime, ita etiam humanissime iudicabunt. Miscelliones si quid dicent, indictum ego existimabo, nec tanti, quo refellendo bonam chartam commaculem.

Dabam Berolini, mense Octobri 1808.

EIVSDEM FRID. HENR. BOTHE

PRAEFATIO ALTERA

ADNOTATIONIBVS PRAEMISSA

Est versus παρœμιώδης apud Aristotelem Rhetoricorum libri secundi capite 23:

Ἄπιστ' ἀληθῆ πολλὰ συμβαίνει βροτοῖς.

Id verum esse, in me ipso expertus sum. Nam quum haud alia instructus metrorum cognitione, quam ea, quae adhuc a grammaticis quum veteribus tum recentioribus tradita esset, coepissem emendare Plautum, nec melius eam me rem gerere intellexissem, quam eamdem gesserunt viri quidam ceteroquin eruditissimi: subito animum percussit, alia fortasse via magis profici posse, nec tam cognitas in hoc genere formas huic Comico inculcandas esse, quam novas ex eo eruendas, morbique medicinam, quo miserrime laboraret, non aliunde petendam, quam ab ipso aegro. In hoc non aberrare me a vero, facile imbibi, quum meminissem, etiam in Graecorum poëtis dra-

maticis non pauca me olim reperire metra, de quibus apud grammaticos quidem nulla extaret mentio, nec tamen propterea minus certum esset, ipsorum scriptorum auctoritatibus in ordinem esse recipienda. Itaque et septem comoedias illas, quae typis descriptae publice prostabant, denuo perlegere coepi, et reliquas, quae iam edendae erant, aliis, ut ita dicam, oculis adspicere, si forte, deposita quacumque opinione praeiudicata, in mysteria haec metrica penetrarem et rem pene desperatam tandem ad felicem finem perducerem. Quod optatum an impetrarim, necne, haud meum est existimare; sed hoc liquido affirmare possum, ex quo illam poëtae per se ipsum corrigendi rationem inierim, non eumdem mihi visum esse, quumque iam non quod mihi placeret, sed quod illi, reponendum in eo per omnia censerem, longe quam antea tractabiliorem se mihi praebuisse Musam Plautinam. Sic autem fecimus. Inter percensendas poëtae fabulas, quidquid novi in formis metricis praeberent cantica et eorum similes loci alii non pauci, diligenter annotavimus, nec quidquam de singulis decernendum arbitrati sumus, antequam, quae ad eumdem modulum dimensa viderentur, collegissemus omnia cum iisque contendissemus. Ita factum est, ut multos locos aliis, quam quibus antea quum in antiquioribus editionibus tum ipsius huius volumine primo legebantur, conscribendos nobis esse metris intelligeremus, e quibus quae ad genus iambicum et trochaïcum aliaque simplicia et in

vulgus nota pertinent, recensuimus in indice rerum memorabiliorum; quae vero ex asynartetis sunt, quibus Hic pullulat, vel parum adhuc notis, vel prorsus incognitis, operae pretium duximus hic perscribere, indicatis simul locis Annotationum, ubi plenius de iis exponitur. Sunt autem haec:

I. Metrum asynartetum, quod constat versu trochaïco dimetro et eiusmodi iambico catalecto. Ad Amph. suppositae scenae *Tun' me, carnufex*, vs. 15 sq.

II. Simile, compositum ex trochaïco dimetro et iambico dimetro acatalecto. Rud. 114.

III. Aliud quoddam, syllaba etiam hoc longius. Bacch. 1160.

IV. Aliud, quod continetur versu trochaïco dimetro et iambo dimetro brachycatalecto. Amphitruoni suppositae scenae *Di vostram* 5 sq.

V. Aliud denique eiusmodi genus, syllabis duabus hoc, quod modo dixi, brevius, de quo monui ad Most. 879.

VI. Versus compositi ex bacchiaco dimetro et iambo hypercatalecto. Amph. 422.

VII. Alii, syllaba his breviores, de quibus, sicut et de iis, quos loco nono posui, cf. monita ad Aul. 92-95.

VIII. Duabus syllabis brevior versus est Cas. 64, ad quem locum videbis annotata ad Cas. vs. 59.

IX. Contra duabus syllabis longiores. Vid. ad VII.

X. Genus versuum asynartetorum, quod sexto ex altera parte respondet, hoc est conflatum ex iambo hypercatalecto et bacchiaco dimetro. Capt. 859 sqq. ex emendatione huius loci, quam in annotationibus proposui.

XI. Metrum asynartetum, quod constat bacchiaco dimetro et trochaeo. Capt. 428 sqq.

XII. Syllaba longius extat Cist. 414 sqq. et ibid. 417, ubi et clausula invenitur, ex bacchiaco dimetro composita.

XIII. Eiusmodi versus asynarteti, duabus syllabis longiores, habentur Merc. 329 sqq. et Rud. 179 sqq.

XIV. Metrum compositum ex duabus penthemimeribus iambicis, quod frequentant tragici poëtae Graecorum et Aristophanes.

XV. Simile, ex tribus conflatum, tam acatalectum, quam catalecticum. De his dixi ad Amphitruonem 422.

XVI. Versus asynartetos, qui continentur tro-

chaïco dimetro et eiusmodi anapaesto, reperi Cas. 703 sqq. et Rud. 823 sqq.

XVII. Metrum, constans versibus duobus trochaïcis hypercatalectis. Bacch. 584 sqq.

XVIII. Aliud quoddam, in quo copulatur creticus dimeter cum trochaïco hypercatalecto.

XIX. Item aliud huiusmodi, syllaba brevius. De utroque horum expositum ad Amph. scenae suppositae *Tun' me, carnufex*, vs. 15 sq.

XX. Duabus syllabis breviores sunt versus *curiose* et *clausit* in Amphitruoni suppositis l. l. vs. 15 sq.

XXI. Contra syllaba longioribus, sive ex cretico et ithyphallico, hoc est trochaïco dimetro brachycatalecto, constantibus, ipse Plautus usus est, de quibus vid. ad Capt. 140.

XXII. Compositio ex duobus versibus anacreonteïs, quam etiam Pindarus adamavit habetque Callimachus apud Hephaestionem libri Hermanniani de Metris Graecorum et Romanorum pag. 389 infima. Vid. ad Amph. l. l.

XXIII. Duo versus asynarteti ex illis, quorum, tanquam ab Anacreonte usurpatorum, item meminit Hephaestio apud Hermannum modo laudati libri pag. 387, leguntur Curc. 96 sqq.

XXIV. De metro asynarteto, quod trochaeo et iambo continetur, ad suppositam scenam *Quis tam*, Amph. vs. 13 sq.

XXV. Metrum, constans anapaesto, dimetro et trochaïco dimetro catalecto. Cas. 703 sqq. Stich. 710 sqq.

XXVI. Denique aliud, in quo coniunguntur iambus dimeter et ithyphallicus, in Artamonis fragmento primo deprehendi, quod etiam ex Euripide et Callimacho profert Hephaestio apud Hermannum de Metris pag. 386.

Horum metrorum plerisque et potioribus tam saepe utitur, nisi omnia me fallant, poëta noster, ut mirari subeat, ea neminem adhuc observasse eruditorum. Reliqua malae fidei non sunt insimulanda ob eam causam, quod aut semel aut raro inveniuntur usurpata, neque ea mihi videntur, quae convincere nihil negotii sit; sed locum, spero, haec quoque tuebuntur suum, nisi quis et notiores in hoc genere formas suppeditaverit, et eas, in quas se redigi lubentius patiatur Plautus. Nam id quidem cuivis metrico perfacile est, addendo, demendo, transponendo, mutando denique poëtae verba, quocumque modo libuerit, formare et reformare; sed eiusmodi remedia, quae quidem ipsi olim male adhibuimus, nemo unquam rei peritus approbaverit.

Vt autem in his metris Comico reddendis non

omnino lusisse operam videor, ita spes destituit de convertendo in usum meum vel potius Plauti codicem longe antiquissimum, qui nunc Lutetiae Parisiorum asservatur in bibliotheca imperatoria. Ex eo libro enotare discrepantes a vulgaribus lectiones pluribus ad me datis hac de re literis promiserat vir Cl. Hasius; sed aliis, ad officium eius pertinentibus, districtus negotiis tantum apud me beneficium collocare adhuc non potuit, neque ditius exspectare id auxilii mihi licet. Est autem is liber membranaceus, continetque, sicut olim Camerarianus ille, quem decurtatum vocant, has comoedias duodecim posteriores, Bacchides, Mostellariam, Menaechmos, Militem, Mercatorem, Pseudolum, Poenulum, Persam, Rudentem, Stichum, Trinummum, Truculentum; quae fabulae quo rarius inveniuntur descriptae (nam fere priores tantummodo exstant in antiquis codicibus), eo magis miseranda est haec iactura.

Lenierunt tamen eam aliquantum libri bonae notae scripti tres, quos, liberalitate Serenissimorum Principum, Regis Bavariae et Ducis olim Brunsvicensis, ex bibliothecis publicis, quae sunt Monachii, Guelferbyti, et Helmstadiae, transmissos, versare mihi ipsi contigit. Quorum duo, Monachiensis et Guelferbytanus, sunt membranacei, tertius in papyro scriptus est, nec tamen propterea et quod recentissimum horum fatetur genus scripturae, contemnendus; quem quidem ante me excussit et in libro, qui inscriptus est Literarum humaniorum bibliothe-

ca, descripsit, variasque eius lectiones excerpsit clarissimus Wideburgius; reliqui duo nondum, quod sciam, collati sunt cum editis, quos codices, nitidissime scriptos, saeculi undecimi vel duodecimi esse arbitror, nisi propter frequentiora verborum compendia ad serius aliquanto aevum referendus sit Monachiensis. Exhibent autem, ut vulgus manu scriptorum Plautinorum, octo fabulas priores hasce: Amphitruonem, Asinariam, Aululariam, Captivos, Curculionem, Casinam, Cistellariam et Epidicum, cuius quidem comoediae versu 678 finitur liber Guelferbytanus. Hi codices, cum optimis fere consentientes, quantum mihi profuerint ad lectionum fidem qua explorandam qua confirmandam, ex annotatis ad loca singula intelligetur. Novo etiam versu ditasse videtur Sarsinatem Helmstadiensis, Captivorum 638.

Praeter hos libros manu exaratos ex editionibus principibus usurpavi Sarracenianam et Pii Mediolanensem, quae typis descriptae prodierunt annis a Christo nato 1499 et 1500; deinde Iuntinam et Argentoratensem, quae quidem non nisi quinque fabulas praebet, Amphitruonem, Asinariam, Aululariam, Captivos et Curculionem, anno 1514 excusam utramque; postremo Aldinam, editam anno 1522, et ex recentioribus inprimis Camerarii, Lambini, Parei, Taubmanni, et Gronovii, quum ipsam editionem omnium primam Venetam et Carpentarianas aliasque nonnullas antiquiores neque in his terrarum regionibus investigandi neque aliunde ar-

cessendi facultas esset. At non omnes tamen hae copiae fuerunt meae. Nam quum saxum me hoc volvere primum innotuisset, I. I. G. Huberi varias lectiones Amphitrnonis, ex editionibus Venetis annorum 1495 et 1522, Mediolanensi, Argentoratensi, Parisiensi et Basileensi, quae annis 1500, 1514, 1530 et 1568 curatae sunt, depromtas, una cum Huberi annotatiunculis ad eam fabulam, ultro, quae est eius humanitas, ad me misit vir clarissimus, Seyboldus, bonarum literarum apud Tubingenses professor publicus. Rogatu autem meo et animadversiones suas in partem Militis mecum communicavit antiquariorum hodie in Germania facile princeps, Boettigerus, et celeberrimi I. H. Vossii, qui Homerum nobis interpretatus est, emendationes nonnullorum Sarsinatis locorum mihi tradi curavit, iussu Vossii, clarissimus Bredovius, professor historiarum in Vniversitate literarum Francofurtensi; Heindorfius quoque, literarum humaniorum in Academia Berolinensi professor doctissimus, annotationum in Plautum metricarum, quas olim a Reizio libro cuidam edito allitas descripserat, usum mihi haud gravate permisit; quibus viris optimis de sua erga me voluntate gratias et habui habeboque semper, et hic publice ago, maximas.

Atque his quidem instructus ego subsidiis externis, opus suscepi difficillimum, sed cui magna proposita esset gloria, emendandi atque explicandi Plauti. In quo opere perficiendo sicubi forte erraverim, veniam

mihi ab aequis iudicibus facile, spero, impetrabunt rectius excogitata. Iniquos, quorum larga hodie apud nos seges est, qui laudem suam in sola obtrectatione positam putant, minime morabor, sed virtute me mea, ut ait Horatius, involvam. Gratiam autem a bonarum litetarum studiosis initurum me spero, nisi aliam ob causam, certe propterea, quod, improbato exemplo Taubmanni eiusque asseclarum, et ipse de difficilioribus Plauti locis copiose disserui, et integras fere dare quam mutilatas malui virorum eruditissimorum sagacissimorumque in eum animadversiones. Quam rationem meam si quis improbarit, ei respondebo verbis non meis, sed celeberrimi F. A. Wolfii in praefatione ab ipso editarum Mureti Variarum Lectionum, ubi sic loquitur pag. VI: « Hic illud prope locum habet, quod in veterum Graecorum et Latinorum libris plerisque. Esto, in breve coactos esse omnes philosophos, oratores, historicos, rebus, quas illi habent, excerptis plenissime: num contractus iste thesaurus ingenio formando eumdem usum praestabit, quem praestabat integer? *Adeo iis, quibus studium est acumen iudicii ad subtilitatem criticam fingere, haud satis est scire, quid quoque loco a correctore tentatum aut repositum sit; verum correctionum rationes ac momenta cognoscere opus est.* Qui ergo critici, exemplo Mureti, coniecturas et emendationes suas explicatius perscripserunt, ii fere tum quoque, quum errant, melius erudiunt, quam quorum nuda edicta sunt hoc ge-

nus: *Sic scribe*, *sic lege*, aut, quod ne Latinum quidem est, *forte legendum*. »

Quod superest, morem scribendi veterem servavi, quum absurdum mihi videretur ad modum recentiorem pronuntiari iubere antiquissimi verba scriptoris, pravaque inconstantia eadem in Catone probare, in Plauto improbare. Quod in edendo Terentio sensit etiam Bentleius.

Iamque non amplius detentos homines elegantiores ad coenam Plautinam invitamus, sperantes fore, ut haud omnino convivium hoc servile fastidiant.

Scribebam Berolini, mense Martio 1811.

D. Bothe.

AMPHITRVO

DRAMATIS PERSONAE

MERCVRIVS
SOSIA
IVPITER
AMPHITRVO
BLEPHARO
ALCVMENA
THESSALA
BROMIA

ARGVMENTVM

In faciem vorsus Amphitruonis Iupiter,
Dum bellum gereret cum Telebois hostibus,
Alcmenam uxorem cepit usurariam;
Mercurius formam Sosiae servi gerit
Absentis: his Alcmena decipitur dolis.
Postquam rediere veri Amphitruo et Sosia,
Vterque dolis deluditur mirum in modum.
Hinc iurgium, tumultus, uxori et viro:
Donec, cum tonitru voce missa ex aethere,
Adulterum se Iupiter confessus est.

Vs. 1. *Iupiter*) Sic litera *p* simplici semper H, sicul et olim Pall. praeter V. C. et Pall. 4, item Iunt. Ald. earumque editionum sequaces.

2. G. *gerit*, haud ineleganter, modo versus ferret.

7. *deluditur*) Ita G. H. et Pall. *deluduntur*. Vulgo *luduntur*, quod correctorem sapit, metri perperam curiosum; nam recepta Guelferbytani codicis lectione verba potius transponenda erant, nisi quis Pall. 1 et 2 secutus, a quibus abest *dolis*, quod quidem ex vs. 5 assumtum videri potest, quum V. C. et Pall. 3, 4, praeferant *in mirum modum*, versum sic legere malit: *Vterque deluduntur in mirum modum*. Quod vulgata non deterius.

9. Pall. 1, 4, *emissa*.

ALIVD ARGVMENTVM

Amore captus Alcumenas Iupiter
Mutavit sese in eius formam coniugis,
Pro patria Amphitruo dum cernit cum hostibus;
Habitu Mercurius ei subservit Sosiae.
Is advenientis servum et dominum frustra habet;
Turbas uxori ciet Amphitruo; atque invicem
Raptant pro moechis; Blepharo, captus arbiter,
Vter sit, non quit, Amphitruo, decernere.
Omnem rem noscunt: geminos illa enititur.

Vs. 1. Scripti fere *Alcumene* vel *Alchumene*; editiones, in his Iunt. Ald. *Alcmenae*, prorsus inconcinne. V. C. *Alcumenas*, M, *Alcmenae as iupiter*.

3. *cernit*) Sic. Pall. 3, 6, margo 1 et 5, item V. C. « sed ita, *inquit Pareus*, ut quis supra lineam appinxerit *de*, deinde alius postea addidit praepositionem *dum decernit* ob versum. » Versus quidem causa id fieri non erat necesse; etsi non negem, modulatiorem eum reddi recepto *decernit*, modo meliore id tibicine sufficiatur. Nunc neque hanc lectionem probo, neque codicum Pall. 2, 5, 6. H, M, *certat*.

5. *et*) Ita Iunt. Ald. Gryph., quod praetuli scriptorum lectioni *ac*, propterea quod statim sequitur *atque*. Si quis tamen hoc potius indicet, non magnopere repugnabo.

8. Pal. 3, *discernere*.

9. *illa*) Codd. scripti et editi *Alcumena* vel *Alcmena*, versu refragante.

PROLOGVS

MERCVRIVS

Vt vos in vostris voltis mercimoniis
Emundis vendundisque me laetum lucris
Adficere atque adiuvare in rebus omnibus,
Et uti res rationesque vostrorum omnium
Bene expedire voltis peregrique et domi,
Bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro
Quasque incepistis res, quasque inceptabitis;
Et uti bonis vos vostrosque omnis nuntiis
Mc adficere voltis: ea adferam, ea uti nuntiem,
Quae maxume in rem vostram communem sient
(Nam vos quidem id iam scitis concessum et datum
Mi esse ab dis aliis, nuntiis praesim et lucro);
Haec ut me voltis adprobarc ac nitier,

Vs. 4. *vostrorum*) Ita V. C. et fere Pall.; nam 5, *vestrum*, quae serioris aevi scriptura etiam versui minus congruit. Vulgo *vestrorum*. *Vti* pro *ut* dedi ad similitudinem versus 8.

5. *peregrique*) Sic V. C. initio, nt est in edd. Ven. 1495, Mediolan. 1500, Iunt. 1514, Ald. 1522, Paris. 1530, omnibusque propemodum vetustioribus. Etiam in Pal. 4 *peregri* superscriptum erat, tanquam rectius, ut est re vera. Charis. p. 189 Putsch.: « *Peregri* quum in loco est. *Peregre* dicimus, quum abit quis in locum. » Cf. Taubm.

9. In G *ut* omittitur, perperam. H, *et ea ut n.*, editiones aliquot recentiores, in his Argent. 1515, Ven. 1522, Paris. 1530, *eaque ut n.*, numerorum haud dubie utrumque causa. Sed asyndeto servato scribendum potius fuit, *ea uti n.*

13. *ac nitier*) Sic praeter Venetam anni 1522 prior Aldina, ex qua sensu monente lectionem eam arcessebat etiam Gruterus Suspicc. III, 1; Ba-

Lucrum ut perenne vobis semper suppetat;
Ita huic facietis fabulae silentium,
Itaque aequi et iusti hic eritis omnes arbitri.
Nunc, quoius iussu venio et quam ob rem venerim,
Dicam, simulque ipse eloquar nomen meum.
Iovis iussu venio; nomen Mercuri est mihi;
Pater huc me misit ad vos oratum meus,
Tametsi pro imperio vobis, quod dictum foret,
Scibat facturos: quippe qui intellexerat,
Vereri vos se et metuere, ita ut aequom est, Iovem;
Verum profecto hoc petere me precario
A vobis iussit leniter dictis bonis:
Etenim ille, quoius huc iussu venio, Iupiter
Non minus quam vostrum quivis formidat malum,
Humana matre natus, humano patre:
Mirari non est aequom, sibi si praetimet;
Atque ego quoque etiam, qui Iovis sum filius,
Contagione patris mei metuo malum.

ail. *ac adnitier*; Pal. H, et pleraeque edd. vett., in his Iunt., *adnitier*; G *enitier*, quod fortasse fuit antea *et nitier*.

14. V. C. *subpetat*; caeteri fere libri tam MSS., quam impressi vel *superet*, quod immodulatum, vel *supperet* eadem significatione, quod insolitum versusque tantum sarciendi causa male inventum. Sequimur nos inprimis codd. G et H.

17. *quoius*) Sic H, ut etiam 26.

19. Pal. 5, *Mercurio*, quod vulgato non deterius. Fallitur itaque Lambinus, quum hoc loco omnes libros tum manu scriptos, tum vulgatos praeferre dicit *Mercurii*, non, quod aliis placuerit, *Mercurio*. Sic enim ille loquitur interdum, et nominatim duorum meminit codicum MSS. ad vs. prologi 69; sed plerumque tantum veteres libros vel codd. commemorat. Helias quoque in praefatione editionis Lamb. conquisitos undique comparatosque ait a Lambino vetustos libros, quorum magna penuria sit, praesertim bonorum. Sed qui fuerint et quales isti libri nusquam dicitur; saepeque libri Lambiniani ridentur a Dousa, Acidalio, Taubmanno, praesertim ab hoc in notis ineditis ad quasdam vett. Plauti edd., Dresdae in bibliotheca Regia servatas.

26. *ille*) Vid. ad 46.

30. *Atque*) Palatini 2 scriptor, parum intellecto, ut videtur, compendio, *At ego*.

31. Vulgo *mei patris*; sed satius erat in ἄρσει poni vocem graviorem. Caeterum male Palat. 4, 6 et M,

Propterea pace advenio ad vos, pacem adfero.
Iustam rem et facilem esse oratum a vobis volo:
Nam iusta ab iustis iustus sum orator datus:
Nam iniusta ab iustis impetrari non decet;
Iusta item ab iniustis petered, insipientia est:
Quippe illi iniqui ius ignorant neque tenent.
Nunc iam animum huc ad ea, quae loquar, advortite!

matris, Palatinus 6 etiam, *meae*.

32. Vulgo *Propterea pace advenio, et pacem ad vos affero*, prorsus inconcinne. Quod sentiens Acidalius reponebat *fero*, non male, nisi verisimilius est, librarios, asyndetum mirantes, sicut passim, ita etiam hoc loco infersisse copulam, verbaque *ad vos* quum ad utrumque verbum, proprie quod dicitur, referri possent, aut casu aut socordia descriptoris ab altero ad alterum esse translata; quam suspicionem firmat Palatini 5 scriptura haec: *Propterea pacem ad vos venio.* Nec aspernam tamen, qui dicat, poëtam, quum scripsisset: *Propterea pace advenio vos*, forma loquendi et antiqua et ipsi non prorsus insolita, secus id acceptum in fraudem librarios induxisse, ut pronomen, quod ipsis pendere videretur, addita *ad* praepositione ad sequentia referendum esse existimarent. Et huc ducit explicatio in margine Pal. 6 scripta: id est, *venio ad*. Invenerat haud dubie, qui hoc scripsit, *advenio vos*, recteque id accipiendum esse monuit tanquam si dedisset Plautus: *venio ad vos*.

34. *iusta*) Vulgo *iuste*, lusca sententia, quum non dicatur, quid oratum venerit Mercurius, modus autem rei gerendae, ut iuste fiat, satis inutiliter significetur. Vt modo *Iustam rem – oratum*, ita hoc loco *iusta orator* recte dicitur, nomine verbali casum verbi sui regente ex prisco more.

35. *impetrari*) Sic V. C. Pal. 6, MS. Fruter. item scripti mei G, H, et pleraeque edd. vett. Vulgo *impetrare*.

36. Vulgo *Iusta autem ab iniustis petere, insipientia est.* Versum durum audacius fortasse reformavi, quum ferendus esset pariter atque alii similes nonnulli in Plauto interdum dormitante. Continuo autem scriptum *Iustaitem* facile degenerare potuit in *Iustaautem*, literarum *a* et *i* altera prave geminata, altera cum simili permutata, quorum utrumque saepius observare licet in scriptis. De *d* ephelcystico in voce *petered*, dico ad vs. 149.

37. Vid. ad 46.

38. Vulgo *Nunc iam huc animum omnes ea, quae loquar, advortite*, numeris parum suavibus, et quod maius est, contra fidem scriptorum: siquidem Pall., praeter unum V. C., in MS. Fruter. et nostri G H, sicut etiam edd. Sarracen. anni 1499, Iunt. Ald. aliaeque praeferunt *animum ad ea*, τὸ *omnes* autem nusquam comparet, nisi quod *omne que loquar* legitur in V. C. Iure igitur meo hoc quidquid est voculae delevi. Sed cur id et a quibus arcessitum? Nempe factum ab iis, qui non animadvertissent, *r* literam finalem, qualis est verbi *loquar*, passim apud hunc producendis valere syllabis, valut legi-

Debetis velle, quae velimus: meruimus
Et ego et pater de vobis et republica.
Nam quid ego memorem, ut alias in tragoediis
Vidi Neptunum, Virtutem et Victoriam,

tur Amph. 404, qui versus est bacchiacus t.: *Tamen quin loquār haec, uti facta sunt hic* (cf. ibid. 891, Men. 273, Poen. 1196); et Aul. 733: *Meus fuit patēr Antimachus: ego vocor Lyconides* (cf. Asin. 804); et Men. 477, qui versus est h. t.: *Si paupēr est atque haud malus: nequam habetur*; et Cist. 398, versu simili, sed trimetro: *Loca haec circitēr excidit mihi*; et Amph. 554: *Verum non est puero gravida. — Quid igitūr? — Insania* (cf. Stich. 503). Saepissime autem priscus hic usus observatur in *or* syllabis nominum substantivorum verborumque, quae proprie dicuntur, extremis; quem locum attigit Valens Acidalius Divinationum Plautinarum pag. 450 seq., ubi Rudentis vs. 1148. declarans: « Non transponenda autem, *inquit*, quod censeas, verba *nihil ullum moror lucrum*. Longa enim ultima in *moror* ex Plauti consuetudine, qua passim *or* in fine producit. Hic superius (Rud. 914): *Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero.* Sticho (128): *Hostis est uxor, invita quae ad virum nuptum datur.* Poenulo (232): *I soror: abscede tu a me.* Ag. *perii. eho, quid agis Milphio?* » Haec Acidalius. Quibus addas licet Epid. 643, ubi, expuncto τῷ *mea*, glossemate quidem nescio cuius, de metro perperam solliciti, itidemque producta posteriore syllaba vocis *soror*, legendum est: St. *Sequere hac me, soror.* Ep. *Ego ad vos Thesprionem iussero Huc transire.* Et similiter longa habita *or* syllaba ante vocalem expeditur Asin. 901 (*– odium, non uxōr, eram*), Mercat. 789, qui est i. s.: *Vxor, heus, uxor, quamquam tu irata es mihi*, Rud. 110, ubi nisi *honor* pro iambo habeatur, ruit versus. Quem usum secutus, Amph. 67, τὸ *imperator* metri causa in locum vulgati *imperatores* succedere iussimus, ut, itidem producta syllaba extrema τοῦ *imperator*, scriberetur secundum legem carminis cretici: *Deinde uterque imperator in medium exeunt.* Fiunt haec propemodum more Graecorum, quibus nomina substantiva in ηρ et ωρ, pro natura istarum vocalium, porriguntur. Sed latius hoc genus patet apud Latinos, etiamque adiectiva et verba proprie dicta, in or complectitur, cuius rei exempla praebent Amph. 392, Aul. 170, Epid. 362, Ba. 89, Most. 42, quibus in locis verba *longior*, *vorsutior*, *stultior*, *superior*, productis ante vocalem syllabis extremis reperiuntur, et Merc. 401, ubi legendum *adsentōr ego*, nisi recte exire putes trochaicum catal. in huiusmodi creticum *– tuor ego*, quod cras fortasse credam, non hodie. Sed haec hactenus. « Plura, *inquam cum Acidalio l. l.*, ubique inveneris, ubi *venēris*. Caeterum G *loquor*, M, *ea quae dicam adv.*, uterque male. Quod autem editum hic est *animum huc* pro *huc animum*, quae vulgata lectio, casu id factum, non consilio.

41. *alias*) Ita nonnulli, quos Pareus commemorat, neque vulgatum *alios* fert sententia. Erratum similiter Men. 739, Merc. prol. 3.

42. Copulam addidi, ne simul pri-

Martem, Bellonam, conmemorare, quae bona
Vobis fecissent? quis benefactis meus pater,
Deorum regnator, architectus omnibus;
Sed illi nunquam mos fuit, patri meo,
Vt exprobraret, quod bonis faceret boni;
Gratum arbitratur esse id a vobis sibi,
Meritoque vobis bona se facere, quae facit.
Nunc, quam rem oratum huc veni, primum proloquar;
Post argumentum huius eloquar tragoediae.
Quid contraxistis frontem, quia tragoediam
Dixi futuram hanc? deus sum: conmutavero

ma postremaque syllaba verbi *Virtutem* acueretur, media quum acuenda esset; nam rarissime apud ipsum Plautum versus eiusmodi reperiuntur, qui quidem facilem correctionem non admittant.

44. G, *beneficiis.*

45. *architectus*) Pal. 2, et MS. Fruter. *architector*, unde recte Fruterius faciebat *architecton.* Vtraque forma Noster utitur, quarum altera mere graeca est, altera nescio quam gratiam habet priscae latinitatis.

46. MSS. fere, etiam noster H, item vett. edd. *Sed mos nunquam illi fuit p. m.* nisi quod Pal. 5, et MSS. Langg. *meo patri*, G vero *fuit illi.* Omnes uno ore *illi*, non *illic*, ut editum a recentioribus, qui nescirent, pronomen hoc a Plauto plane sic usurpari, ut demonstrativum illud ὁ, sequente nomine, apud Homerum eiusque aetati suppares et imitatores. Non est haec ταυτολογία, sed aevi antiqui simplicitas perspicuitasque, ut eadem vel persona vel res pronomine simul at nomine significetur; quomodo hic infra 305 sqq.: *Nisi etiam is quoque me ignorabit: quod illic* (i. e. *ille*) *faciat Iupiter; Vt ego hodie raso capite calvos capiam pileum;* et 693 sq.: *Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi conlubitum siet, Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam malum;* et Most. 388, item Pseud. 925, *Ita ille faxit Iupiter*; similiaque passim dixit. Caeterum, Fruterii exemplum secuti, ordinem verborum mutavimus, ne versus hiaret, quum, *quamde* pro *quam* priscis illis placuisse, ex Festo et grammaticis constaret, *nunquamde* vero, vel quod Meursio in mentem venit, *nunquame*, nulla auctoritate adstrui posset, ut taceam, ne alterutro quidem horum recepto numeros bene procedere, sed nulla adhibita caesura, praeterquam prima regione, quot pedes tot verba habiturum esse versum sic constitutum: *Sed mos — nunquamde* (vel *nunquame*) | *illi* | *fuit*, | *patri* | *meo*, | quod valde vitiosum.

47. Etiam G et H, *quae b. f. bona*, ut fere Pall. Stant pro vulgata V. C, et M.

50. V. C. inter lineas, et G, *quam ob rem*, male, nec melius G, *veni, loquar.*

51. Pal. 5, *proloquar.*

Eadem , si voltis; faciam hanc, ex tragoedia
Comoedia ut sit omnibus isdem versibus.
Vtrum, sit, an ne, voltis? Sed ego stultior:
Quasi nesciam vos velle, qui divos siem.
Teneo, quid animi vostri super hac re siet:
Faciam, ut conmista sit Tragico-comoedia:
Nam me perpetuo facere ut sit comoedia,
Reges quo veniant et di, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic servos quoque partis habet,
Faciam, proinde ut dixi, hanc Tragico-comoediam.
Nunc hoc me orare a vobis iussit Iupiter,
Conquisitores singuli in subsellia
Vt eant per totam caveam spectatoribus:
Si quoi favitores delegatos viderint,
Vt his in cavea pignus capiantur togae.
Seu qui ambiissent palmam histrionibus,
Seu quoiquam artifici (seu per scriptas literas,

54. Vulg. *Eandem hanc, si voltis faciam, ex tragoedia*, nulla vi τοῦ *Eandem*, quum, quam fabulam dicat Mercurius, nemo dubitet, versuque etiam laborante, nisi ἀνεκθλίπτως efferatur *faciam*. Quum igitur in G et H reperissem *Eadem*. h. e. eadem opera, lectionem optimam et talem quidem, quae facile cum altera commutari posset, haud cunctanter recepi in ordinem.

55. M, *Comoediam*. Pall. 1, 2, G, M, *omnibus et iisdem*. *Isdem* pleraeque edd. vett., vulgatae *iisdem*.

56. *an ne voltis*) Ita G, antique; vulgo, *an non v.*

62. V. C. H et M, *habet*; quae vox a plerisque libris abest.

63. Vulg. *Faciam sit, proinde ut dixi, tragicocomoedia*, versu excrescente, cui vitio alii aliter medicari sunt conati. V. C. *tragicomoedia*. Vel hoc, vel *tragocomoedia* (sed illud potius, quia latinius), arcessere debebam, nulla praeterea facta mutatione. Pareus, edd. recentiores secutus, edidit: *Faciam hanc, proinde ut dixi, tragicocomoedium*.

66. Tὸ *Vt* vulgo praecedentem auspicatur versum, corruptis numeris.

67. *favitores*) Sic Pall. 1, 3, 4, 6 et G, quomodo infra 78 seq. legitur *favitoribus*, *favitorum*. Vulgo *fautores*, ex interpretatione.

68. Pall. 6 et M. *capiatur*; H *accipiatur*.

69. Vulgo *Sive qui ambissent*, inconcinne; *ambiissent* praebet Argent. anni 1514. Tὸ *palmam* sequente vocali non liquescit, figura Nostro valde familiari; vid. ad Amph. 341. Hiatum ut auferrent, etiam *de* syllabam adverbiis quibusdam addidere prisci illi, velut *quamde* pro *quam* legitur

Seu qui ipsi ambissent, seu per internuntium);
Sive adeo Aediles perfidiose quoi duint:
Sirempse legem iussit esse Iupiter,
Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.

apud Lucretium, legendumque est me auctore Epid. 64, Men. 144, sicut *simulde* pro *simul* Men. 758, Merc. 777. Cf. Festus v. *Quamde*.

74. *Quasi magistratum sibi alterive ambiverit*) Cave versum ita dimetiare, ut extremam syllabam vocis *magistratum* corripias: tales enim correptiones ut in primis versibus solennes sunt, ita in mediis prorsus sunt inusitatae. Sed elidenda est prior *i* litera in *sibi;* quod ne tanquam novam rem mireris fierique posse neges, ecce proferam tibi exemplorum quantum declarando adstruendoque huic usui Comicorum Latinorum, inprimis Plauti, satis sit. Vt igitur hoc loco τὸ *i* in *sibi*, sic passim apud Comicos extritae reperiuntur literae vocales natura breves; quod ubi fit, ut saepissime quidem fit, in voce disyllaba, accentus a priore syllaba ad posteriorem transfertur. Percenseamus singulas vocales. *A* litera extrita legendum videtur *cantharum* (*canth'rum*) Most. 337, *cave* Mil. 1358, Chrysalum Ba. 608, *dari* Terent. Ad. III, 2, 13, Phorm. II, 1, 31, *facit* Amph. 950, Ba. 375, Trin. 226, *malaeque* Truc. 134, *malam* (*m'lam*) Cas. 517, Rud. 1062, Truc. 269, *male* Cist. 275, Curc. 39, *mali* Ba. 1062, Epid. 60, Merc. 122, Pers. 208, *malum* Merc. 350, nisi glossema existimandum sit, *malo* Most. 865, *manum* ibid. 323, Ba. 53, Pseud. 862, *mari* argum. Rud. 1, ubi frustra turbat Lambinus, *parem* Pers. 763, *pater* Bacch. 499, argum. Truc. 9, *pati* Aul. 680, *tamen* Capt. 252, *valet* Ep. 18. — *E* vocalis, ne *trio* pro *terio* a terendo frumento similiaque nonnulla commemorem, velut scheva aliquod hebraicum negligitur in *adgerunda* Poen. 95, *bene* (*b'ne*) Poen. 932, *ceteris*, *ceterum* (*cet'ris*, *cet'rum*) Poen. 1038, Cas. 601, *decem* (*d'cem*) Most. 232, Merc. 686, 834, Truc. 349, *dedi* Poen. 285, Trin. 695, *en* Aul. 486, *fenestram* (*f'nestram*) Cas. 44, *fenestrasque* Rud. 6, *gerit* Truc. 693, *heri* Mil. 362, *meri* ibid. 1063, *merum*, si recte conieci, Ba. 63, *neque* utroque Trin. 253, posteriore *neque* (*n'que*) in isto versu Attii Philocteta – *Quem neque tueri contra, neque adfari queas*–; *per* Epid. 329, *sed* Ba. 358, Capt. 393, Cas. 115, Merc. 322, Poen. 713 et passim, *sedens* (*s'dens*) Ba. 13, *senecta* (*s'necta*) Cas. 128 sq., 249, Most. 211, *senem* (*s'nem*) Capt. 708, *senex* (*s'nex*) Cas. 612, Epid. 86, Rud. prol. 35, Terent. Hea. I, 2, 23, *seni* Cas. 610, *temperi* (*temp'ri*) bis Pers. 763, *tenes* (*t'nes*) Pseud. 211, *vel* (*v'l:* nam quae verba incipit, *u* litera, nusquam eliditur, sed quae medias verborum syllabas: ne quis forte *'el* pronuntiandum putet) Amph. 752, ubi male verba transposui, Poen. 696 bis, Rud. 1306, *velim*, *velis*, Amph. 538, Poen. 403, 1062, *venas* Rud. 29, *veni* Stich. 173, *venustatum* Poen. 1033, *vetustate* (*v'tustate*) ib. 569. — *I* vocalis in nonnullis verbis ne perscribitur quidem, velut *caldus* pro *calidus*, *valde* pro *valide*, in usu est et *puertia* pro *pueritia* dixit Horatius Od. I, 36, 7, quem locum in-

Virtute dixit vos victores vivere,
Non ambitione, neque perfidia: qui minus
Eadem histrioni lex sit, quae summo viro?

ducit Menrs. Exercc. cril. I, 192. Omittilur inprimis Epid. 449 extremo, nbi nisi *accipias* efferalur ut *ac'pias*, versus non stat recto talo; ilem in *abdomini* (*abdom'ni*) Terent. Eun. III, 2, 7, suspicato id etiam Bentleio; vel negligitur vel pro consona esl in *Aegyptii* (*Aegypt'i* vel *Aegyptji*) Poen. 1146, *ambiunt* (*ambjunt*) Mil. 69, *audio* Rud. 848, *audii* Curc. 589, *carinarii* Aul. 461, *dormierunt*, (*dormjerunt*) Poen.prol. 21, *dies* Most. 229, Pers. 261, 399, Trin. 545 (conf. Bentleium ad Terentium Andr. I, 2, 18), *diu* Poen. prol. 21, *fide* Pers. 241, Poen. 759, *filii* (*filji*) Ba. 1158, Mil. 1067, *filio* (*filjo*) Ba. 1117, Trin. 805, *glandium* Pseud. 161, *gratiam* (*gratjam*) Trin. 263, *illiccine* (*illic'ne*) Psend. 957, *iudicem* Men. 487, *Iupiter* Poen. 1046, *maceria* Truc. 274, *neminem* Mil. 1124, *nuptiis*, ul disyllaba fiat vox, sicut passim *gratis* dicilur pro *gratiis*, Cas. 706, *perdidi* (*perd'di*) Poen. 1043, *Philippum* (*Ph'lippum*) ibid. 468, *Philoxene* Ba. 1063, *Phoenicium* (*Phoenicjum*) Pseud. 39, *piscium* (*piscjum*) ibid. 165, *postridie* (*postridje*) Amph. 100, *proeliis* (*proeljis*) Men. 490, *promontoriumque* Ovidii Met. XV, 709, *quia* Amph. 98, Aul. 66, Ba. 28, Capt. 2, Merc. 397, Poen. 560, 835, Truc. 185, 843, *quid* passim, velut Aul. 669 priore loco, Epid. 663 tertio, *item* Ba. 7, 10, 20, Meu. 69, Merc. 404, *quidem* Amp. 584, Cist. 42, Curc. 394, Merc. 172, Poen. 150, *quispiam* (*quispjam*) Cas, 74, *quiesce* Poen. 977, Trin. 36, *sapientia* (*sapientja*) Epid. 58, *sibi* ut hoc ipso loco, qnem tractamus, ita etiam Aul. prol. 32, Curc. 352, Rud. 135, Stic. 113 et saepius, *silentium* (*silentjum*) Pers. 521, *simul* Mil. 1123, Pseud. 202, 585, *sine* praeposit. Mil. 371, Pseud. 370, *subditicium* (*subditicjum*) ib. 754, *tibi* (*t'bi*, ut *sibi*, *s'bi*) Ba. 153, 562, Curc. 352, Epid. 330, Merc. 763, Pseud. 1141, Stich. 710, Truc. 723, *videbatur* Rud. 505, *vides* ib. 843, Stich. 604 sqq., *vietor* Rud. 891, *vietis* (*vjetis*) et *vindemiator* (*vindemjator*) Horat. Epod. XII, 7, Serm. I, 7, 30, *viminei* (*vim'nei*) Epid. 26, *viri* (*v'ri*) Cas. 552, Stich. 3, *viris* (*v'ris*, Pseud. 170, *viro* Cist. 42, id quod intellexisse Reizium testalur G. Hermannus De Metris pag. 175, Men. 35, *viros* Pseud. 163, *vivito* (*viv'to* vel *vi'to*, sicut *aetas* pro *aevitas* dici coepit) Trin. 264. — *O* elidendum est in *boni* Ba. 1141, Trin. 242, *bono* Pers. 642, *colas* ibid. 263, *comest* ibid. 226, *domi* As. 220, Epid. 548, Truc. 529, Ter. Eun. 455, *domo* (*d'mo*) Epid. 566, *eloco* (*el'co*) Cas. 584, *foras* Epid. 158, Mil. 997, Most. 308, Poen. 973 (cf. Acidalii Divinatl. p. 437), *fores* Mil. 409, 973, *foris* Ba. 1081, Men. 50, Trin. 833, quod imitatus est Terentius Hea. 872 nostrae editionis, nisi locus sit leviter depravatus; *loco* (*l'co*) Pseud. 1250, *modo* (*m'do*) Stich. 509, *novos* (*n'vos*) Truc. 642, *potes* Pseud. 948, Stic. 311, *Pseudole* Pseud. 350, *quemadmodum* Amph. 286, *quod* Capt. 794, Men. 431, Merc. 371, Mil. 162, 608, *quomodo* (*quom'do*) Cas. 705, ut *molossus* – *m'do celem* ponatur pro ionico a minore, sicut sequente ver-

Virtute ambire oportet, non favitoribus:
Sat habet favitorum semper, qui recte facit,
Si illis fides est, quibus est ea res in manu.
Hoc quoque etiam dederat mi in mandatis, uti
Conquisitores fierent histrionibus:

su-*tiis-nostris*, et inprimis Most. 60, qui versus aut hac ratione extricandus est, aut accipiemus *quoniam*, codicis veteris Camerariani lectionem; *quot* Stich. 202, *rogat* Curc. 337, *soror* (*s'ror*) Aul. 102, Stich. 9, *symbolum* Pseud. 598, *volaticorum* Poen. 345, *voles* Ba. 49, *volet* Poen. 761, *voluntate* Mil. 1110, Pseud. 529, Stich. 47, *voluptarium* Poen. 471, *voluptas* Cas. 48, 337, Pend. 50, *voluptate* Poen. 1118. — *U* exterendum est Poen. 778 et passim in *apud*, Curc. 138 in *gutturi* (*gutt'ri*), nisi finslem i literam dativorum sing. tertiae declinationis corripi posse apud priscos Latinorum scriptores existimes Graecorum more in nominibus dativo sing. similiter terminstis, Stich. 212 in *Hercules*, Ba. 949 et Pseud. 593 in *lubet*, As. 784 in *mortualia*, ubi consonae vicem praestare videtur, in *optume* Capt. 769, in *pessume* Aul. 674, Poen. 1000 at Stich. 20 in *supellectili* et *supellectilis*, Rud. 838, 966, 1006, in *vidulum* (*vid'lum*), scribique etiam desiit olim in verbis *poplus*, *periclum* et similibus; ad quam faciem Lucretius VI, 1069 dixit *singlariter*, et ibidem 1086 *coplata*. — Denique *y* eliditur in graeco verbo *Syracusas* Men. prol. 37: hanc enim potius inierim rationem, quam priorem *a* literam, quae natura longa est, correptam esse a Comico concedam. Et haec quidem ad declarandam confirmandamque rem sufficiant, quam dudum attigere dignamque liberalibus studiis indicavere prae aliis Ioach. Camerarius in Commentatione de versibus Comicis extrema, Chr. Wasius Senarii cap. 9 et 12, ubi de Synaeresi et Syncope agit, et inprimis Rich. Bentleius, sicut alibi passim, ita etiam, et subtilissime quidem, in Schediasmate de metris Terentianis, ubi de licentia Afri et Comicorum Latinorum plenius exponit, etsi in exemplorum ibi prolatorum farragine plura insunt, quae alia, quam ipsi probata, via facilius explices, ea praesertim, quam hic illustravi, ut extritae statuantur vocales, natura breves. Cf. Rud. 467. Similis est ille locus abiectarum nonnunquam in extremis verbis vocalium brevium, de quo v. ad Asin. 770.

79–82. Hi versus post 87 leguntur in G.

81. Vulg. manco versu: *Hoc quoque etiam mihi in mandatis dedit.* Ald. anni 1522, Paris. 1530, Basil. 1568, *dederat*, ut passim apud Hunc et priscos latinae linguae auctores, Terentium quoque Eun. 800, ubi vide no s imo Nasonem Met. VIII, 860; XII, 443, perfecti vicem sustinet plusquamperfectum: cf. Amph. 274, 751, 754, Asin. 337, Aul. 720, Cas. 347, 8, Curc. 423, 555, Rud. 13. Argent. 1514, nescio quo auctore, sed arbitror eo ipso, qui innumeris in locis hanc editionem temere interpolavit, *mihi ille*. Hoc igitur missum feci; sed τὸ *dederat*, quod glossemati cessisse videtur, cum reverentia antiquitatis adductus, tum numeris admonitus

Qui sibi mandassent, delegati ut plauderent,
Quive alter quo placeret fecissent minus,
Eis ornamenta et corium uti conciderent.
Mirari nolim vos, quapropter Iupiter
Nunc histriones curet; ne miremini:
Ipse hanc acturust Iupiter comoediam.
Quid estis admirati, quasi vero novom
Nunc proferatur, Iovem facere histrioniam?

quos pleniores sonantioresque reddit, adsumendum putavi, praetereaque τῷ *ut*, quod vulgo sequentem versum moleste incipit, in *uti* mutato, huiusque extremitati apposito, utriusque versiculi mensuras satis, puto, probabiliter exaequavi.

84. Vulg. *Quive, quo placeret alter f. m.* Haud nescio, quae de variis generibus apocopes tradant grammatici cum veteres, tum recentiores, in his Wasius. Sed pleraque exemplorum ab iis prolatorum, quae quidem huc pertinent, qualia sunt vel decurtatorum vel non pronuntiatorum *ne que ve* encliticorum, quum manifesto aut sint corrupta, aut perperam accepta ab interpretibus (velut quum τὸ *que* elidi non sequente vocali, ut doceat, hunc Attii ex Meleagro versum excitat Wasius, tanquam trochaïcum octon. catal.: *Heu, cor ira fervit caecum! amentia rapior ferorque!* quum sit eiusmodi acatalecticus), haec igitur quum ita sint, parcius quam vulgo fit ista figura utendum ratus, malui non ineleganti transpositione: *Quive, alter quo placeret* etc. Vid. tamen ad Asin. 770. Caeterum V. C. Pall. 2, 4 et M. noster *placerent*, itemque V. C. Pal. 4 et G, *fecisset*, proclivi lapsu.

85. *Eis*) Bene sic Taubmannus, quum vulgo libri tam scripti quam impressi, velut V. C. et Iunt., exhiberent *Eius* etc.

87. *Nunc histriones curet*) Codex noster G, *Hunc* (h. e. *Nunc*) *ystrionibus curet*, exquisitius haud dubie digniusque Plauti seculo. Repressi tamen manum, tum quia uni huic voci tot alii obstrepunt haud levioris auctoritatis libri, tum propterea, quod constat, circa extremitates verborum, per compendia scribi solitas, saepius errasse olim librarios, velut 883 ubique adhuc legebatur, praeterquam in Camerar. et Basil. 1568: *introrumpam in aedibus*, et 887: *Pergam in aedibus*, et Aul. 505: *Intromisisti in aedibus*, quum omnibus his locis scribendum sit *in aedis*, et in loco Varronis ex libro IV de L. L, quem ibi laudant: *Qua in Caeliom montem itur*, quidquid ἀρχαϊσμῶν crepant Meursii et Popmae. Vide nos etiam ad Aul. 51.

89. Vulg. *Q. adm. est.*, soluto numero, nisi scribas *admiratid*; vid. infra ad 149.

90. *Iovem* hoc loco, sicut Rud. prol. 23, monosyllabum est, elisa u litera, qua elisione, tanquam digammatis cuiusdam Aeolici, apud scriptores Latinos, praesertim priscos, nihil est frequentius; cf. Amph. 11, ubi servitus δισυλλάβως pronuntiandum est, Amph. 94, Asin. 201, Aul. 636, ubi

Etiam histriones anno quom in proscenio hic
Iovem invocarunt: venit; auxilio is fuit.
Praeterea certe prodit in tragoedia.
Hanc fabulam, inquam, hic Iupiter hodie ipse aget,
Et ego una cum illo. Nunc vos animum advortite,
Dum argumentum huius eloquar comoediae.
Haec urbs est Thebae. In illisce habitat aedibus
Amphitruo, natus Argus ex Argo patre,
Quicum Alcumena est nupta, Electri filia.
Is nunc praefectus Amphitruo est legionibus:
Nam cum Telebois bellum est Thebano poplo.
Is priusquam hinc abiit ipsemet in exercitium,
Gravidam Alcumenam fecit uxorem suam.
Nam ego vos novisse credo iam, ut sit meus pater,
Quam liber harunc rerum multarum siet,
Quantusque amator sit, quod conplacitum est semel:

cum avonculo pronnntiandum tanquam *c'auncnlo*, Ba. 243, 753, Capt. 102, Epid. 709, Men. 259, 428, Merc. 833, Mil. 112, Pers. 256, 259, Poen. prol. 60, Pseud. 814, Rud. 446, Stich. 15; quo pertinent etiam haec et similia verba *aetas*, *aliorsum*, *horsum*, *prorsum*, *quorsum*, quae elisa *u* litera dicuntur pro *aevitas*, *alio vorsum*, *hoc vorsum*, *pro vorsum*, *quo vorsum*. Vide, quae in eam rem non *modio* neque *trimodio*, ut Hic ait, verum ipso horreo demensa dant grammatici, inprimis Wasius Senarii cap. 14.

91. G, *annio*) *In* missum etiam in nostris codd., sicut in Pall. et Ven. 1495, Mediol. 1500, aliis. Fraudi fuit verbo litera, quae antecedit, persimilis.

93. *certe*) Ita G, quod aptius sententiae, quam vulgatum *certo*; siquidem hoc dicit prologus, Iovis personam, etiamsi comoediae minus conveniat, *certe* aptam esse tragoediae, qualis quodammodo sit haec fabula. Vidit hic aliquid Lambinus.

94. Vox *Iupiter*, τῷ *-ter* producto (vid. nos ad 38), quartam claudat necesse est versus regionem, nisi quinto loco habere velimus merum iambum (*die i-*), quem pedem ibi vitari in huiusmodi metris docuit Bentleius. Vid. ad fab. 355.

95. Τὸ *vos*, quod a scriptis et pridem impressis abest, metri causa arcessivimus ex Aldina, quam pro more sequuntur Gryphii editiones aliaeque, in his Paréanae. Vulgo non legitur.

97. Iunt. *Thebe*, quod exquisitius.

100. Vulgo pravo numero, *Is n. A. praefectust l.*

103. Vulgo vel prorsus ἀμέτρως, vel pessime modulato versu, *G. A. ux. f. s.*; neque melius, quem inspexi, M, *ux. ipse f. s.*

106. Vulgo *siet*, everso metro, nisi

Is amare occoepit Alcumenam clam virum,
Vsuramque eius corporis cepit sibi,
Et gravidam fecit itidem conpressu suo.
Nunc, de Alcumena ut rem teneatis rectius,
Vtrimque est gravida, et ex viro, et ex summo Iove;
Et meus pater nunc intus hic cum illa cubat;
Et haec ob eam rem nox est facta longior,
Dum ille illam, quicum volt, voluptatem capit;
Sed ita adsimulavit se, quasi Amphitruo siet.
Nunc, ne hunc ornatum vos meum admiremini,
Quod ego huc processi sic cum servili schema:
Veterem atque antiquam rem novam ad vos proferam:
Propterea ornatus in novom incessi modum:

legas cum G, *siet eius, quod placitum e. s.* quod minime probandum. Aliquot edd. mediae, velut Argent. 1514 Iunt. Ald. Paris. 1530, Bas. 1568, *Q. amator, quom* (vel *quum*) *quid compl. est s.*, ex interpret.

109. Vulgo, *Et gr. fecit is eam c. s.*, nulla vi saepius repetiti *is* pronominis. Atque G, *eam is*, H, *is fecit*, sicut vagari solent interpretamenta, ut verisimillimum sit, *fecit itidem* paulatim, τῷ *it* semel posito, degenerasse in *fecitidem*, et propter similitudinem *a* et *d* literarum scriptarum in *fecitiaem*, *feciteam*. Certe sic infra 972: *Tu gravidam item fecisti*, neque aliter etiam h. l. debuit subtilis scriptor.

114. Vulgo, *Dum ille, quacum volt, v. c.*, hiante versu, nisi quis τὸ *dum* non elidendum putet, quam rationem equidem non nisi summa necessitate adductus ineam, praesertim in fabula tam elaborata. Et scripti quidem impressique vetustiores paulo aliter; V. C. Pall. 4, 5, M, Venet. 1495, Med. 1500, *D. illa*, G, *D. illam quam volt* (et *quam* quidem initio etiam V. C.), Argent. 1514, *D. ille illa*, quod tanquam suum protulit Taubmannus; denique H *quantum* pro *quacum*, ut passim *c* et *t* literae inter se permutantur. Hinc lectionem nostram concinnavimus.

117. *schema* a graeco σχέμα, quod Hesychio idem usitatiori σχῆμα, ut bene monet Taubm., derivandum, neque quidquam mutandum est. Ne autem ablativum *schema* mireris, audi, sis, Priscianum I, 6, pag. 679 Putsch. « Neutra eiusdem terminationis (in *a*) graeca sunt, et addita *tis* faciunt genitivum, ut hoc *peripetasma* huius *peripetasmatis*, hoc *poëma* huius *poëmatis*. Haec tamen antiquissimi secundum primam declinationem saepe protulerunt et generis feminini, ut Plautus in Amph.: *cum servili schema*; Valerius in Phormione: *Quid hic cum tragicis versibus et syrma facis?* pro *syrmate*. Plautus in Persa (459): *Theatrum lepida condecorat schema*. Caecilius in Hippolyto: *Filius in med incedit satis hila-*

Nam meus pater nunc intus, eccum, Iupiter
In Amphitruonis vortit sese imaginem,
Omnesque eum esse censent servi, qui vident:
Ita vorsipellem se facit, quando lubet;
Ego servi sumsi Sosiae mihi imaginem,
Qui cum Amphitruone hinc abiit indu exercitum:
Vt praeservire amanti meo possem patri,
Atque ut ne, qui essem, familiares quaererent,
Versari crebro hic quom viderent me domi:
Nunc, quom esse credent servom et conservom suom,
Haud quisquam quaeret, qui siem, aut, quid venerim.
Pater nunc intus animo suo morem gerit:
Cubat conplexus, quoius cupiens maxume est;
Quae illi ad legionem facta sunt, memorat pater
Meus Alcumenai; illa illunc censet virum
Suom esse, quae cum moecho est. Ibi nunc meus pater
Memorat, legiones hostium ut fugaverit;
Quo pacto donis sit donatus plurimis.

ri schema. Pomponius in Satura: *Quoiusvis leporis liber diademam dedit*, pro *diadema*. Laberius in Cancro: *Nec Pythagoream dogmam doctus.* Plautus in Milite glor. (148): *Glaucomam ob oculos obiicienus* etc. »

120. *eccum*, *eccillum*, *ellum* et similio etiom in absentibus usurpari, dudum est quum observavere vv. DD.; cf. Aul. 735, Mil. 782, Pers. 245, nosque ad Terent. Andr. 825. Caeterum, loci sententiam minus perspicientes, *est* addiderunt; nam vulgo legitur: *Nam m. p. intus nunc est, eccum, Iuppiter; In Amph...*, quasi id denuo dicere velit, quod dudum dixit, *Maiae filius*, Iovem intus esse cum Alcumena, quum causam aperturus sit, quapropter ipse servile schema induerit, quia Iupiter se convertit in Amphitruonem. Delevi igitur inutilem vocem, cuius compendium (ē) ex sequente litera natum esse mihi videtur, interpunctionemque emendavi, sicut passim, etiam ubi nihil monitum.

125. *indu*) Vulgo *in*, claudicante verso. Vide Festum h. v. Vulgo quoque *abiit hinc*, sed Argent. *hinc abiit*, leniore numero. M τὸ *hinc* non agnoscit.

134. Vulgo *M. Alcumenae. at illa illum c. v.* Sed *at* abest V. C. Pall. Langg. G, H, M, item Venett. 1495 et 1499, ac Mediol. 1500, neque dubitandum, quin aut forte natum sit ex *ae* vel *ai*, aut consilio additum, postquam *Alcumenai* formae tritiori cessit, a nescio quo metrum expleturo.

137. Vulgo *sit donis*, minus suavi numero.

Ea dona, quae illi Amphitruoni sunt data,
Abstulimus: facile meus pater, quod volt, facit.
Nunc hodie Amphitruo veniet huc ab exercitu
Et servos, quoius hanc ego fero imaginem.
Nunc, internosse ut nos possitis facilius,
Ego has habebo *hic* usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso; id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum ce familiarium
Videre poterit; verum vos videbitis.
Sed Amphitruonis ille est servos Sosia;
A portu illic nunc cum laternad advenit.

140. Vt h. l. *huc*, ita *hic* adverbium saepius correptum legitur, velut Epid. 332, Mil. 276, 440, 1073, Most. 286, Pseud. 1110, Truc. 873. Vide etiam ad Amph. 136; G, *venit*.

141. *hanc ego*) Ita Argent. 1514. Vulgo, inconcinne quidem, *ego hanc*. In II *ego* omissum est. Pareus immodeste: *Et Sosia servos, quoius ego hanc f. i.*

143. Tò *hic* abest a scriptis impressisque vetustioribus, non sine numerorum detrimento, nisi quis legat *habebed*; vid. ad 149.

146. Vulgo hiante versu, *Ea s. nemo horum f.* *Horuncce* Camerarius, quem secutus sum; nunc malim *Ea signa nemod horum* etc.; vide sequentem annotationem.

149. Vulgo *laterna*, metro impedito, cui male prospicientes Basil. 1568 et Par. *cum laterna huc advenit.* I. Lipsius Antiq. Lect. l. II, c. 14: « Quod genus, *inquit*, antiquae scripturae vel sexcentis locis in Plauto occurrit, ut post vocalem in fine dictionis *D* additum reperiatur, ut *Med*, *Ted*, *Sed*, *Meritod* et similia, id intelligi haud dubie Quinctilianus voluit, quum lib. I, (c. 7) scripsit: *Latinis veteribus* D *plurimis in verbis ultima adiecta, quod manifestum est etiam ex columna rostrata, quae est Duillio in foro posita.* » Ita enim propemodum hunc rhetoris locum legendum esse, tunc primum docuit I. Lipsius, hodieque satis constat. Haec vero inter alia leguntur in columnae istius inscriptione, quae Romae spectatur in Capitolio, monumentorum quidem linguae latinae antiquissimum: ... CNANDOD CEPET (*pugnando cepit*) — MARID CONSOL (*mari Consul*) — DICTATORED OL ... OM IN ALTOD MARID (*dictatore ol lo rum* (secundum Lipsium i. e. *illorum*) *in alto mari*) — NAVALED PRAEDAD (*navale praeda*). Latius sane patuit hic usus, quam qui diu ferretur, quumque antiquissimi illud *d* etiam ante consonas interserendo linguam temere asperassent, iam tempore belli Punici secundi, quo Plautus floruit, eo deducta esse res videtur, ut ista litera non nisi vitando collidentium in duobus verbis vocalium hiatui arcesseretur. Certe istius quidem consuetudinis antiquio-

Abigam iam ego illunc advenientem ab aedibus.
Adest. Erit operae pretium hic spectantibus

ris vestigia nunc in Comico supersunt nulla (nisi eo pertineant importuna ista ut Ba. 91 et Pseud. 108), huius vero paucissima apud eum monumenta tum magistrorum veterum prava diligentia, quum priscae loquelae ac scripturae reliquias ex oculis discipulorum amoverent, tum librariorum Christianorum ignorantia oscitantiaque reliquerunt. Sic enim Amph. 554 in omnibus libris *Quid* legitur pro *Qui*; sic Bacch. 1038 MSS. duo Camerariani praeferebant *potavid edi*, vel, quod eodem redit, *potavi dedi* (primitus exaratum fuerat procul dubio scriptura continua: POTAVIDEDI); sic Cas. 124 MSS. Langiani, *unguentad olent*, unde pessime factum *unguenta adolent*; sic Cist. 306 libri, *longe. Destiti* pro eo, quod sententia reponi flagitat, *longed. Institi*, et Curc. 988 *Pone. di quidem*, pro *Poned. equidem*; sic Merc. 967 V. C. *aetate diis*, h. e. *aetated iis*, animadvertente etiam Pareo; sic idem codex Mil. 1260, *Ad sed eas*, pro *Ad se eas*; sic denique idem Poen. 404, *de qui oederis*, pro *de quid* (h. e. *qui*) *ederis*. Eumque potissimum morem seriorem dicere videtur Sosipater Charisius, Latii grammaticorum unus antiquissimus doctissimusque, quum eius tantummodo, non illius antiquissimi, proferat, quod quidem certum sit, exemplum. Digna hominis verba, quae item adscribantur ex collect. Putsch. pag. 87, ubi sic ille: « Haud similiter *d* litera terminatur: *αὐδὴ* enim graeca vox *d* litera terminari apud antiquos coepit, quibus mos erat *d* literam omnibus pene vocibus vocali litera terminatis adiungere, ut Plautus (Curc. 1): *Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras?* » Ad hanc igitur faciem Aul. 328 excudi iussi *quid* pro *qui* ἀμέτρῳ illo, quod vulgatae exhibent; et eiusdem fabulae 400, *quoquod ibo*; et alia eiusmodi passim per totum librum. Vt autem, curiosioribus paulatim factis poëtis, scita verborum positione hiatus aut vitabantur, aut, si qui minus ingrati remanerent, ferebantur: ita usus ille inveteravit in verbis, cum praepositione compositis, qualia sunt *prodesse*, *prodire*, *redarguere*, *redhibere*, *redire*, *redolere*, *reduncus*, similiaque huiusmodi, ex quibus tamen eximendum *antideo*, *antidhac*, et si qua eius generis alia sunt, quae obsoleverunt. Cf. Lud. Carrionis Emendatt. II, 16; Val. Acidalii Divinat. Plaut. pag. 410; nos supra ad 69, item ad Terentii Eun. 1021, Heaut. 739, Hec. 822, Phorm. 260.

151. Vulgo, MSS. et edd. *Adest*, *ferit. Operae* etc. Sed recte Palmerius Spicilegio: « Nusquam adiit ostium Sosia, ut res ipsa loquitur; ante enim a Mercurio vapulat. (Vide vel fabulae vers. 106). Restituo igitur *Adeste: erit operae pret.* etc. Citat animum auditorum: operae pretium enim esse. » Hanc rationem, Dousae et Meursio aliisque satis probatam, ex parte tantummodo cum Mureto iniisse me in exaranda hac editione, magnopere nunc doleo, siquidem nihil verisimilius est, quam literarum E et F inter se similitudinem ansam praebuisse depravandi huius loci, ut continue scriptum ADESTEERIT forte mutatum fuerit in ADESTFERIT, quomodo Asin. 745 *forum* pro *eorum* legitur in plerisque codd., et Stich. 335 *misera*

Iovem et Mercurium facered histrioniam.

SOSIA. MERCVRIVS.

SOSIA

Qui me alter est audacior homo, aut qui confidentior, i. t. I, 1
Iuventutis mores qui sciam, qui hoc noctis solus ambulem?
Quid faciam nunc, si Tresviri me in carcerem conpegerint,
Inde cras e promtuaria cella depromar ad flagrum,

fulgebunt vel *fulgebant*, pro eo, quod nunc obtinet in libris, *miserae algebunt*; et contra, F litera in E versa, *eorum* pro *forum* Asin. 530, et mira corruptione, quam primus ego deprehendi, *eo dico* pro *fodico* Cas. 245. *Adeste* autem pro *Attendite* vel *Favete* etiam Poen. prol. 126 alibique invenitur. Nam si retineamus, quod dedi, *Adest. Erit operae* etc., lectionem quidem habebimus haud absurdam, et, ut ita loquar, motoriam, ut qui modo adveniret, iam advenisse dicatur; sed quid tunc altera E literarum, quae sunt inter T et R in ADESTEERIT, factum esse existimabimus, nisi forte bis positam dicamus literam, quae semel ponenda esset? Sane eiusmodi vitiorum haud immunia veterum scripta: itaque, utra harum lectionum potior sit, iudicium penes lectorem esto. Caeterum τὸ *pretium* non est elidendum; vid. ad Amph. 341.

152. *facered*) Ita reponendo metrum versus sanavimus, de quo solliciti lectionem omnium, quotquot sunt, probatae fidei scriptorum priorumque editorum librorum *et* in *atque* mutaverunt male feriati quidam homines, ut talis scilicet versus (versus autem? imo versus simia turpissima) effingeretur: *Iovem at | que Mer | curium | facere hi | strio | niam.* De addita *d* litera vide ad 149.

V. 1. Vulgo, *aut qui me confidentior.* Sed alterum *hoc me* fere abest a scriptis (e nostris solus M habet) veteribusque editionibus, item Prisciano de versibus Comicis p. 1323 Putsch. Addita haud dubie vox est a sciolo quodam, metrum laborare perperam arbitrato, quum nesciret, extremam syllabam in *audacior* vel porrectam recte haberi, de quo loco egimus ad prol. 38, vel brevem quoque ferri posse in medio iambo tetram. acat., sicut habemus *contigit* 31, *advenimus* 47, *ordined* 55. Etiam ecthlipsis ibi cessat nonnunquam, velut in *fugam* 94, *Pergamum* Ba. 889. Quae licentiae itidem locum habent, alia genera ne commemorem, de quibus idem valet, in eiusmodi versibus catalecticis, quibus saepius Hic et Comici utuntur, et in iambis trimetris hypercatalecticis: vid. Asin. 371 seq. 545, 559, 581, 602, 607, 610, 617, 640, 650, 651, 684, 694 etc.; infra 8, Stich. 21, 27, 31, et nos ad 116.

4. M, *cras de promtuaria cella de-*

Nec causam liceat dicere, neque in hero quidquam auxilii siet,
Nec quisquam sit quin me omnes esse dignum deputent, ita
Quasi incudem me miserum homines octo validi caedant, i. tr. h.
Ita peregre adveniens poplicitus hospitio accipiar?
Haec heri inmodestia cogit, hoc qui noctis med a portu in- t. o.
gratis excitavit! Nonne idem hoc me luci mittere potuit?
Opulento homini hoc servitus dura est! hoc mage miser est divitis servos!

promar ad fl., quod nativa quadam proprietate placet. Velim, id in pluribus libris reperiri. Cf. 59, 61, 62.

5. Vulgo, *dicere mihi*, *neque* etc., versu nimio. Sequor Argentoratensem anni 1514, inutile pronomen, quod cuinsvis erat addere, omittentem. H, *auxilium*, numero meliore.

7. Vulgo, exemplo praecedentis versus inducti, sequens *Ita* huic addunt, metro plane inextricabili.

8. Vulgo *hospitio publicitus*, itidem inconcinne. Versum, sicut hic exhibitus est, laudat Charisius v. *Publicitus* Putsch. 190, nisi quod *poplicitus* scripsi, ut prima vocis syllaba recte corriperetur, quod item feci infra 862: nam pessime quidem ita haec dimetiremur: *Ita pere* | *gre adveni* | *ēns pŭ* | *blicitus* | *hospitı* | o *accipi* | *ar*, quum iam, licentia ista usurpata, de qua ad 1 fabulae versum dixi, sic versus se habeat: *Ita pere* | *gre adveni* | *ens popli* | *citus* | *hospiti* | o *accipi* | *ar*. Vt *poplus* pro *populus*, ita prisci illi dicebant *poplicitus*, *Poplicola*, *Poplilius*, *Poplipor*, et quae sunt huius generis alia. Bene autem hominis animo commoto subinde mutata conveniunt, eaque omnia magni spiritus, metra; et hoc quidem in loco mirum quam apte inter iambos plenos et trochaicos interseruntur iambici hi catalectici, transilu aures fallente; cui arti non semper Plautus, sed semper studet Terentius.

9. *cogit*) Sic Pall. 1, 2, 3, 4, 6, G, M, ut versus rescribi iubet, pro *coëgit*, quae est vulgata lectio. Transpositiones quasdam verborum, metri potissimum causa factas, neque hic neque in sequentibus annotabo: quis enim modus esset talium annotationum futurus?

10. *hoc* adverbium est scriptura prisca pro *huc*, ut recte Gruterus. — *luci*. Charisius Putsch. 182: « *Luci*. Plautus in Amphitryone, *Hoc luci*, ubi Sisenna: Quaecumque nomina *e* litera ablativo singulari terminantur, *i* litera finita adverbia fiunt, ut *mani* ». Vid. etiam ad Capt. prol. 15.

11. De pronuntiatione τοῦ *servitus* monui ad prol. 90. *Divitis* vel simili modo efferendum, vel legendum est ut *diviti*, abiecta ex more prisco *s* litera extrema. Et hoc quidem praetulerim.

Noctesque diesque adsiduo satis superque est, i. tr. h.
Quo facto aut dictod est opus, quietus ne sis.
Ipse dominus, dives operis et laboris expers,
Quodcunque homini accidit libere, posse retur;
Aequom esse putat, non reputat, laboris quid sit;
Neque, aequom aune iniquom imperet, cogitabit. b. t.
Ergo in servitute expetunt multa iniqua;
Habendum et ferendum hoc onust cum labore.

MERCVRIVS

Satiust, me queri illo modo servitutem
Hodie? qui fuerim liber, eum nunc potivit
Pater servitutis; b. d.

12. *adsiduo*) Quidquid sentiunt de etymo huius verbi Cicero, Quintilianus, Gellius, Charisius, Caper, alii, certum est, Hunc id non derivare ab assibus dandis, sed ab eo quod est *adsidere* vel secunda coniugatione vel tertia. Intelligitur hoc ex prosodia verbi, quum *i* literam modo brevem Hic habeat, velut Trin. 181, Truc. 395, modo porrectam, ut h. l., ubi nisi το *adsiduo* mensura poni dicatur epitriti tertii (— — ᴗ —), in planissima via (quid enim planius, quid apertius, his iambis trim. hypercat.?) pessime titubabimus, et Most. 934, quo loco adverbium *adsiduo* trochaïcum claudit octonarium catalecticum. Sic autem me iudice legendus est is locus, paulum affectus in vulgatis editionibus: Pʜ. *Aio.* Tʜ. *Atque eam manu emisissed?* Pʜ. *Aio.* Tʜ. *Et postquam eius pater Hinc siet profectus peregre, perpotasse adsiduo Tuo cum domino?* Si ab assibus duendis originem horum verborum Plautus repetiisset, *i* literam ubique in iis corripi apud eum pariter atque apud seriores scriptores necesse foret. Intelligi autem locupletem, sicut in legibus XII tabularum, ipsa loci ratio ostendit.

13. Vulg. *aut dicto adest opus*) I. Gulielmius Verisimm. II, 6 pessime haec, sicut infra versus 63–91 Acidalius Divv. in fab. c. 5, in formam iambicorum senariorum redigens, id tamen bene animadvertit, semper Latinos dicere *Est opus facto*, nunquam eo modo, quo vulgo legitur h. l. Potior haec ratio septem libris manu scriptis (quamquam in tribus tantummodo τὸ *adest* invenisse se testatur Pareus) et omnibus, quotquot sunt, editionibus, quas crepat Taubmanni invidia, nihilque verisimilius Parei (nam Parei est, non Gulielmii) correctione *dictod est*, quam scripturam praesertim continuam, qua olim utebantur, quam ab ignaris istius *d* literae usus antiquissimi mutari proclive fuerit, neminem latere potest. Vide ad prol. 149.

19. Mediol. 1500, Iunt., Argent. 1514, Ven. 1522, Paris. 1530 *Jerusdum*, quod per se neutiquam sperneudum, nisi credibile est, ho-

Hic, qui verna natust, queritur. t. d.
Sum vero verna verbero!

SOSIA

Numero mihi in mentem fuit, i. t.
Dîs advenientem gratias pro meritis agere atque adloqui.
Nae illi edepol, si merito meo referre studeant gratias,
Aliquem hominem adlegent, qui mihi advenienti os occillet probe:
Quoniam bona, quae in me fecerunt, ingrata ea habui atque inrata.

MERCVRIVS

Facit ille, quod volgo haud solent, ut, quid se sit dignum, sciat.

SOSIA

Quod nunquam opinatus fui, neque alius quisquam civium,
Sibi eventurum, id contigit, ut salvi potiremur domum.
Victores, victis hostibus, legiones reveniunt domum,
Duello extincto maxumo atque internecatis hostibus.
Quod multa Thebano poplod acerba obiecit funera,

moeoteleuton quaesivisse Comicum.

24. *Numero*) MSS. et edd. fere, *nunc vero*, sed noster G, *num eri*, prope veram lectionem, quam servavit Nonius.

28. *ingrata atque inrata*) Proverbialis locutio, quam itidem habes Asin. 120. *Iurata* dedi pro vulgato *Irrita*, quum more scribendi in compositis adductus veteri, tum studio homoeoteleuti, quod amat Plautus. Infra 719 M, *infacta*, et 760 plane codex G, *irrata*. Cf. et 64 nosque ibi, et Aul. 754, 750, item Heusinger. ad Cic. de Officc. II, 23, 10; III, 10, 19; 14, 2.

29. *solent*) G et M *solet*, quod haud deterius. Neque propterea versui timendum: vid. ad 1.

33. Tres Pall., item G, H, M, et pleraeque edd. vett.: *internectis*, quod verbum agnoscit Priscian. 623 Putsch. Pal. 5, *interemtis*.

34. *Quod*) Sic Pall. 3, 5, et aliquot edd. mediae, quomodo Scal. reponendum vidit: nam vulg. *Qui* legitur, perquam absurde. Saepe compendia horum verborum fefellerunt librarios, velut prol. 117 H exhibet *Qui ego*.

34. Vulg. *populo*, inconcinne quidem et de trivio.

Id vi et virtute militum victum atque expugnatum oppidum est,
Imperio atque auspiciod heri mei Amphitruonis maxume.
Praeda atque agrod adoreaque adfecit popularis suos,
Regique Thebano Creonti regnum stabilivit suom.
Me a portu praemisit domum, haec ut nuntiem uxori suae:
Vt gesserit rempublicam ductu, inperio, auspicio suo.
Ea nunc meditabor, quo modo illi dicam, quom illo advenero.
Si dixero mendacium, solens meo more fecero:
Nam quom pugnabant maxumed, ego fugiebam maxume;
Verum, quasi adfuerim, tamen simulabo atque audita eloquar.
Sed, quo modo et verbis quibus me deceat fabularier,
Prius ipse mecum etiam volo hic meditari. — Sic hoc proloquar.
Principio ut illo advenimus, ubi primum terram tetigimus,
Continuo Amphitruo delegit viros primorum principes;
Eos legat; Telebois iubet sententiam ut dicant suam:
Si sine vi et sine bello velint rapta et raptores tradere,
Si, quae asportassent, reddere: se exercitum ex templo domum

36. Vulg. *auspicio*, versu impingente. Nusquam fere, nisi in *med* et *ted*, *d* literam vocales dirimentem antiquitus exhibent vulgati libri, tam scripti quam impressi; quod semel moneo.

43. Recensor veteris codicis, qui κατ' ἐξοχὴν hic dicitur, h. e. libri illius antiqui membranacei, quo potissimum usus est in emendando Plauto Camerarius, eius igitur codicis Recensor, teste Pareo, inter *ego* et *fugiebam* supra lineam *tum* addiderat, ad versum, puto, sarciendum. Sed tali is tibicine non eget.

44. Vulg. *invitis*. V. C. et editionibus Iunt. Venet. 1522, Paris. 1530, Basil. 1568, pessimeque modulato versu, editur: *Verumtamen quasi affuerim*. Rarissime, si unquam, iambi tetram. tam acat. quam cat. alium pedem metricum quam purum iambum in incisionibus admittunt.

51. *reddere*) Ita doctus Corrector

Reducturum, abituros agrod Argivos, pacem atque otium
Dare illis; sin aliter sient animati, neque dent, quae petat:
Sese igitur summa vi virisque suom oppidum expugnassere.
Haec ubi Telebois ordined iterarunt, quos praefecerat
Amphitruo: magnanimi viri, freti virtute, et viribus
Superbi, nimis ferociter legatos nostros increpant:
Respondent: bello se et suos tutari posse: proinde uti
Propere de finibus suis exercitum deducerent.
Haec ubi legati pertulere: Amphitruo castris eloco
Producit omnem exercitum; contra Teleboae ex oppido
Legiones educunt suas, nimis pulchris armis praeditas.
Postquam utrimque exitum est maxuma copia, c. t.
Dispartiti viri, dispartiti ordines:

veteris codicis, in quo quum scriptum esset, sicut in caeteris libris, *redderent*, quum *reddant* temporum requireret consecutio, literas *nt*, si Pareo fides, scalpello is erasit fecitque *reddere*, quo nihil melius est excogitare. Versui quo minus cavendum putes, obstant, quae monuimus ad 1. Caeterum verbis *Si quae asportassent*, *reddere* altera exprimitur, eaque lenior, pacis conditio, ut solummodo rapta tradantur, non item raptores: ne ταυτολογίαν bis inesse arbitreris. Bene asyndeton usurpatum in rebus trepidis animisque perturbatis, quales hic dicuntur.

54. *suum*) Ita G, bene; vulg. *eorum*. Forma rarior tritiori, sicut passim, cessit.

57. Langg. *ferocitus*, quod specie antiquitatis blandiebatur Grutero Suspicc. III, 3; sed plurium librorum expectanda sunt suffragia: nam codicis quidem veteris scriptura *ferocit* nihil aliud valet quam vulgata.

58. Pal. 4, et aliquot edd. recentiores, in his Iunt., *bello et se*. Equidem ταυτολογίᾳ offensus (nam quid ad sensum interest inter *se* et *suos*?), libenter rescripserim, deleta copula, *se suos*.

59. Codd. fere, etiam nostri H et M: *P. de suis finibus*. Reposuerim numero meliore: *P. suis de fin.*

60. *eloco* pro vulgato *illico*, ubi significat *statim*, ubique scripsi, more prisco, monitus a Salmasio ad Truc. 416, Gulielmio Verisimm. II, 13, Gronovio ad Epid. 137. Et sic semper MSS. Camer., non *Illico*, teste Taubmanno, vel potius Grutero, ad Truculenti l. l.

60. H, *Amph. a castris*, edd. Iunt. Venet. 1522, Paris. 1530, Basil. 1568, *a castris*, utrumque ex interpr.

64. *Dispartiti*) Sic utroque loco Pall. praeter 4, et V. C, item nostri MSS. 3; Iunt. *Partiti* priore loco, posteriore *dispertiti*, sicut utrobique Aldus caeteraeque fere edd. Vide

Nostros nos more nostro et modo instruximus; item
hostes contra legiones suas instruont;
Deinde uterque imperator in medium exeunt,
Extra turbam ordinum conloquontur simul:
Convenit, victi utri sint eo proelio,
Vrbem, agrum, aras, focos seque uti deduint.
Postquam id actum est: tubae utrimque contra canunt;
Consonat terra; clamorem utrimque ecferunt;
Imperator utrimque hinc et illinc Iovi
Vota suscipered, hortarier exercitum;

Pontederae de veteri scribendi ratione libellum, scriptoribus de re rustica nuper insertum a celeberr. Schueidero, nosque ad 28, 719, 891, 954, Aul. prol. 19, Aul. 235, 282, Poen. 373, Stich. 704.

65. *Nostros*) Sic plane codex G, versumque sequentem τῷ *Hostes* incipit. Vulgatum *nostras* locum praebuit addendo glossemati *legiones*, quo metrum evertitur. Paeon primus - *struximus* i - pro cretico legitime usurpatus est. Quod autem *Nostros nos* pro *Nos nostros* (nam sic vulgati codd.) iussi exarari, ideo feci, ne molossus pro cretico rite adhibitus accentu mediae syllabae vitiaretur, exutaque sua natura (Nôstros nūs) pro ionico a minore (Nos nōstrōs) habendus esset. Similiter infra 83 et Merc. 187 item Poen. 271 peccatur in vulgatis libris.

67. *uterque*) Sic Pall. 2; caeteri Pall. ad unum omnes, item H, M et vv. edd. *utrique;* Langg., G et Serv. Fuldens. a Pareo laudatus, *utrinque*, quod haud cunctanter recepissem in ordinem, quum *utrique* plane absonum sit, ut quod versui contrarium *imperatores* requirat, si de fide locutionis *Vtrimque imperator exeunt* pro *Vterque imperator exeunt*, vel *Vtrique imperatores exeunt*, mihi constitisset. Facile autem fieri potuit, ut sciolus quidam τῷ *exeunt* accommodandum nominis pluralem numerum arbitraretor, itaque pro gennina Plauti manu *Vterque imperator* daret, ut nunc passim legitur, *Vtrique imperatores*, quod deinceps mutatum fuerit in *Vtrimque imperatores*. Certe *imperator* reponi iubet metrum creticum, neque desunt similium exempla depravationum, velut Most. 164 exhibetur: *Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum*, quum itidem ipsius metri gratia legendum sit: *Non vestem amator mulieris amat, sed vestis fartum.* De productione *or* syllabae in *imperator* h. l. et 73, vide nos ad prol. 38.

68. Pleraeque edd. vett., in quibus Iunt., *colloquontur*, pro more antiqui istius seculi; caeterae *colloquuntur*. Sed talia ut corrigamus, ne librorum quidem, recentiorum praesertim, requiritur auctoritas.

70. Vulg. *dederent*, turbata temporum consecutione.

74. Vulg. *hortari*, hiatu admisso contra morem Plautinum. Argent. 1514, *hortarique*. Similiter infra 612

Pro se quisque id, quod quisque et potest et valet,
Edit, ferro ferit; tela frangunt; boat
Coelum fremitu virum; ex spiritu et anhelitu
Nebula constat; cadunt volnerum vi virum
Hostes; crebri cadunt; nostri contra ingruont:
Denique, ut voluimus, nostra superat manus;
Vicimus vi ferocis. c. d. h.
Sed fugam in se tamen nemo convortitur, c. t.

scripsi *circumferrier* pro vulgato *circumferri*, et passim talia correxi. Quod semel moneo. Vide tamen infra ad 341.

75. Vulg. *quisque potest*, cum ruina versus.

77. Vulg. ex *spiritu atque anhelitu*, passumdato metro, nisi quis probet huiusmodi poenem: *spīrĭtu ătque ăn–*. Atqui coniunctio plerisque omnibus libris abest, si a vetere codice discesseris, legiturque fere in scriptis, etiam G et M, *spiritus anh.*, in quarto vero Palatinorum nostroque H: *spiritu anh.*, versu hiante, quem bene explent Sarracen. 1499, Mediol. 1500, et Argent. 1514, et coniunctione, quae forte periisse putanda est, ut facillime quidem potuit, accita.

78. Vulg., *cadunt volneris vi et virium*, perquam absurde versuque iugulato. G plane, *virum*, sententia metroque paritee restitutis. *Volneris* si quis ita defensum eat, ut numerum singularem pro plurali usurpatum dicat, modo exempla proferat idonea talis usus, non repugnabo.

79. 80. Sequor edd. Iunt. Argent. Venet. 1522, Paris. 1530, versus hos ita collocantes: nam vulgo quidem 80 alterum antecedit. Prava autem istae interpunctione in fraudem inductae, prius *cadunt* omittere potius quam ταυτολογίαν, quae videbatur his inesse, admittere maluerunt, quum admodum graphice primum hostes, hoc est aliquos hostium, cecidisse dicat servulus, mox crebros cecidisse, dein iam Thebanos ingruisse, tandemque vicisse.

81. Clausulae creticorum in caesuris fieri solent, vel post primum pedem, ut 91, Epid. 314, Rud. 578, 585, vel post alterum, ut h. l. et Capt. 145 et Curc. 135 et Pseud. 577. Dantur etiam aliae, quae trimetro constant cretico vel trimetro hypercat. vel denique tetrametro cat.: vid. Rud. 148, 168, Capt. 147, Triu. 223. Saepe autem negliguntur.

82. *Sed fugam in se tamen nemo convortitur*) Hoc est, quoniam de sententia loci dubitari video, anastrophe usurpata positoque verbo passivo loco activi, quod quidem hic fieri, iam pridem Nonius annotaverat: *Sed nemo tamen se convortit in fugam*. Sicut hic *fugam in* pro *in fugam*, ita Curc. 463 habes *quo in* pro *in quo*, similiaque passim leguntur, quorum satis longum catalogum det Parens in Lexici Plautini Mantissa v. *Anastrophe*. Neque minus Huic solennis vocum passivarum pro activis usurpatio. Priscianus p. 799 Putsch.: » Multa, *inquit*, similiter ancipiti terminatione in una eademque significatione protulerunt antiqui, ut partio et partior, munero et muneror, mino et minor, minito et minitor,

Nec recedit loco, statim quin rem gerat;
Animam amittunt priusquam loco demigrent;
Quisque, ut steterat, iacet obtinetque ordinem.
Hoc ubi Amphitruo conspicatust herus:
Eloco equites iubet dextera inducere.
Equites parent citi: ab dextera maxumo
Cum clamore involant, impetu alacri *suo*
Foedant et proterunt hostium copias
Iure iniustas. c. h.

MERCVRIVS

Nunquam etiam quidquam adhuc verborum est prolocutus perperam: i. t.
Namque ego fui illi in re praesenti, et meus, quom pugnatum est, pater.

SOSIA

Perduelles penetrant se in fugam: ibi nostris animus additust:

meridio et meridior, modulo et modulor, mero et metor, modero et moderor, mutuo et mutuor, mentio et mentior, *observo* et *observor*, *praeverto* et *praevertor* » etc.

83. Vulg. *quin statim*, sicut supra 65, *nos nostros*: nam *statim*, porrecta priore syllaba, sic accipiendum h. l. ut infra 120.

84. *amittunt*) Sic Pal. 4 et Corrector codicis M; G et H, *obmitto*: caeteri, *Animam omittunt*, quomodo haud scio an nullus veterum locutus sit.

85. Taubmannus et Gronovius, quos ceu caecus ubique sequitur Ernestus: *uti*, versu temere corrupto invitisque libris omnibus, tam scriptis quam impressis. Caeterum (ne quis porrectam posteriorem τοῦ *iacet* syllabam miretur) incisio creticorum tetrametrorum fieri solet post alterum pedem, ibique quoniam, praesertim vel non obstante vel etiam adiuvante sententia, vocem inhibere aliquantillum licet, eius pedis extremae syllabae sunt ancipites, sicut extremorum versuum mediorumque asynartetorum. Vide nos infra ad Scenae *Di vostram* 55, item Asin. 118, 121, Most. 108.

89. Verbum *suo* addidi, ut numeri utcunque sibi constarent. Quum tamen MS. Pirkheimeri olim non *alacri* exhiberet, sed *volucri*, qua parte adstipulantes habet a nobis inspectos libros G et M, videndum, annon potius legi possit: *impetud üolucri* (quomodo *suada* pro *suada* similiaque passim inveniuntur), nulla praeterea facta mutatione.

91. Vid. ad 81. Vulgo haec antecedenti versui adduntur.

93. *illi*) Vulg. *illic*, numeris durioribus. Frequentant illam formam inprimis Plautus et Terentius.

94–98. De pronuntiandis vocibus

Vortentibus Telebois telis complebantur corpora,
Ipsusque Amphitruo regem Pterelam suad obtruncavit manu.
Haec illic est pugnata pugnad usque a mane ad vesperum;
Hoc adeo hoc conmemini magis, quia illo die inpransus fui:
Sed proelium id tandem diremit nox interventu suo.
Postridie in castra ex urbed ad nos veniunt flentes principes,
Velatis manibus; orant, ignoscamus peccatum suom;
Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem et liberos,
In deditionem atque arbitratum cuncti Thebano poplo.
Post ob virtutem hero Amphitruoni patera donata aurea est,
Qui Pterela potitare rex est solitus. Haec sic dicam herae.
Nunc pergam heri imperium exsequid, et me domum capessere.

MERCVRIVS

Attat, illic huc iturust: ibo ego illid obviam, t. t. c.
Neque ego hunc hominem hodie ad aedis has sinam unquam accedere.
Quando imago est huius in me, certum est hominem eludere.
Et enimvero, quoniam formam cepi huius in med et statum,
Decet et facta moresque huius habere me similis item:

Perduelles et *quia* vid. ad prol. 74 et 90.

103. Male Taubm. et Gronov., *ditionem*, quum libri omnes Pall. praeferunt, id quod et in nostro G legitur, *deditionem*. *Arbitriam* pro *arbitratum* plerique scripti, etiam a nobis collati 3, minus quidem exquisite.

107. *Illi* vulgatum retinendum et ἀνεκθλίπτως legendum est: vide infra ad 341.

108. Τὸ *hominem* item non eliditur: vid. ad prol. 69 et inprimis infra ad 341.

Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum,
Atque hunc telo suo sibi malitia foribus pellere.
Sed quid illuc est? coelum adspectat: observabo, quam rem agat.

SOSIA

Certo edepol, si quidquam est aliud, quod credam aut certo sciam,
Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium:
Nam neque se septentriones quoquam in coelo conmovent,
Neque se luna quoquam mutat atque uti exorta est semel:
Nec iugula, neque vesperugo, neque vergiliae occidunt:

113. Vulg., *malitia, a for.*, ingrate concurrentibus inter se duabus *a* literis porrectis.

116. Ecthlipsis cessat in *Nocturnum*, quod frequenter fieri etiam in caesuris trochaïcorum tetram. catal. (neque ab acatalecticis hoc abhorret), monuit doctus Censor Trinummi Hermann. in ephem. litt. Ienens. n. 226-228 anni 1805. Protulit is quoque satis magnam exemplorum copiam, sed quorum fides, si a tribus discesseris, quae habentur Amph. 684, Asin. 521, 908 nostrae edit., quibus addo Amph. 355, As. 182, Rud. 821, 965, parum est explorata. Sane dicendum, longe rarius vel ecthlipsin neglectam vel hiatum reperiri in hoc versuum genere, quam in istis iambicis, de quibus exposuit ad 1. Reperitur tamen ibi quoque utraque illa figura prosodica, neque est quod eiusmodi licentiis offendamur cogitemusque de emendandis locis, qui sunt sanissimi, velut hic novare cupit Iac. Durantius Casellius Varr. Lectt. II, 14, inducendo ex nescio quo libro *Nocturninum* illud, quod legitur apud D. Hieronymum libro adversus Vigilantium et in Martiano Capella.

119. *iugula*) Scripti quidem cogniti, *iugulae:* sed edd. aliquot haud contemnendae, velut Iuntina, Ald., quae non ubique illius vestigia premit, item Paris. 1530, Basil. 1568, *iugula*. Et hoc quidem (quod maximi momenti est) Varronis, Festi, et glossatoris cuiusdam, quod hominum genus antiqua sectari solet, suffragiis adiuvatur. Varro de L. L. l. VI, c. 3: « Iugula, *inquit*, signum est, quod Attius appellat Oriona, quum ait: Citius *Orion* patefit. Huius signi caput diditur in stellas quatuor (sic enim vulgatam lectionem *dicitur e stellis qu.* emendandam puto), quas infra duae clarae, quas adpellant humeros. Inter quas, quod videtur iugulum: unde Iugula dicta. » Festus: « Iugula stella est Orion: dicta, quod amplior sit caeteris, quasi nux iuglandis. » Denique glossator ἀνώνυμος apud Pareum in lexico v. *Iugulae:* « Iugula ἄστρον Ὠρίωνος. » An-

Ita statim stant signa; neque nox quoquam concedit die.

MERCVRIVS

Perge, Nox, ut occoepisti! gere patri morem meo!
Optume optumo optumam operam das, datam pulcre locas.

SOSIA

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem;
Eam quoque edepol etiam multo haec vincit longitudine.

tiquiores igitur, nisi multum fallor, *Iugulam* dixere Orionem, non ingulas: nec tamen hoc propterea improbo apud seriores, velut Manilium V, 175: siquidem ut stella, id est sidus, in *Iugula*, quod ex Festo colligas, ita in *Iugulae* intelligendum stellae. Quid autem de ipso verbo *Iugula* existimabimus? nam vix, et ne vix quidem, probari potest Varronis derivatio; nec melius, quod Festus profert. Sane *Iugulus* recto tramite venit a *Iugus*, quod veteribus idem τῷ *Iugis*, unde habemus apud Catonem et Varronem *iuga vasa*, et apud Festum,sed activo sensu,Iunonem *iugam*. Significatur itaque proprie τῷ *Iugula* sive *Iugulae* sidus quoddam iugulis, hoc est iugis sive iugibus continuisve, stellis constans, quumque Orionem hoc nomine designari in confesso sit, neque is tamen totus continuis stellis contineatur, sed pars tantum eius, quae Cingulum nunc dicitur, noli dubitare, quin hoc solum initio sic vocatum fuerit, mox vero totum sidus ab hac parte eius praecipua splendidissimaque similiter sit appellatum. Vox *vergiliae* sequente vocali non eliditur, quod quo minus mirere, considerauda est antiqua pronuntiandae scribendaeque ratio linguae latinae. I. Lipsius De recta eius pronuntiatione cap. 11: «AE, *inquit*, antiquioribus paullum AI scripta, ritu Graeco. AIMILIA et AIRA et similia «(velut AIDES, AIDILES, AIRE, CAISARE, QVAISTORES, ROMAI, VICTORIAI etc. apud Pontederam l. l. ad 64)» occurrunt in monumentis. Et quum circiter Tullii Augustique aevum exolevisset, retrahere conatus Claudius Imp. publico etiam scito. Itaque lapides omnes illius aevi eam habent. Sed obiit abiitque iterum cum illo. Sonus eius quis? Idem qui Graecanicae» etc. Vide etiam ad 341.

122. *Optume optumo*) Hic horum verborum ordo est in edd. aliquot vett., velut Iant., quo approbato id assequimur, ut *Optume*, vox totius sententiae gravissima, praecipuo versus loco collocetur. Scripti fere, *Optumo optume*.

123. G, *noctu*, sicut 116.

124. *Nisi* priorem syllabam longam habet h. l., sicut alibi interdum, velut Merc. 704, Poen. 364, Pseud. 231, 942, Rud. 485, 657. G mirifice, *per pedem*.

125. *vincit*) Ita Pall. 5, 6, H, edd. aliquot vett., Dousa, et hoc sententia requirit, quum de re nondum

Credo edepol equidem dormire Solem, atque adpotum probe.
Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum.

MERCVRIVS

Aiin' vero, verbero? esse deos tui similis putas?
Ego pol te istis tuis pro dictis et malefactis, furcifer,
Accipiam! modo sis veni huc: invenies infortunium!

SOSIA

Vbi sunt isti scortatores, qui soli inviti cubant?
Haec nox scita est exercendo scorto conducto male.

MERCVRIVS

Meus pater nunc pro huius verbis recte et sapienter facit,
Qui conplexus cum Alcumena cubat amans, animo obsequens.

SOSIA

Ibo, ut, herus quod imperavit, Alcumenae nuntiem.

acta, sed de ea, quae agatur, sermo sit. Vulg. tamen, *vicit*.

128. *Aiin'* geminata *i* litera scripsi (nam vulgo, *Ain'*), ut de producenda priore vocis syllaba constaret. Audi, sis, Priscianum lib. I, p. 545 Putsch.: « *I* quidem modo pro simplici, modo pro duplici accipitur consonante. Pro simplici, quando ab eo incipit syllaba in principio dictionis posita, subsequente vocali in eadem syllaba, ut *Iuno*, *Iupiter*. Pro duplici autem, quando in medio dictionis ab eo incipit syllaba post vocalem ante se positam, subsequente quoque vocali in eadem syllaba, ut *maius*, *peius*, *eius*; in quo loco antiqui solebant geminare eandem *i* literam, et *maiius*, *peiius*, *eiius* scribere, quod non aliter pronuntiari posset, quam, si cum superiore syllaba prior *i*, cum sequente altera proferretur, ut *pei ius*, *mai ius*, et duo *i* pro duabus consonantibus accipiebant » etc. Ipsum Ciceronem scribere solitum fuisse *Aiio*, *Maiiam*, testis est Quintilianus Institut. orat. I, 4, ubi vidd. inttpp. Paullum a regula Prisciani devertit *Huic*, quomodo passim apud Comicum legendum est metri causa, velut infra 537, Bacch. 449, 721, Rud. prol. 39.

131. Abripi me passus sum editionum aliquot mediarum, in his Iuntinae, item Camerarii, Dousae, Taubmanni, Gronovii denique auctoritatibus, ut scripturam Palatinorum, si ab uno, eoque omnium novissimo, sexto discesseris, nostrorumque H et M, et editionum antiquissimarum, in quibus legitur *soliti inviti*, vel, quod eodem redit, *soliti initi*, novo commento posthaberem. Scribendum esse, sicut prima editione Pareus scri-

Sed quis hic est homo, quem ante aedis video hoc noctis?
Non placet.

psit, *solite* pro *soli* ostendit locus geminus, qui est Mil. 282, ubi quum alteri servo quaerenti, *Quod id est facinus?* alter respondit, *Impudicum: tute sci solite tibi*, inquit Palaestrio; hoc est: Tute id scito pro more, ut qui saepe talium tibi sis conscius. Ibi duo MSS. Camerar. dilucide, *solite*, neque erat, quod eam scripturam mutare cuperent, quum similiter dicantur *recte*, *promte*, *sedate*, *meditate*, alia, *insoliteque* etiam legatur apud scriptorem non incuriosum et antiquitatis studiosissimum, D. Augustinum Doctr. Christ. II, 23 extremo.

136. *Hic* pronomen corripitur h. l. sicut passim, etiam apud Epicos, velut Lucretium VI, 9, Virgil. VI, 792. Diomedes p. 423 sq. Putsch.: « Communis syllaba est longa in brevem, vel contra, certis observationibus versa. Communium syllabarum modi sunt septem. — Sextus est, quum pronomina *hic* vel *hoc* « (hoc quidem primo et quarto singularis casu, ut monet Faërnus ad Terent. Andr. 207; cuius rei exempla habes Aul. 624, Most. 429, Terent. Andr. 173 primo pede, alibi) » c litera terminata, vocalis statim subsequitur, quando in his pronominibus c litera crassum et quasi geminatum continet sonum, ut (Virgil. l. l.): hic *vir*, hic *est*, *tibi quem promitti saepius audis*: est enim in hoc tam prima syllaba longa, quam tertia brevis. » (Similiter *hic* pronomen corripitur inprimis Ba. 1161 et Pers. 544, qui sic se habet: *Hospes ille, qui has tabellas attulit.* Do. *Hiccine est?* To. *Hic est.*) De hisce igitur pronominibus satis constat, non minus recte corripi, quam produci. Sed idem valere in adverbia *hic* et *huc*, certe apud nostrum Comicum, non ita pervulgatum est; quam rem exemplis idoneis probavi ad prol. 140, nec me movet Donatus (si quidem Donatus is est), quum dicit Putsch. 1753: « *Hic* correptum, pronomen est; *hic* productum, adverbium loci. » Vox *homo* hic et 139 et passim apud Hunc posteriorem syllabam longam habet, more antiquo in verbis o litera finitis. Diomedes Putsch. 430, quocum tantum non verbotenus concinit Charisius ib. 5: « Illud etiam, *inquit*, magna cura videndum est, quod *veteres omnia verba vel nomina, quae o litera finiuntur, item adverbia vel coniunctiones, producta extrema litera proferebant*, adeo ut Virgilius quoque idem servaverit, quamvis tamen refugerit incultae vetustatis horrorem, et carmen contra morem veterum levigaverit. Invenitur autem apud Virgilium in verbo posita brevis, ut (Ecl. VIII, 43): *Nunc scio, quid sit amor*, et (Aen. III, 602): *Hoc sat erit. Scio me Danais e classibus unum.* Quod quia in uno verbo videtur, in synaloephen contrahunt, qui servandam vetustatis consuetudinem putant. Illam autem ego fuisse opinor rationem, quod veteres, secuti Graecos (apud quos ω litera ubique quidem natura longa est, plurimum tamen in extrema verbi syllaba ponitur), etiam in sermone communi sive prosa orationa similiter proferebant: ita, dum id usurpavit prosa, versus obtinuit. Paulatim autem usus invaluit, ut in sermone nostro, ut *scribo*, *dico*, et in caeteris eiusmodi, o non solum correpta ponatur, sed etiam ridiculus sit, qui eam produxerit. Mirum ergo

MERCVRIVS

Nullus est hoc meticulosus aeque.

SOSIA

Mi in mentem venit:
Illic homo hocce denuo volt pallium detexere.

MERCVRIVS

Timet homo: deludam ego illum.

non est, si consuetudinem sequitur versus, nisi sicubi (ita legendum, sicut apud Charisium l. l., pro *sit ubi*) poëta maiorem sibi licentiam vindicavit.» Sic igitur etiam Ennius de Fabio Cunctatore apud Ciceronem in Catone maiore: *Vnus homō nobis cunctando restituit rem*; et Terentius Heaut. 25: *Homō sum: humani nihil a me alienum puto.* Sic *ambo* producta posteriore syllaba legitur Virgil. Eclog. VII, 4, Aen. IX, 446; *cito* Bacch. 167, et certius etiam Terent. Heaut. 323; *ego* Mil. glor. 1192; *modo* Asin. prol. 5 etc. Cf. G. I. Voss. lat. prosod. Amstelaed. 1707, pag. 130.

137. Vulg. *aeque*) So. *quem? in m. v.* ex correctione Meursii, ut in *quem?* intelligatur, *video hoc noctis ante aedes?* quo nihil fingi potest frigidius. Aliquot Pall., item noster G, nulla facta interpunctione: *quem in m. v.*; V. C. Pall. 4, teste Pareo, *quem in m. v.*, quod Camerarius admisit, suffragante Taubmanno; Pall. 1, 2, *quem mihi in m. v.*; H, *quid in m. v*; M denique, *que in m. v.* Et hic quidem liber Palatinique 1 et 2 fontem mihi erroris aperire videntur, ut τὸ *que*, praesertim in script. continua omissaque, pro more veterum codicum, nota personae Sosiae, forte repetitam putemus verbi *aeque*, quod antecedit, posteriorem syllabam, quo facto et in litera τοῦ *mi* sequentis initiali huic figmento addita, ut *quem* existeret, proclive fuit, contrario descriptorum vitio, alteram *i* literarum, quae insunt vocibus *mi in*, omitti scribique primum: *aeque quemi in mentem*, mox gliscente corruptione: *aeque quem in mentem*, sicut nunc legitur. Certe τὸ *mihi* quum in pari proborum librorum reperiatur, minime spernendum duco, *quem* vero istud, quod pronomine recepto ne locum quidem in versu habet, ad sententiam prorsus est inutile.

138. Vulg. *hoc*, numero imperfecto. Priscianus libro XV, ubi agit de *ille*, *ipse*, *iste*, *is*, *hic* pronominibus, et ultimi quidem horum casibus singularibus, qui in *s* desinunt: «Quibus, *inquit p.* 958 *Putsch.*, frequenter auctores solent addere *ce* syllabam: *huiusce*; quomodo et pluralibus eius in eamdem terminantibus consonantem, ut *hisce*, *hosce*, *hasce*, quamvis reliquis quoque casibus vetustissimi addebant eandem *ce* syllabam: *hicce*, *haecce*, *hocce*. Vnde vocali quoque sequente e ablata per synaloepham, manentibus duabus *c*, solebant producere *hoc*, ut Virgilius in Aen. II (664): *Hocc erat, alma parens, quod me per tela, per ignes Eripis.* Sed scriptorum negligentia praetermisit unum *c*.» Cf. Ve-

SOSIA

Perii, dentes pruriunt:
Certe advenientem hic me hospitio pugneo accepturus est.
Misericors est, credo: nunc, propterea quod me meus herus 141
Fecit, ut vigilarem, hic pugnis faciet hodie obdormiam.
Oppido interii! obsecro hercle, quantus et quam validus est!

MERCVRIVS

Clara advorsum fabulabor: hic auscultet, quae loquar.
Igitur mage modum in maiorem in sese concipiet metum.

lius Longus de Orthogr. ibid. 2219 et Mar. Victorinus p. 2467.

139. *Perii*, exuto proprio significato, pro interiectione ponitur apud Comicos, omnesque propemodum animi affectus exprimit, sicut αἰβοῖ, οἴμοι, φεῦ Graecorum. Cf. Terentii nostri index h. v. Libri plerique tam scripti quam impressi, etiam H et M, *proh*; alii, *pol*; utrumque inconcinne. Persimilia *per* et *pro* praepositionum compendia in codicibus.

140. *pugneo*) Scripti fere, *pugne*, impressi *pugnae*. «Et illud teneri potest, *inquit Acidalius Divinn. p.* 11, quamquam ego sane malo levissima mutatione, *hospitio pugneo.* Mirum hoc quanto elegantios; et profecto non aliter scripsisse Plautum adiurarim, maxime quis similiter in eadem voce ludit Rudente (667): .... *si attigeris ostium, Iam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugneis.* Nec autem vel propria pognam hic dixeris, vel cum aliqua gratia pugnae hospitium; *pugneum* venustissime ex eo, quod pugnis accipiebatur postea, non sane nimis hospitali comitate.» Sic perbene vir ingeniosus, siquidem hoc modo loqui et iocari amat Plautus: velut Asin. 344 dixit: *Mihi tibique interminatust, nos futuros ulmeos,* et Mil. 510, partim ex Bentleii correctione: *Nisi mihi supplicium stimulcum de te datur:* ad quam faciem idem ibidem 501 reponendum vidit: *Nisi mihi supplicium virgeum de te datur*, pro eo, quod ante legebatur, *supplicium virgarum*, Cf. Capt. 885, Pers. 182, Pseud. 903.

142. *hodie obdormiam*) Cod. quem inspexi, G, item edd. Iunt. Ald. Paris. anni 1530: *hodie ut obdormiam*, quod lectius vulgato: *hodie ut dormiam*. Versui prospexisse videntur, qui sic reponerent, cui item opitulaturus Nicolaus Angelius, Iuntinae curator editionis, reposuit, numeris quidem pessimis, vel potius nullis: *Fecit | , ut vigi | lem, hic pu | gnis fa | ciet ho | die ut ob | dormi | am.* Glossatoris est *ut* coniunctio, quae passim non perscribitur, sed intelligitur apud omnes scriptores, apud Hunc infra 144, 184, 368, 711, 786, 795, Epid. 307, Men. 740 etc. De *Hodie* vid. ad 270.

145. *Igitur*, *Igitur demum*, *Igitur tum*, *Tum igitur demum*, frequentari Plauto in apodosi, docuit Acida-

Agite pugni: iam diu est, quod ventri victum non datis:
Factum iampridem videtur, here quod homines quatuor
In soporem conlocastis nudos!

SOSIA

Formido male,
Ne ego hic nomen meum conmutem, et Quintus fiam e Sosia.
Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat:
Metuó, ne numerum augeam illunc.

MERCVRIVS

Hem, nunc iam ergo! sic volo!

SOSIA

Cingitur! certe expedit se!

MERCVRIVS

Non feret, quin vapulet!

SOSIA

Quis homo?

MERCVRIVS

Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet!

lius Divv. in Amph. c. 6. Vide, quae ille exempla profert, Amph. 317, Cas. 104, Most. 127, Triu. 745 etc.

147. Vulg. *iampridém videtur factum*, pessimo accentu verbi *iampridem*.

149. *Ne*, monosyllabum longum, ictu gaudens, sequente vocali, non eliditur, sed corripitur: vide R. Bentleii Schediasma de metris Terentt. c. 8, item infra 202, 268, 566, 698, Asin. 79, 131, 134, 212, Aul. 157, 181, Ba. 77, 159, 180, Cas. 159, Rud. 637.

151. *sic volo*) Ita Iunt. Ald. Paris. 1530, Basil. 1568, Camer. Lamb. Contra MSS. et vv. edd. fere, *sicolo* vel *si colo*, H, *si tolo*, G, plane ut nunc edi solet secundum Gruteri emendationem, *sic colo*. Significare id possit: sic vivo, hoc pacto, hisce artibus, vitam sustento, quomodo Poen. prol. 13 legitur: *Exsurge, praeco .... Exerce vocem, quam per vivis et colis*; quamquam ibi *vivis* tantum ad victum, *colis* ad cultum, recte referunt inttpp.; et similiter paulo ante dixit Mercurius: *Agite, pugni! iam diu est, quod ventri victum non datis.* Sed nescio quomodo id mihi semper visum est affectatum longeque repetitum, adeo ut malim, si recepta lectio deserenda sit, vel *si colo*, i. e. si vivo, quod in minis usur-

SOSIA

Apage! non placet mi hoc noctis esse: coenavi modo:
Proin tu istanc coenam largire, si sapis, esurientibus.

MERCVRIVS

Haud malum huic est pondus pugno.

SOSIA

Perii, pugnos ponderat!

MERCVRIVS

Quid, si ego illunc tractim tangam, ut dormiat?

SOSIA

Servaveris:
Nam continuas has tris noctis pervigilavi.

MERCVRIVS

Pessumum est
Facinus, nequiter ferire malam maledicis, Manus:
Alia forma oportet esse, quem tu pugno legeris!

SOSIA

Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

MERCVRIVS

Exossatum os esse oportet, quem probe percusseris.

SOSIA

Mirum, ni hic me, quasi muraenam, exossare cogitat.
Vltro istunc, qui exossat homines! perii, si me adspexerit!

MERCVRIVS

Olet homo quidam malo suo.

pari docet Parei lexicon h. v., vel *sicola*, i. e. siculu, ut sicam suam alloqui fingatur grassator, qualem hic agit Maiae filius: quamquam non eiusmodi armis, sed solis pugnis, rem videtur velle conficere.

154. Forte *mi* pro *me*, quae vulgata librorum lectio, exaratum est; quod nolim factum in prisco scriptore: siquidem isti aevo solemne fuit addere ibi verbis pronomina, ubi omitti solent apud seriores. Exempla cuivis sunt in promtu.

159. Vulg. *male discit*.. Dedimus Gruteri egregiam emendationem, de qua vide ipsum Suspicc. lib. III, c. 5.

SOSIA

Hei, numquidnam ego obolui?

MERCVRIVS

Atque haud longe abesse oportet; verum longe hinc abfuit.

SOSIA

Illic homo superstitiosust.

MERCVRIVS

Gestiunt pugni mihi.

SOSIA

Si in me exercituros, quaeso, in parietem ut primum domes.

MERCVRIVS

Vox mi ad auris advolavit.

SOSIA

Vt ego homo infelix fui,
Qui non alas intervelli: volucrem vocem gestito.

MERCVRIVS

Illic homo a me sibi malam rem arcessit iumento suo.

SOSIA

Non equidem ullum habeo iumentum.

165. Codd., etiam nostri, et edd. fere, *Hei* (vel *Heus*), *nunquam ego obolui?* sententia non magis expedita, quam versu. Primitus in V. C. fuisse tradunt: *numnam*, sensu quidem idoneo, sed metro item laborante. Camerario placebat, *Hei mihi, quianam ego obolui?* quasi scilicet in manu Sosiae fuisset olere, aut non olere; ne addam suspicionem fraudis haud exiguam movere rarissimum illud *Quianam* pro *Quidnam*, quocum facile permutari potuit. Accedit quod τὸ *mihi* in sola Argentor. anni 1514, parum illa quidem exploratae fidei editione, inveniatur, nostrumque *numquidnam* et sententia comprobetur, et literarum ductibus, quos libri exhibent, longe sit vicinius.

168. *Si in me exerciturus*) Intelligendum *es*, sicut passim id verbum omittitur apud scriptores priscos, etiam Terentium: vide Terent. Andr. 578, Hec. 335, nosque ad priorem locum, item infra 255, 422, 761, 799, Ba. 59, Men. 96, Most. 917, Poen. 426, Rud. 357, 594, Priscian. Putsch. p. 1178 sqq. Vid. etiam ad Mil. 554 seqq.

169. *Vox mi ad auris advolavit.* Recurrit locutio Merc. 848. — *Vt.* Ita Pall. 1, 2, 3, G, quod magis ex usu

MERCVRIVS

Onerandus est pugnis probe.

SOSIA

Lassus sum hercle; navi ut vectus huc sum, etiam nunc nauseo;
Vix incedo inanis: ne ire posse cum onere existumes.

MERCVRIVS

Certe enim hic nescio quis loquitur.

SOSIA

Salvos sum; non me videt:
Nescio quem loqui autumat: mihi certe nomen Sosia est.

MERCVRIVS

Hinc mihi dextera vox auris, ut videtur, verberat.

SOSIA

Metuo, vocis ne vice hodie hic vapulem, quae hunc verberat.

MERCVRIVS

Optume, eccum, incedit ad me.

SOSIA

Timeo! totus torpeo!
Non edepol nunc, ubi terrarum sim, scio, si quis roget,

Plauti est suavinsque ad aures accidit, quam vulgatum *Nae ego homo* etc., quod collidentibus simul e et o vocalibus negotium pronuntianti facessit; nam versui quidem nihil officit: vid. ad 149.

173. Male vulgatae, *Lassus sum hercle e navi*, quasi scilicet hoc ita diceretur, ut alibi haec et similia, *vectus sum in navi*, *lassus sum de via*, quorum longe diversa est ratio. *E* ex *hercle* natum videtur; vel compendia *in* et e praepositionum persimilia librariis imposuerunt. Ratio prior etiam Lambino placuit. Codex G, *Lassus hercle* etc., quod antiquitatis odorem habet: vid. ad 168.

176. *certe*) Sic Iunt. Ald. 1522, Paris. 1530, quod magis frequentant veteres, quam vulgatum *certo*. Similem iocum habes infra 856.

177. Vulg. inconcinne, *Hinc enim mihi* etc. Tò *enim* adhuc sonasse videtur in aure librarii ex versu 175.

180. Pall. 1, 2, 5, *scio*, *ubi roger*; Pall. 3, 4, *scio*, *ubi roget*. Vtrumque ἄμετρον. Monachiensis scriptor, vitio calami, *si quis roger*.

Neque miser me conmovere possum prae formidine!
Ilicet, mandata heri perierunt una et Sosia!
Verum certum est confidenter hominem contra conloqui,
Igitur qui possim videri huic fortis: abstineat manum.

MERCVRIVS

Quo ambulas tu, qui Volcanum in cornu conclusum geris?

SOSIA

Quid id exquiris tu, qui pugnis os exossas hominibus?

MERCVRIVS

Servosne es, an liber?

SOSIA

Vtcunque animo conlubitum est meo.

MERCVRIVS

Aiin' vero?

SOSIA

Aio enimvero.

MERCVRIVS

Verbero!

SOSIA

Mentire nunc.

MERCVRIVS

At iam faciam, ut verum dicas dicere.

SOSIA

Quid eo est opus?

MERCVRIVS

Possum scire, quo profectus, quoius sis, aut quid veneris?

184. Vulg. numeris excrescentibus, *fortis, a me ut abst. m.* Vid. ad 142.

186. *Vtcunque animo conlubitum est meo*) Sic solent confidentes; cf. Pseud. 916.

188. *Vero* in extrema sententia finitaque oratione non eliditur, licet sequatur vocalis. Possis et *verod* reponere: vid. ad prol. 149. Certe sic expediri locum praestat vulgatae rationi, qua iam versui additur invitis V. C., Pall. nostris G, H, et omnibus propemodum edd. vett. *Mentire* quoque scribendum fuit, non *menti-*

SOSIA

Huc eo, heri mei sum servos. Numquid nunc es certior?

MERCVRIVS

Ego tibi istam hodie scelestam conprimam linguam.

SOSIA

Haud potes:

Bene pudiceque adservatur.

MERCVRIVS

Pergin' argutarier?

Quod apud hasce aedis negotium est tibi?

SOSIA

Imo quod tibi est?

MERCVRIVS

Rex Creo vigiles nocturnos singulos semper locat.

SOSIA

Bene facit: quia nos eramus peregri, tutatust domi.
At nunc abi sane: advenisse familiaris dicito.

ris, quod vulgatae praeferunt, siquidem hoc versuum genus trochaïcorum semper puro cretico vel compari pede terminatur.

192. *scelestam*) Sic, teste Taubmanno, Pal. 3 una cum edd. vett., quarum eadem fere quae scriptorum librorum est auctoritas; quod dudum Camerarius quoque vulgatae lectioni *sceleste* praeferendum duxit. «Prima editio, *inquit Taubmannus*, *vel potius Gruterus*, Camerario fuit loco manuscripti, et melior fere est ubique quam liber eius calamo exaratus; nam quod attinet ad Pall., omnes sunt scripturae recentissimae.

193. *Bene pudiceque*) Vid. ad Aul. 238.

194. Sequimur edd. aliquot bonae notae, inprimis Iunt. Codex quoque G, *negotium*. Vulgatae, *Quid a. h. a. negotii e. t.?* So. i. *quid t. e.?* quod cui potius videbitur, ei certe *negotid* reponendum erit hiatui vitando: vid. ad prol. 149.

196. *domi*) Ita membranae Langg. V. C. Pall. 3 et ex editionibus Iuntina. Vulgatae, ... *peregre tutatust* (male Taubm., *tutatu'st*, peius Gronovius Ernestiusque, *tutatu'est*) *domum*. I. Gulielm. Quaest. in Amph. c. 2: «Captavit manifesto, *inquit*, ἀντίθεσιν in *peregri* et *domi*, et genus dicendi nimis quam elegans est, ad hoc Terent. exemplum Eunucho (724): *solus Sannio servat domi*». De *Peregri* vid. ad prol. 5.

197. Pall. 4, 5, 6, item nostri G et M, *familiarem*, haud dubia ex prava interpretatione,

MERCVRIVS

Nescio, quam tu familiaris sis: nisi actutum hinc abis,
Familiaris accipiere faxo haud familiariter!

SOSIA

Hic, inquam, habito ego, atque sum horunc servos.

MERCVRIVS

At scin', quomodo?
Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis!

SOSIA

Quonam modo?

MERCVRIVS

Auferere, non abibis, si ego fustem sumsero!

SOSIA

Quin med esse huius familiai familiarem praedico.

200. Vulg. *atque hor. servos sum*) sed Pal. 5 et Basil., *atque hor. sum servos*. *At scin', quomodo tibi res se habet?* ut legitur Aul. 8, vel *Scin' tu, ut tibi res se habeat?* ut est Terent. Eun. 744, sive ἐλλειπτικῶς: *At scin', quomodo?* ut Aul. 783, Poen. 244, item, *At scin' etiam quomodo?* Aul. 259, vel, *Scin' quemadmodum?* quod usurpatur Mil. 1148, vel, *Sed scin', quomodo?* velut est Rud. 700, vel denique simpliciter, *Quomodo?* quod habes infra 858, Aul. 691, Pseud. 336, formulae sunt familiariter aliquem compellandi eo consilio, ut magis attendat ad id, quod dicturi sumus. Nam non minantes solum sic loqui, testimonio sunt infra 437, Aul. 259, Mil. 1148, Poen. 723, 763. Vbi quis vero eiusmodi formula minatur, ut hic quidem fit, itemque in reliquis Huius locis, quos protuli, etiam aperte ira significari solet, velut Ba. 561 dicitur, *At scin', quam iracundus siem?* Bene de hisce formulis loquendi Acidalius Divinatt. etc. p. 16: « Aliud alibi subintelligendum de proximis ubique verbis. »

202. locum recolit Curc. 564, *Si non liquescit*: vid. ad 149.

203. Vulg. *Q. me esse huius familiae f. pr.*) Primum *med* exarari iussi, exemplo Camerarii, ut plene exaudiretur pronomen, quod hoc loco ὀρθοτονούμενον est, non ἐγκλιτικόν. Huius monosyllabum est, sicut passim apud Comicos: vid. R. Bentleii Schediasma de Metris Terent. c. 8. *Familiai* vero scribendum esse, neque *med* reponendo posse nos defungi, ut scilicet sic dimetiremur versum: *Quin med ésse huius famíliae f. pr.* vetus me docuit verba, quale est *familiae*, pronuntiandi ratio, de qua adi, sis, Bentleium ad Terent. Heaut. 219 et Phaedr. I, 31, 13, nos ad Terent. Andr. prol. 25, Eun. 940. Habebant autem accentum

MERCVRIVS

Vide sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis!

SOSIA

Tun' homo prohibere peregre me advenientem postulas?

MERCVRIVS

Haeccine tua domust? 206

SOSIA

Ita, inquam.

MERCVRIVS

Quis herus est igitur tibi.

SOSIA

Qui praefectus nunc Thebanis Amphitruo est legionibus,
Quicum nupta est Alcumena.

MERCVRIVS

Quid ais? quod nomen tibi est?

SOSIA

Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre.

MERCVRIVS

Nae tu istic hodie compositis tuo malo mendaciis
Advenisti, audaciai columen, consutis dolis!

SOSIA

Imo equidem tunicis consutis huc adveni, non dolis.

in quarta ab extrema syllaba ex veterum more, non, ut recens receptum est, in tertia, quum magis ad Graecorum in hoc genere consuetudinem accommodaretur Latina lingua. Cf. 895, Asin. 216.

207. Vulg. *Amph., qui nunc praefectust Theb. leg.*, vitioso accentu τοῦ *Thebanis*. Tritum verborum ordinem, pro more suo, sectati esse librarii videntur.

210. *tu istic*) Asseverandi causa pronomen pronomini additur, velut etiam infra 419 et 582, ubi similiter, ut hic Dousa Centurionat. p. 24, *istuc* reponi iubet, sed frustra, Meursius, item Rud. 1300 et passim. Fere autem ad contemtum vel iram valet haec formula loquendi. Cf. Mil. 555, Merc. 748. G quidem et Mediol. anni 1500, *istuc*.

211. Vulg. *audaciae*, versu manco. *Audaciai* scribi posse, «antiquis usitatissimae formae genitivum» iam Camerario in mentem venit.

212. Vulg. *advenio*, quod mi-

MERCVRIVS

At mentiris etiam: certo pedibus, non tunicis, venis.

SOSIA

Ita profecto.

MERCVRIVS

Nunc profecto vapula ob mendacium!

SOSIA

Non edepol volo profecto.

MERCVRIVS

At pol profecto ingratiis!
Hoc quidem profecto certum est, non est arbitrarium.

SOSIA

Tuam fidem obsecro!

MERCVRIVS

Tun' te audes Sosiam esse dicere,
Ego qui sum?

SOSIA

Perii!

MERCVRIVS

Parum etiam, praeut futurum est, praedicas.
Quoius nunc es?

SOSIA

Tuos; nam pugnis usufecisti tuom.
Proh fidem, Thebani cives!

MERCVRIVS

Etiam clamas, carnufex?
Loquere, quid venisti?

nus respondet praegresso *Advenisti*.

214. Sicut h. l. quater *profecto*, ita Trin. 699 sqq. octies *I modo*, et Cas. 485 sqq. decies repetitur *quin*. Amat eiusmodi lusus verborum Noster. Vid. etiam ad Cas. l. l.

220. Vulg. *fidi*, sed G noster, *fide*, quod fuerit *fidē*, h. e. fidem, ut legendum viderunt, usu suadente, Palmerius Meursiusque. Simili lapsu Asin. 8 adhuc legebatur, *Per deum fidium*, ubi idem liber scriptus dilucide, *P. d. fidem*, sicut hoc ipso loco Venet. 1522, Paris 1530.

221. *Loquere*) Sic Veneta modo dicta. Vulg., *Eloquere*, trochaicos

SOSIA

Vt esset, quem tu pugnis caederes.

MERCVRIVS

Quoius es?

SOSIA

Amphitruonis, inquam, Sosia.

MERCVRIVS

Ergo istoc magis,
Quia vaniloquos, vapulabis: ego sum, non tu, Sosia.

SOSIA

Ita di faciant, tute ut potius sis, atque, ego te ut verberem.

MERCVRIVS

Etiam muttis?

SOSIA

Iam tacebo.

MERCVRIVS

Quis tibi herust?

SOSIA

Quem tu voles.

MERCVRIVS

Quid igitur? qui nunc vocare?

SOSIA

Nemo, nisi quem iusseris.

MERCVRIVS

Amphitruonis ted esse aibas Sosiam.

SOSIA

Peccaveram:
Nam me Amphitruonis volui sociennum esse dicere.

frustra interturbante versu iambico.

228. Scripti et impressi fere, *Nam Amph. socium nae me esse v. d.*, mire illata *nae* interiectione, quam ex depravata scriptura ortam recte iudicans Camerarius reposuit *sociennum*. Παρήχησις in hoc verbo non minus manifesta, quam in *socium*. Saepis-

MERCVRIVS

Scibam equidem, esse nullum nobis, nisi me, servom Sosiam.
Fugit te ratio.

SOSIA

O utinam istuc pugni fecissent tui!

MERCVRIVS

Ego sum Sosia ille, tu quem dudum te esse aibas mihi.

SOSIA

Obsecro, ut per pacem liceat te adloqui, ut ne vapulem!

MERCVRIVS

Imo induciae parumper fiant, si quid vis loqui.

SOSIA

Non loquar, nisi pace facta; quando pugnis plus vales.

MERCVRIVS

Dicito, quid vis: non nocebo.

SOSIA

Tuae fide credo?

MERCVRIVS

Meae.

sime autem, ex quo scriptura continua in usu esse desiit, male separandis, quae coniungenda essent, et contra librarii impegere, velut etiam Catonis de R. R. c. 9 adhuc legitur: «Salicta locis aquosis, humectis, umbrosis, propter amnes ibi seri oportet» ubi istud *Ibi*, quod neque resumendo orationis longioris filo servit neque ullam sermoni vim addit, nisi quis familiarem quandam negligentiam somniet, a qua alienissimus Cato, quid aliud esse dicamus nisi meram fraudem et corruptelam? Equidem, deleto interpretamento *aquosis*, legendum puto: «Salicta locis humectis, umbrosis propter amnis ambiseri oportet;» *ambiseri*, h. e. circumseri, cuius generis verba plura recenset Festus operis sui principio.

231. Vulg. *E. s. S. ille, quem tu d. e. aiebas mihi*) Sed edd. Argent. Iunt. Ald. Paris. anni 1530, Lamb., *quem te*. Vtrumque pronomen perspicuitatis causa recipiendum duxi.

232. Recentiores quidam editores contra fidem codicum tam scriptorum quam antiquitus impressorum, *Obsecro per pacem* etc.

235. Scripti fere ἀμέτρως: *D., si quid vis*. Secutus sum edd. aliquot medias, in his Argent. Iunt., quas

SOSIA

Quid, si falles?

MERCVRIVS

Tum Mercurius Sosiae iratus siet.

SOSIA

Animum advorte: nunc licet mihi libere quidvis loqui.
Amphitruonis ego sum servos Sosia.

MERCVRIVS

Etiam denuo?

SOSIA

Pacem feci! foedus feci! vera dico!

MERCVRIVS

Vapula!

SOSIA

Vt lubet; quod tibi lubet, fac: quoniam pugnis plus vales,
Verum utut facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen. 241

MERCVRIVS

Tu me vivos hodie nunquam facies, quin sim Sosia.

SOSIA

Certe edepol tu me alienabis nunquam, quin noster siem;
Nec me praeter nobis alius quisquam est servos Sosia,
Qui cum Amphitruone hinc una d iveram indu exercitum.

item expressit Camer., malim tamen nunc *Dicito quidvis*, sicut 237 legitur *Quidvis loqui*. Camerariana lectio accipienda est per hellenismum pro *Dicito, quid velis*: vide nos ad Terent. Eun. 478, 547, Ph. 802, Hec. 589 et infra ad 851.

241. Vulgo, *V. utut es facturus*, horridiore numero et ex interp., ut opinor: vid. ad 168.

244. Vulg. *Nec nobis praeter med alius q. e. s. S.*, pessime acutis verborum nobis et praeter posterioribus syllabis, ut de τῷ *nobis* quidem unusquisque fatebitur, de *praeter* vero ne quis obmoveat, quae dixi ad Terent. Andr. 667, animadvertendum est, pronomen *med* h. l. esse ὀρθοτονούμενον. Anastrophen amat Noster: vid. lexici Pareani Mantissa h. v.

245. Vulg. inconcinne, *una ieram in ex.* Vide ad prol. 149, 125.

MERCVRIVS

Hic homo sanus non est.

SOSIA

Quod mihi praedicas vitium, id tibi est.
Quid, malum? nonne ego sum servos Amphitruonis Sosia?
Nonne hac noctu nostra navis huc ex portu Persico
Venit, quae me advexit? nonne me huc herus misit meus?
Nonne ego nunc sto ante aedis nostras? non mi est laterna in manu?
Non loquor? non vigilo? nonne hic homo me pugnis contudit?
Fecit hercle: nam etiam misero misere nunc malae dolent.
Quid igitur ego dubito? aut cur non introëo in nostram domum?

MERCVRIVS

Quid? domum vostram?

SOSIA

Ita enimvero.

MERCVRIVS

Quin quaequae dixti modo,
Omnia ementitus: equidem sum Amphitruonis Sosia:

246. Codd. G, H, M, alio ordine, *H. h. non est sanus.*

247. Vulg. *non sum ego s. A. S.?* Sed 3 Pall. et edd. vv. praeter utramque Venetam, *nonne ego sum*, sub ictum collocantes pronomen.

248. Tò *huc* metri causa arcessivi ex Argent. et vulgatis edd. Ineptissime Taubm. coniectabat, *N. h. n. n. navis, navis ex p. P.*

251. Vulg. nullis numeris, *homo modo me p. c.* — *Modo*, natum ex *mo* syllaba antecedente, abest a G, item Ven. 1495, Sarracen. Mediol. Basil.

252. Vulg. abest *misere*, versu imperfecto. Praebet illud G, a quo rursus abest *misero*. Vtroque in ordinem recepto metrum sibi constat melius, quam si vel *mihi* inculces cum Argent. Iunt. Ald. Paris, vel, Taubmannum audiens, in fine addas *male*, numeris pessimis.

254. Vulg. *Quin quae dixisti m.*) Et V. quidem C. initio, *Quinque d. m.*, sed caeteri Pall. item Langg. et nostri G H non *Quin quae*, sed *Quaeque*, Langg. etiam *dixti*, quos secutus I. Gulielmius Quaest. in Amph. c. 2, reponebat: *Quin quaeque edixti modo.* Sed edicere non est huius loci.

256. H ex interp., *O. mentitus es.*

Nam noctu hac soluta est navis nostra e portu Persico;
Et, ubi Pterela rex regnavit, oppidum expugnavimus;
Et legiones Teleboarum vi pugnando cepimus:
Et regem ipsus Amphitruo obtruncavit Pterelam in proelio.

SOSIA

Egomet mihi non credo, quom illaec autumare illum audio:
Hic quidem certe, quae illi sunt res gestae, memorat memoriter. —
Sed quid ais? quid Amphitruoni a Telebois datum hostibust?

MERCVRIVS

Pterela rex qui potitare solitus est, patera aurea.

SOSIA

Elocutus est! — Vbi patera nunc ea est?

Vid. ad 168. Vulg. autem, *equ. Sosia Amph. sum*; sed lepidius est, haec eumdem hic ordinem servare, quo 247 dicuntur: nam sic vocem gestumque eorum, quibuscum litigantur, imitari per irrisionem, nec non verba sibi invisorum quantum fieri potest proprie repetere, solent irati, qualem se simulat Mercurius.

258. Pall. praeter V. C., item G H, *expugnando*, minus quidem bene, quum modo illatum fuerit *expugnavimus.*

259. Vulg. perperam correpto pronomine, *Et ipsus A. obt. r. Pt. in pr.* Malim tamen nunc, servata solita horum trochaicorum incisione, *Et reg. ips. obt. Pt. Amph. in pr.* Quamquam ea non semper observatur: vid. Asin. 867, 871, 872, 877, 879, 882 etc.

262. Vulg. *S. q. a.? q. Amph. a Tel. datum est*, versu manco. Atqui H, quem contuli, *Teleb. hostibus datum est*, sicut infra 569 legitur: *Hinc profectus sum ad Teleboas hostis*, et in priore argumento fabulae: *Dum bellum gereret cum Telebois hostibus.* Recte autem statuit Acidalius Divinatt. in Amph. c. 2, argumenta harum fabularum nulla quidem a Plauto esse, sed studiose ex ipso Plauto ad exemplum eius efficta, neque raro vel ipsos integros versus, vel imitatione paulum immutatos, vel certe de iis leviter adumbratos ubique se ait deprehendere. Quem vide etiam ad Capt. cap. 1 (Capt. prol. 8.)

264. Vulg. abest *ea*, nullis numeris. Praebet vocem Argent., sed incommodo loco, ante *patera*. H post hoc inculcat *aurea*, ut scribendum videri possit, *E. est. V. pat. est aurea nunc?* ME. *In cist.* Vel, quum *cistella* exhibeant, non *cistula*, codd. Pal. 5 et nostri, *cistellula* cuipiam in mentem veniat, quod infra legitur 608.

MERCVRIVS

In cistula;

Amphitruonis obsignata signo est.

SOSIA

Signi dic quid est?

MERCVRIVS

Cum quadrigis sol exoriens. Quid me captas, carnufex?

SOSIA

Argumentis vincit! aliud nomen quaerundum est mihi.
Nescio, unde haec hic spectavit. Iam ego hunc decipiam probe:
Nam quod egomet solus feci, nec quisquam alius adfuit
In tabernaclo, id quidem hodie nunquam poterit dicere.
Si tu Sosia es, legiones quom pugnabant maxume,
Quid fecisti in tabernaclo? Victus sum, si dixeris.

MERCVRIVS

Cadus erat vini; inde implevid hirneam . . . .

SOSIA

Ingressust viam!

Et hanc quidem rationem propter incertam fidem editionis Argent. (nam Helmstadiensis lectio glossam sapit) nunc potius ipse inierim.

268. Male de numeris sollicitus editor Argentor., *Ium hunc ego. Iam* monosyllabum, ictu percussum, sequente vocali, non eliditur: vid. ad 149.

270. *hodie* praeterquam quod passim apud Comicos non tam diem, qui agitur, designat, quam nunc, qua de re dixi ad Terentii Andr. 577, etiam saepe familiari dicacitate ex abundanti additur, velut h. l. et 307, 852, Curc. 680.

272. Operarum vitio transpositae sunt voces *Quid in tabernaclo fecisti*, quae est vulgata lectio, nisi quod ἀμέτρως exhiberi solet *tabernaculo*. Tribrevis *Quid in ta–* primo versu offendat neminem, qui legerit R. Bentleii Schediasma de metris Terentt. c. 8. Vid. etiam supra ad prol. 74.

273. H, *cyrenam* pro *hirneam*, et similiter in sqq. Vid. Taubm. ad *h. l.* Pro *Ingressust viam* plerique MSS. velut Pall. praeter V. C. et nostri omnes, item vett. edd., *Ingressus iam* vel *Ingressust iam*, versu quidem hoc non nolente, modo τὸ *iam* δισυλλάβως pronuntietur, sicut saepissime fit apud Comicos, sed ipsa sententia refragante; siquidem *ingredi* per se nihil aliud significare

MERCVRIVS

Eam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxeram meri.

SOSIA

Mira sunt, nisi latuit intus illic in illac hirnea!
Factum illuc, ut ego illic vinid hirneam ebiberim meri.

MERCVRIVS

Quid nunc? vincon' argumentis, te non esse Sosiam?

SOSIA

Tu negas med esse?

MERCVRIVS

Quid ego ni negem, qui egomet siem?

SOSIA

Per Iovem iuro, med esse, neque me falsum dicere.

MERCVRIVS

At ego per Mercurium iniuro, tibi Iovem non credere:
Nam iniurato, scio, plus credet mihi, quam iurato tibi.

SOSIA

Quis ego sum saltem, si non sum Sosia? Ted interrogo.

MERCVRIVS

Vbi ego Sosia esse nolim, tu esto sane Sosia;

posset h. l. quam incipere loqui, velut est apud Maronem Aen. IV, 105—107, *Olli . . . Sic contra est ingressa Venus*; quod absurdum, quum dudum locutus sit Mercurius, neque id nunc agatur, eum loqui, sed recte loqui remqoe acu tangere: atqui id valet *Ingredi viam*: vid. lexica, inprimis Plautinum Phil. Parei v. *Via* pro ratione.

274. Locus paulo intricatior, qoem sic construes, *Ego eduxeram eam* (*hirneam*) *vini meri, ut matre* (h. e. *vite*) *natum fuerat*. Recepi autem ex Langg. *eduxeram* pro vulgato *eduxi*, quod stare non potest nisi non eliso τῷ *vini*, illatumque procul dubio est a glossatore ignorante veterem illum usum plusquam perfecti, de quo dictum ad Prol. 81. Acidalius ex nescio quo libro reponendum putabat, *eduxi clam meri*.

276. Vulg. *Factum est illud*, versu impingente. Edd. aliquot mediae, in his Iunt., *F. illud*, absque τῷ *est*, quas sequor.

280. Libri ioco extincto, *per Mercurium iuro*, qua lectione recepta non est quod iniuratum se dicat Maiae filius. Iniuro probum verbum est, quo lexica augeant licet Gesneri Schellerique nostri. Praepositioni officit *m* praecedens, sicot passim similia similibus fraudi esse deprehenduntur in MSS.

283. Vulg. *Sosia nolim*, versu titu-

Nunc, quando ego sum, vapulabis, ni hinc abis ignominis.

SOSIA

Certe edepol, quom illunc contemplo, et formam cognosco meam,
Quemadmodum saepe in speculo inspexi, nimium similis est mei;
Itidem habet petasum ac vestitum; tam consimilist atque ego: —
Sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum vel labra,
Malae, mentum, barba, collum, totus . . . . quid verbis opust:
Tergum si cicatricosum, nihil hoc simili est similius.
Sed quom cogito, equidem certe sum idem, qui semper fui:

bante. H, *Sosiam* vel *Sosium*, quo confirmari videtur editionum lectio recentiorum: *Sosia iam esse*. Sed sane transpositione utendum, quod dudum est quum suasit Taubmannus.

284. *ignominis* dedi, quomodo dicitur *cognominis*, ne addam, confirmari illud verbum derivato *Ignominia*. Conf. Nicol. Perotti Cornucop. pag. 533 ed. Ald. Vulgatum *ignobilis* ab hoc loco abhorret, siquidem Sosia etiamsi nomen amisit suum, non tamen propterea is est, qui nosci non possit, quae quidem foret τοῦ *ignobilis*, si admittendum esset, significatio. Sed *ignominis*, hoc est nomine privatus, tunc sane fuit, et huc pertinet, quod infra dolet servus 441, formam sibi una cum nomine ablatam esse. Vocem rariorem cito mutari a librariis fuit consentaneum.

285. Similiter *cognosco* adhibetur Poen. 1038, Pseud. 978, et gemino illo loco, qui est Men. 956, *Noscito*. Ignorans hunc verbi usum scriptor Palatini 5 τὸ *et* perperam omisit.

286. Scripti: *Quemadmodum ego sum, saepe* etc.; sed edd. non agnoscunt τὸ *sum*, neque (pace Taubmanni dixerim) quomodo versus eam voculam ferat, equidem perspicio. Addita fuerit, quum *speculo* nescio qua forte transiisset in *speculum* (sic enim libri), verbaque *Saepe in speculum inspexi* seorsim accipienda esse viderentur. Sed durum hoc et abruptum, longeque melior editionum ratio, τὸ *sum* omittentium. Pronomen quoque, quod versum onerat, delendum, et *nimium* pro vulgato *nimis* numerorum gratia reponendum esse vidi: nam quia ita haec scandat: *Quemadmo | dum ego sae | pe in specu | lum inspe | xi, ni | mis simi | list me | i*. Caeterum vox *Quemadmodum* itidem metri causa δισυλλάβως pronuntianda est, elisa o litera, de quo l. egi ad prol. 74.

288. Istud *nasa* plerorumque scriptorum atque edit. vett. ortum procul dubio ex compendio τοῦ *nasum* (nasū). *Vel* non explicandum *et*, sed intelligendum hoc vel quiddam simile, *si consideretur*.

291. *sum idem*) Ita G, non *i. s.*, ut

Novi herum, novi aedis nostras: sane sapio et sentio:
Non ego illi obtempero, quod loquitur: pultabo foris.

MERCVRIVS

Quo agis te?

SOSIA

Domum.

MERCVRIVS

Quadrigis si nunc inscendas Iovis,
Atque hinc fugias, ita vix poteris ecfugere infortunium!

SOSIA

Nonne herae meae nuntiare, quod herus meus iussit, licet?

MERCVRIVS

Tuae, si quid vis nuntiare; hanc nostram adire non sinam.
Nam si me inritassis, hodie lumbifragium hinc auferes!

SOSIA

Abeo potius. Dî inmortales, obsecro vostram fidem,
Vbi ego perii? ubi inmutatus sum? ubi ego formam perdidi?
An egomet me illic reliqui, si forte oblitus fui?
Nam hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, possidet:
Vivo fit, quod nunquam quisquam mortuo faciet mihi.
Ibo ad portum, atque, haec uti sunt facta, hero dicam meo;
Nisi etiam is quoque ignorabit me; quod faciat Iupiter
Ille: ut ego hodie raso capite calvos capiam pileum.

MERCVRIVS

Bene prospereque hoc hodie processit mihi! i. s.

vulgo, pravo accentu pronominis.

303. Intelliguntur ludi funebres. Conf. Most. 416 sqq., et intpp. ad hunc locum.

305–6. Numeris dum prospicio, male quaedam hic transposui. Legendum, sicut vulgo, non eliso *ego*, nisi quis *egod* scribere malit (nam Parei *hic* ante *hodie* non admittendum): *Nisi etiam is quoque me ignorabit, quod illic faciat Iupiter: Vt ego hodie raso capite calvos capiam pileum.* De usu pronominis vid. ad prol. 46.

307. Vulg. *B. p. h. h. operis p. m.*;

Amovi a foribus maxumam molestiam:
Patri ut liceret tuto illam amplexarier.
Iam ille illuc ad herum quom Amphitruonem advenerit,
Narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam
Amovisse; ille adeo illum mentire sibi
Credet, neque credet huc profectum, ut iusserat:
Erroris ambo ego illos et dementiae
Conplebo atque omnem Amphitruonis familiam,
Adeo usque satietatem dum capiet pater
Illius, quam amat; igitur demum omnes scient,
Quae facta. Denique Alcumenam Iupiter
Rediget antiquam coniugis in concordiam:
Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet,
Atque insimulabit eam probri; tum meus pater
Eam seditionem illi in tranquillum conferet.
Nunc, de Alcumena dudum quod dixi minus,
Hodie illa pariet filios geminos duos;
Alter post mense decumo nascetur puer,
Quam seminatus; alter mense septumo.
Eorum Amphitruonis alter est, alter Iovis;
Verum minori puero maior est pater,
Minor maiori. Iamne hoc scitis, quid siet?
Sed Alcumenai huius honoris gratia
Pater curavit, uno ut foetu fieret,
Vno ut labore absolveret aerumnas duas:

versu abundante. Acidalius tentabat: *Bene prospere hoc* etc., ut *bene* pro *valde* acciperetur. Sed usus hic vocis, ubi quidem alii adverbio adiungitur, et rarior, quam qui ex mera coniectura inducatur, et similiter *Hic alibi Bene benigneque*, *Bene atque amice*, *Bene et commode*, *Bene et pulcre*: vid. Parei Lexicon Plaut. h. v. Haud magis placent, qui τὸ *hodie* deletum eunt, quod itidem tam est ex usu Plauti et Comicorum, quam quod maxime: vid. ad 270. Istud operis, quod ad sententiam nihil confert, addere interpretationis causa, cuiusvis erat.

331. H *creavit.*

332. Vulg. *absolvat*, turbata temporum consecutione. Atqui Iunt. Ald. aliae seriores, *exsolveret*. Sic passim erratur, velut etiam Cic. De Off. pag. 389, lin. 4, ed. Heusinger. sit legen-

Clandestina ut celetur consüetio.
Quamquam, ut iamdudum dixi, resciscet tamen
Amphitruo rem omnem. Quid igitur? nemo id probro
Profecto ducet Alcumenae. Nam deum
Non par videtur facere, delictum suom
Suamque ut culpam expetere in mortalem sinat.
Orationem conprimam: crepuit foris.
Amphitruo subditivos, eccum, exit foras
Cum Alcumena, uxored usuraria.

dum *et* pro *esset*, et ib. pag. 390, lin. 8 non *viderentur*, sed *videantur*, ut recte 2 codd. Goth., et pag. 587, lin. 1, 2, *sint* et *repugnent* pro vulgatis *essent* et *repugnarent*; denique p. 634, lin. 4 *habeat* pro *haberet*. Vid. etiam ad Aul. 474. H *Vno et lab.*

333. Pro hoc versu in vulgatis duo veniunt huiusmodi: *Et ne in suspicione ponatur stupri*, *Et* (H *Sed*) *clandestina ut celetur suspicio.* Haec tam ταὐτολόγα constare nullo modo posse, facile intelligitur. Eleganter autem et verecunde res turpicula dicitur in posteriore versu, pervulgate et aperte in priore, quod minus aptum Mercurii personae, *has res multas* patris sui ubique verbis lenissimis fucantis extenuantisque. Expuncto igitur priore horum versuum, tanquam interpretamento posterioris, videndum de hoc ipso: nam ne is quidem vitii videtur immunis esse, siquidem non agitur hoc loco de celanda suspicione hominum clandestina, sed de fraude hac Iovis perpetuo, si fieri possit, silentio dissimulanda. Suspicionem igitur commovet ista *suspicio*, quumque Donatus ad Terentii Adelph. IV, 5, 32 hunc Plauti locum ita laudet: *Et clandestina ut celetur consuetudo*, dubium non est, quin aliquid viderit Scioppius, reponens: *Et c. ut c. consuetio*, secundum Festi illa: « Consuetionem Plautus pro consuetudine dixit. » Delevi autem copulam, ne quae hic dicitur res durans et quasi perpetua (nam talem voluisse fingitur Iupiter hanc amoris sui celationem) confundatur cum actione illa praeterennte, de qua in versibus duobus antecedentibus sermo est; quod ne fiat, ipse Hic cautum voluit mutato tempore verbali.

338. Vulg. *S*. e. e. *in m. ut sinat*) Sequor V. C. Sarrac. Argent., ut plene exaudiatur vox gravissima *mortalis*.

341. Tò *Cum* non eliditur per licentiam priscorum Latii poëtarum, inprimis Comicorum, a Terentio et serioribus refrenatam. Alia cessantis ecthlipseos atque elisionis, praesertim in verbis gravioribus, exempla vide Amph. prol. 69, 151; Amph. 420, 684, 710; Asin. prol. 4; Asin. 262, 454, 732 sqq.; Capt. 101, Cas. prol., qui prologus non est a Plauto scriptus, 23, 41; Cas. 664, 784; Curc. 98, 113, 202, 332, 448; Epid. 318; Men. 136, 148, 307, 315, 340, 375, 378, 391; Merc. 178, 255, 322, 468, 832, ubi *Domi* e-*tribrachum* efficit, Graecorum more correpta vocali longa ante vocalem (cf. Pers. 224, Pseud. 1202, Stich. 140); Rud. prol. 23; Rud. 58, 127, 132, ubi similiter τὸ *mei* ἀντι-

IVPITER. ALCVMENA. MERCVRIVS.

IVPITER

Bene vale, Alcumena! cura rem communem, quod facis,
t. t. c. I, 2
Atque inperce, quaeso: mensis iam tibi exactos vides.
Mihi necesse est ire hinc; verum, quod erit natum, tollito.

ALCVMENA

Quid istuc est, mi vir, negoti, quod tu tam subito domo
Abeas?

IVPITER

Edepol haud, quod tui me, neque domi, distaedeat;
Sed ubi summus imperator non adest ad exercitum,
Citius, quod non facto est usus, fit, quam quod facto est opus.

ϑλίπτως legendum est (sicut etiam *amici* Cas. 399, *animi* Cist. 207, *pauci* Pseud. 435, *illi* ib. 787, *homini* Most. 912, *nihili* Ba. 860, *dehortor* et *praeoptavisse* Capt. 142, 609, *male* Cist. 58, *i* Poen. 971, *mi* ibid. 982 et Mil. 1315, *si* Cist. 33, *ibi* Most. 1129; Rud. prol. 55, *sibi* Cist. 453, *tibi* Capt. 346; Merc. 953; Pers. 321; Pseud. 212; Rud. 300, *ubi* Most. 876, *video* Most. 1071, *amisi* Mil. 1361, *vidisti* Stich. 361, *colloqui* Capt. 765, *salve* Mil. 1300, *salveto*, quia o litera in hoc verbo longa est (conf. alterum Palaestrio Mil. 414), *sensi* Pseud. 414, *time* Ps. 925, *meae* ib. 187, *quae* Capt. 195, ego (ἐγώ) Amph. 306; Capt. 494; *tu* Capt. 949; Mil. 298; Rud. 43), Rud. 135, 761, 1288; Stich. 317; Trin. prol. 9; Trin. 215 sq., 253, 623, 632; Truc. 910; Priscianus Putsch. pag. 556: « Finalis, *inquit*, dictionis subtrahitur M in metro plerumque, si a vocali incipit sequens dictio, ut: *Illum expirantem transfixo pectore flammas* (Virg. Aen. I, 44). Vetustissimi tamen non semper eam subtrahebant. Ennius in X Annal.: *Insignita fere tum millia militum octo Duxit delectos, bellum tolerare potentes.* » Similiter Lucret. I, 437: *Corporum augebit numerum, summamque sequetur*; et II, 465: *Nam quod fluvidum est, e levibus atque rotundis Est*; et IV, 1267: *Vomerem, atque locis avertit seminis ictum.* Quin Horatius Serm. II, 2, 28: *Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem*; ad quem locum vid. Bentleius. Neque ecthlipsin tantum neglexerunt interdum, ut vides, ipsi Epici atque Lyrici, verum etiam vocales et diphthongos est quum praeter morem communem non eliserunt. Lucret. V, 7: *Nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum.* Catull. VIII, 19: *At tu, Ca-*

MERCVRIVS

Nimis hic scitust sycophanta, qui quidem sit meus pater.
Observatote eum, quam blande mulieri palpabitur. 351

ALCVMENA

Ecastor te experior, quanti facias uxorem tuam.

IVPITER

Satin' habes, si feminarum nulla est, quam aeque diligam?

MERCVRIVS

Edepol nae illa si istis rebus te sciat operam dare: 354
Ego faxim te Amphitruonem malis esse, quam Iovem.

tulle, *obstinatus obdura.* Horat. Od. III, 14, 11: *Iam virum expertae, male ominatis.* Maro Eclog. VIII, 108: *Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?* Et Georg. I, 281: *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* Et Aen. III, 211: *Insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno.* Sed haec hactenus. Cf. Wasii Senarius cap. 4, nos supra ad 116, 119. Corrigendus in traoscurso Charisius Putsch. 249: « Ἐκθλιψίς est, quum doabus eiectionibus (l. dictionibus) aliqua consonantium aut plures (Falsum hoc, plures elidi, quod fieri nequit), quas habet (l. habent), eliduntur, ut *Multum ille et terris iactatus et alto.* »

350. *sit meus pater*) Ita Pall. praeter V. C., item G noster et vett. edd., quo verborum ordine probato id assequimur, ut sensus *meus*, vox gravis, quum vulgo in thesi delitescat: legitur enim fere: *meus sit pater.*

351. Tò *eum* ad fulciendum versum addidi.

352. *E. te experior, quanti facias uxorem tuam*) Ita cod. MSS. ad onum omnea, etiam a nobis adhibiti, praeter G, in quo desideratur pronomen, item vett. edd., neque erat quod hoc usu accusativi pro nominativo offenderetur, suumque *re* pro *te* « haud paullo efficacius fore » arbitraretur Dousa Centur. pag. 28, quem temere secuti sunt editores. Sic enim Graeci, sic Latini interdum Graecos imitati, velut Hic supra 141 sq., 242, infra 679; Asin. 124; Capt. 307; Mil. 148 sq., 1242; Pers. 455; Pseud. 71, 110, 268, 1059; Rud. 302 et sq., et Terentius Ad. V, 4, 20: *Illum ut vivat optant*; ad quem locum Donatus: « Σύλληψις: nam sic veteres loquebantur; nos vero dicimus *Illi* (l. *Ille*) optant, non *Illum.* » Conf. Scioppii Suspp. Lectt. IV, 19, nos ad Circ. 550.

354. *istis*) Ita V. C.; caeteri fere libri, tam scripti quam impressi, *furtis*, sicut etiam H et M, vel *furtivis*, ut G, quem contuli. Interpretibus procul dubio haec debentur.

355. Restitue veterem lectionem: *Amph. esse malis*, etiam propter meliores numeros, siquidem in paribus trochaicorum, imparibus iamborum, sedibus amantur spondei pedesque his compares: vide nos ad Terentii Andr. 239. Tò *Amph.* non eliditur, figura Nostro perquam familiari, praesertim in incisionibus versuum. Vid. ad 116, 341.

ALCVMENA

Experiri istuc mavellem me, quam mihi memorarier.
Prius abis, quam, ubi cubuisti, lectus concaluit locus.
Here venisti media nocte; nunc abis: hoccin' placet?

MERCVRIVS

Accedam atque hanc adpellabo, et supparasitabor patri.
Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam
Sic ecflictim amare, proinde ut hic te ecflictim deperit.

IVPITER

Carnufex, non ego te novi? abin' e conspectu meo?
Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut muttitio?
Quoid ego hoc iam scipione ....!

ALCVMENA

Ah noli!

IVPITER

Muttito modo!

356. *mihi*) Sic MSS. et vett. edd., bene, siquidem trochaïcum versum non dedecet, praesertim in loco pari, proceleusmaticus, spondeo pes compar. Hoc nescientes invexere *mi*, quod per se quidem ferri potest, secus ac quibusdam videtur, ante consonam, quomodo Most. 170 scribendum est: *Neque patiar te istanc gratiis laudasse, quae placet mi*, nisi tot iambis tetram. cat. unum obtrudere velis acatalecticum; et Virgil. dixit Aen. VI, 123: *Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Iove summo*; et Flaccus Serm. I, 4, 116: *Sit melius, causas reddet tibi: mi satis est, qui....*: sed absque libris nihil in hoc genere novandum est. Conf. et 53, 825. Tò *me* dictum est per pleonasmum, priscis valde usitatum et a quo ne recentiores quidem, in his Cicero et Livius, prorsus abstinuere: vid. Asin. 53, 59, 173; Curc. 179; Most. 602; Terent. Eun. prol. 1, et I. Rivius ad Sallustii illa: *Omnis homines, qui sese student praestare caeteris animantibus* etc., Scioppii Susp. Lectt. IV, 19.

362. *Non ego te novi?* Formula contemnentium atque iratorum. Conf. Capt. 486; Men. 543 ibique nos.

363. *Quid tibi hanc curatio est rem.... aut muttitio?* Amant hanc loquendi formam Hic et prisci. Conf. Most. 367; Terent. Eun. 617; Heusinger. ad Vechneri Hellenolex. 1, 2, 17, 2.

364. *Quoid ego*) Sic hiatum abstuli, more priscorum: vid. ad prol. 149. MSS. fere, etiam H, *Quo lego*, Ald. *Quoi lego*, hoc est *Quoid ego*, quo ducit etiam V. C., in quo litera inter o et *l* fuit erasa, si quid Pareo credimus.

MERCVRIVS

Nequiter pene expedivit prima parasitatio.

IVPITER

Verum quod dicis, mea uxor, non te mi irasci decet:
Clanculum *ego* abii a legione; hanc operam subripui tibi:
Ex me primo prima scires, rem ut gessissem publicam,
Ea tibi omnia enarravi: nisi te amarem plurimum,
Non facerem.

MERCVRIVS

Facitne, ut dixi? timidam palpo percutit.

IVPITER

Nunc, ne legio persentiscat, clam illuc redeundum est mihi:
Ne me uxorem praevortisse dicant prae republica.

MERCVRIVS

Lacrumantem ex abitu concinnas tu tuam uxorem.

IVPITER

Tace! —
Ne conrumpe oculos: redibo actutum.

ALCVMENA

Id actutum diu est.

IVPITER

Non ego te hic lubens relinquo neque abeo abs te.

ALCVMENA

Sentio:
Nam qua nocte ad me venisti, eadem abis.

365. H et M, *prima haec paras.*

366. Forte excidit *tu* ante *dicis*, quod male abest editionibus quibusdam mediis, in his Iunt. Argent. 1514; Ven. 1522; Paris. 1530.

370. *timidam*, aegram, turbatam, commotam, ut Donati verbis utar ad Eun. IV, 2, 14. Similiter Hic Bacch. 72: *ut in navi vecta es, credo, timida es.* Conf. Parei Lexicon Plaut. b. v.

373. *Lacr. - uxorem*) Vulgo haec Alcmenae tribuuntur, perquam frigide, si quid sentio, praesertim propter verba *ex abitu*, quae subtilitatis cuiusdam sunt, a perturbato mulieris animo abhorrentis. Heri sermonem in-

IVPITER

Cur me tenes?
Tempus est: exire ex urbe, priusquam luciscat, volo.
Nunc ibi hanc pateram, quae dono mi est ob virtutem data,
Pterela rex qui potitavit, quem ego mea occidi manu,
Alcumena, tibi condono.

ALCVMENA

Facis, ut alias res soles.
Ecastor condignum donum, qualist, qui donum dedit!

MERCVRIVS

Imo sic condignum donum, qualist, quoi dono datum est!

IVPITER

Pergin' autem? nonne ego possum, furcifer, te perdere

ALCVMENA

Noli, amabo, Amphitruo, irasci Sosiae causa mea!

IVPITER

Faciam ita, ut vis.

MERCVRIVS

Ex amore hic admodum quam saevos est!

terpellat h. l. supparasitans Mercurius, sicut supra 360, infra 382, 387, et similiter τῷ *Tace*, vultuose pronuntiato, retunditur, atque infra Sosia 542, 578, 638.

378. Vulg. *Nunc tibi h. p., q. d. mi illic* (Acidal. *illi*) *ob v. d. est ...., Alcumena, tibi condono.* In quibus offendit geminatum sine omni gratia pronomen *tibi*, quod vix et ne vix quidem excusetur exemplis illis pleonasmi pronominum Attici, prolatis a Vechnero Hellenolex. I, 2, 6. Contra *ibi*, quod in *tibi* degenerasse puto, transpositum est per synchysin, Huic aeque ac Terentio satis familiarem: Conf. infra 540 sq., 547, 563, 666 sq., 757, 912; Asin. 140, 170, 825; Aul. 73, 278, 439, 764; Cist. 471; Curc. 439; Men. 388; Merc. 444, Mil. 853, 1137; Most. 1053; Pers. 121; Poen. 323; Stich. 280; Terent. Eun. 258, 346, ibique nos, Heaut. 499 sq.; Ad. 560. Postquam depravatum erat *ibi*, ὁ τυχὼν istud *illic* addiderit, ut sciremus scilicet, non Thebis, sed apud Teleboas, haec gesta esse.

380. *Facis, ut alias res soles*) Formula gratias agentium. Conf. Stich. 505.

383. *perdere*) Vox iratis frequen-

IVPITER

Numquid vis?

ALCVMENA

Vt, quom absim, me ames, me, tuam absentem, tamen.

MERCVRIVS

Eamus, Amphitruo: luciscit hoc iam.

IVPITER

Abi prae, Sosia:
Iam ego sequar. Numquid vis?

ALCVMENA

Etiam, ut actutum advenias.

IVPITER

Licet.
Prius tuad opinione hic adero: bonum animum habe *modo*. — 389
Nunc te, Nox, quae me mansisti, mitto, ut concedas die:
Vt mortalibus inluciscat luce clara et candida;
Atque quanto, Nox, fuisti longior hac proxuma,

tata apud Nostrum. Vid. Acidal. Div. pag. 19, et Parei lexic. Plaut. h. v.

386. *tamen*) Vid. de hoc usu τοῦ *tamen* in extremis sententiis Capt. 323, 334; Cas. prol. 63; Mil. 1326; Dousa Centur. pag. 363 sq.; Acidalii Divv. pag. 55; Parei lexic. h. v. Graecorum haec est imitatio. Eurip. Orest. 679: Κἀγώ σ' ἱκνοῦμαι, καὶ γυνή περ οὖσ', ὅμως, et Med. 280: Ἐρήσομαι δὲ, καὶ κακῶς πάσχουσ', ὅμως.

387. *luciscit*) Ita V. C. a manu prima, et a nobis collati codd., sicut et Terent. Heaut. III, 1, 1 Bentleii liber perantiquus et duo MSS. Berolinenses. Pall. *lucescit*. Τὸ *hoc* recte coelum interpretatur Faërnus ad Terentii locum laudatum. Conf. Curc. 180; Mil. 218.

389. Illud *modo* a Pareo profectum est, neque inusitatum Plauto in hac formula. Malim tamen nunc absque illo additamento: *Prius tuad opinione hic adero: bonum animum habe.* Vid. ad prol. 149.

390. Vulg. *cedas*, deficiente numero. Facile *con*-, scriptum per compendium, obliterari potuit. Taubm. *uti cedas*, quod nunc praetulerim.

391. Vulg. *Vt mortalis inluciscas*, quasi hoc de nocte diceretur; id quod ineptum esse sensit Acidalius. Deinde *mortalis* solus Camerarii V. C., rudior ille quidem altero eius libro decurtato, et quem vix audias, ubi tot alii bonae notae codices in diversum ab eo abeunt, velut caeteri Pall. Langg. et noster G.

392. De porrecta extrema syllaba

Tanto brevior dies ut fiat, faciam: ut aeque dispar et
Dies e nocte accedat. — Ibod, et Mercurium subsequar.

AMPHITRVO. SOSIA.

AMPHITRVO

Age, i tu secundum!

SOSIA

Sequor, subsequor te. b. t. II, 1

AMPHITRVO

Scelestissimum te arbitror.

SOSIA

Nam quamobrem?

AMPHITRVO

Quia id, quod neque est nec fuit nec futurum est,
Mihi praedicas.

SOSIA

Eccere iam tuatim
Facis, tuis uti nulla apud te fides sit.

AMPHITRVO

Quid est? quo modo? Iam quidem hercle ego tibi istanc

τοῦ *longior* vide ad prologum 38.

393. *Dies* monosyllabum est h. l., sicut passim vocales *ie* contrahuntur: conf. Men. 487 (cliens), Merc. 437 (Quiesce), Most. 229; Pers. 257, 261, 399; Poen. 737 (Diespiter); Rud. 292; Trin. 544; Bentleium ad Terent. Andr. I, 2, 18.

Caeterum vulg. legitur: .... *ut aeque disparet, Et dies e nocte accedat. Ibo et M. subsequar;* in quo nec sententia nec metrum sibi constat. Et huic quidem opitulaturus *sequar* pro *subsequar* suadebat Acidalius, non male. Sed quod *dici* pro *dies* reponendum esse putat «ut, quod nocti supersit, diei accenseatur», fugit eum ratio: nam si hoc modo dies cum nocte exaequetur, quomodo dispares dici possunt? Equidem probavi Pal. 6, H et M, qui: *aeque dispar et dies* etc., arbitrorque *et* forte geminatum τῷ *disparet* se agglutinasse. Certe iam optimam habemus sententiam hanc, ut aeque dispar (aliis diebus, ut nox ista aliis noctibus) et dies e nocte (hoc est post noctem) accedere dicatur. Nam quod usum τοῦ *Et* pro *Etiam* ipsi Ciceroni abiudicant VV. DD. nae viderint isti, quomodo expediant infra 580, Curc. 488; Mil. 1326, 1337; Most. 552; Poen. 14; Rud. prol. 8, et

Scelestam, scelus, linguam abscindam!

SOSIA

Tuos sum:

Proinde, ut commodum est et lubet, quidque facias:
Tamen, quin loquar haec, uti facta sunt hic,
Nunquam ullo modo me potes deterrere.

AMPHITRVO

Scelestissume, audes, mihi praedicare, 405
Domi te esse nunc, qui hic ades?

SOSIA

Vera dico.

AMPHITRVO

Malum quod tibi di dabunt, atque ego hodie
Dabo!

SOSIA

Istuc tibi est in manu: nam tuos sum.

AMPHITRVO

Tun' me, verbero, audes, herum, ludificari?
Tun' id dicere audes, quod nemo unquam homo antehac
Vidit, nec potest fieri, tempore uno 411
Homo idem duobus locis ut simul sit?

SOSIA

Profecto, ut loquor, res ita est.

AMPHITRVO

Iupiter te

Perdat!

inprimis illa Terentii Ad. I, 2, 49: De. *Curae est mihi.* Mi. *Et mihi curae est.* Sic enim ibi unanimes, quotquot innotuere, libri tam scripti quam excusi.

401. *Tuus sum*) Vox servorum coram heris. Conf. Capt. 589, nosque ad eum locum.

402. *quidquid* Pall. praeter V. C., item H et M; quod non deterius, nisi quod versum paulo duriorem reddit.

408. H et M: *nam ego tuus sum.*

413. *res ista est*) Sic V. C. Pall. Laugg. G, H, M, et vett. edd., quod melius convenit bacchiaco.

SOSIA

Quid mali sum, here, tua ex re promeritus?

AMPHITRVO

Rogasne, inprobe, etiam, qui ludos facis me?

SOSIA

Merito mihi maledicas, si non id ita factum est;
Verum haud mentior, resque uti facta dico.

AMPHITRVO

Ebrius hic homo est, ut opinor.

SOSIA

Vtinam ita essem!

AMPHITRVO

Optas, quae facta. t. t.

SOSIA

Egone?

AMPHITRVO

Tu istic! Vbi bibisti?

SOSIA

Nusquam equidem bibi.

AMPHITRVO

Quid hoc sit
Hominis?

SOSIA

Equidem decies dixi: domi ego sum, inquam, — ecquid audis? —
Et apud te adsum Sosia idem. Satin' hoc plane, satin' diserte,
Here, nunc videor tibi locutus?

416. Vulg. sententia et metro nullis: *si id ita factum est*. Sequor equidem membranas Langg., a quibus non multum recedunt Pall. 3, 5. G quoque: *si non ita id f. e.* Pall. 1, 2, item H et M: *si res non ita facta est*, quod haud deterius.

420. Vox *inquam* non eliditur: vid. ad 341; nisi recipere velimus *tibi* post *dixi*, quod praebet H.

422. Vulg. τῷ *locutus* addunt *Esse*, quod, quomodocumque haec dimetiuntur, neutiquam admittunt numeri, dubioque procul nescio quis inter-

AMPHITRVO

Vah, apage a me!

SOSIA

Quid est negoti?

AMPHITRVO

Pestis tenet te.

SOSIA

Nam quid istuc, quod dicis? Equidem valeo et salvos

Sum recte, Amphitruo.

AMPHITRVO

At ted ego pol hodie faciam, proinde ac meritus, 424

Minus ut valeas et miser sis, salvos domos si rediero iam!

Sequere sis, qui herum ludificas dictis delirantibus,

t. t. c.

pres addidit: vid. ad 168. Proxime sequentia sic velim scribas: AM. *Vah, apage te a me!* So. *Quid est negoti?* (as. ex 2 i. h.) AM. *Pestis te tenet.* So. *Nam cur istuc dictis?* (as. ex b. d. et i. h.) (Codex G, *Nam quid est istud, quod dicis?* .... Accentus metricus in posteriore syllaba verbi *Pestis* enclitico sequente minus offendit. Caeterum molossos eorumque compares locum habere in bacchiacis et creticis Latinorum, nota res est. Conf. supra 20 sq., 401 sq., 404, 409 sqq., 414, 416; Ba. 1074, nos ad Men. 661 sq.) *Equidem valeo et salvos sum recte, Amphitruo.* AM. *At ted ego faciam hodie, perinde ac meritus, Minus* etc. Vtrumque horum metrorum, affectibus exprimendis vehementioribus aptissimorum, quum primus ego in Sarsinate repererim, non abs re fuerit, exemplis pluribus adstruere inventum atque confirmare. Et asynartetus quidem ille, qui constat duabus penthemimeribus iambicis, metri genus est Graecorum, e quibus haec fere pendent, scriptoribus dramaticis valde usitatum, velut (Tragicos ut mittam) Aristophanes dicit Eccles. 1016 ed. Invernizz.: Ω χρυσοδαίδαλτον ἐμὸν μέλημα. Plautus id adhibuit etiam Aul. 99 sqq. cum clausula ex i. h. constante, et Cas. 547, qui versus sic legendus est: PH. *Quid cum ea negoti tibi est.* ST. *Peccavi;* item Epid. 165 sq., 319; Men. 502 (ubi eiusmodi catalecticus clausulae loco usurpatus est, qualem itidem praebent Graeci, velut Aeschylus Agam. 104, 447; Eum. 163, 354; Sophocles El. 1018, 1226, nostrarum editionum, Euripides El. 1186) nec non Most. 868 sq., 890 sq.; Pers. 268 sq.; Pseud. 580 sq.; Rud. 815 sq., et infra suppositae scenae *Di vostram* vers. 4, 13, 16, 19. Inveniuntur quoque versus ex tribus

Qui, quoniam herus quod imperavit, neglexisti persequi,
Nunc venis etiam ultro inrisum dominum; quae neque fieri
Possunt, neque fando unquam accepit quisquam, profers, carnufex;
Quoius ego hodie in tergum faxo ista expetant mendacia!

SOSIA

Amphitruo, miserruma istaec miseria est servo bono,
Apud herum qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.

AMPHITRVO

Quo id, malum, pacto potest nam (mecum argumentis puta)
Fieri, nunc ut tute hic sis et domi? id dici volo.

SOSIA

Sum profecto et hic et illi. Hoc quoivis mirari licet,
Neque tibi istuc mirum mage videtur, quam mi, *Amphitruo.*

penthemimeribus iambicis compositi Capt. 429, ubi vide nos, Epid. 318, quem versum, tauqnam clausula, sequitur alius ex duabus constans Epid. 326 sq.; Rud. 848, et aliquoties in spuriis Amphitruonis. Eiusmodi catalecticum habes Epid. 519 et scenae suppositae *Quis tam* 16. Sed propero ad alteram illam speciem asynartetorum, a me hic erutam, quae continetur baccheo dimetro et penthemimeri iambica, sive iambo hypercatalectico. Eam quoque non raro usurpavit Noster velut Capt. 138 seq., 720; Cas. 533 sq., quem locum quomodo nunc correctum velim, vide ad ipsum, Curc. 117; Epid. 514; Merc. 330 sq.; Mosl. 121, 306 sq., 758 sqq., 771 sq., 872, 884 sq.; Pseud. 1116 sqq.; Rud. 311 sq. Neque desunt apud eum similes metrorum formae, quas recensui ad Aul. 92-95. Versu autem admonitus vulgatum *proinde* mutavi in *porinde*, quae verba passim inter se permutantur, dedique *meritus es*: vid. ad 168.

430. Vulg. *tergo*, quo servato τὸ *in* delendum erat, siquidem, monente Acidalio, vel expetere alicui, vel expetere in aliquem, dicitur. Sed praestat reponere cum eodem et Lambino: *in tergum*; et sic G.

434. Vulg. *nunc uti tu hic* etc., inconcinne quidem. Codd. et vett. edd. fere *ut*. Vid. ad 440.

436. Τὸ *Amphitruo*, quod vulgo desideratur, numeros sarciendi causa addidi, ut dudum Pareus fecit. Sequens personae nota fraudi fuit nomini, ut contra 924 eius addendi an-

AMPHITRVO

Quomodo? •

SOSIA

Nihilo, inquam, mirum mage tibi istuc quam mihi.
Neque, ita me di ament, credebam primo mihimet Sosiae,
Donec Sosia ille egomet fecit, sibi uti crederem.
Ordine omne, ut quidquid actum est, dum apud hostis sedimus,
Edissertavit; tum formam una abstulit cum nomine;
Neque lac lacti magis est simile, quam ille ego similist mei.
Nam ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum . . .

AMPHITRVO

Quid igitur?

SOSIA

Prius multo ante aedis stabam, quam illo adveneram.

sam praebuit scriptori codicis H, qui sic ibi: BR. *Geminos.* AM. *Amphitrio, di me servant.* Similiter in eodem libro nomen Sosia omissum est 459, et scatent eiusmodi vitiis MSS., velut etiam Cic. de Off. I, 16, 5, non, ut vulgo, *ut sit constitutum*, e *quibus ipsis*, sed legendum puto: *ut sit constitutum antiquitus ipsis*, τὸ *ant*.... a simili, quod antecedit, *um* interceptum ratus. Nomine autem herum appellat h. l. servus pro simplicitate aevi heroïci, sicut supra 424, 431, infra 453, 499, 553; neque aliter subditivus ille Sosia 387: *Eamus, Amphitruo.* Quod propterea moneo, ne quis auctoritate Servii moveatur, observantis ad Virgilii Georg. IV, 321, et Aen. XII, 652: Contumeliam esse, superiorem nomine vocare: nam seriorum ille temporum mores respexit.

440. *quidquid*) Ita quidam Langg. Pall. praeter V. C., item H, neque erat, quod hoc Plauto abiudicaret Dousa Centur. 31. Vulgati libri, *quidque;* Venetae annorum 1495 et 1499, item Camer., *quidquam.* Maluit *quidquid* etiam Bentleius ad Terentii Eun. V, 4, 48, praeferendumque est vel euphoniae causa, ne verborum huius loci *e* litera terminatorum numerus augeatur. Vett. edd. fere *ut*, non *uti*, pro more suo at scriptorum.

442. Pall., MS. Pirkheim. apud Pareum et noster M, *lactis*, ut statim *mei.*

AMPHITRVO

Quas, malum, nugas? satin' tu sanus es?

SOSIA

Sic sum, ut vides.

AMPHITRVO

Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu,
Postquam a me abiit.

SOSIA

Fateor: nam sum obtusus pugnis pessume.

AMPHITRVO

Quis te verberavit?

SOSIA

Egomet memet, qui nunc sum domi.

AMPHITRVO

Cave quidquam, nisi quod rogabo te, mihi responderis.
Omnium primum, iste qui sit Sosia, hoc dici volo.

SOSIA

Tuos est servos.

AMPHITRVO

Mihi quidem uno te plus etiam est, quam volo:
Neque, postquam sum natus, habui nisi te servom Sosiam.

SOSIA

At ego nunc, Amphitruo, dico, Sosiam servom tuom,
Praeter me alterum, inquam, adveniens faciam ut offendas domi,
Davo prognatum patre eodem, quo ego sum: forma, aetate item,
Qua ego sum. Quid opus verbis? geminus Sosia hic factust tibi.

AMPHITRVO

Nimia memoras mira. Sed vidistin' uxorem meam?

SOSIA

Quin introire in aedis nunquam licitum est.

AMPHITRVO

Quis te prohibuit?

SOSIA

Sosia ille, quem iamdudum dico, is, qui me contudit.

AMPHITRVO

Quis istic Sosia est?

SOSIA

Ego, inquam: quotiens dicundum est tibi?

AMPHITRVO

Sed quid ais? num obdormivisti dudum?

SOSIA

Nusquam gentium.

AMPHITRVO

Ibi forte istum si vidisses quendam in somnis Sosiam.

SOSIA

Non soleo ego somniculose herid imperia persequi:
Vigilans vidi, vigilans nunc te video, vigilans fabulor,
Vigilantem ille me iamdudum vigilans pugnis contudit.

AMPHITRVO

Quis homo?

SOSIA

Sosia, inquam, ego ille! quaeso, non me intellegis?

AMPHITRVO

Qui, malum, intellegere quisquam potis est? ita nugas blatis.

SOSIA

Verum actutum nosces.

AMPHITRVO

Quem?

466. Vulg. *nonne*, minus significanter. Sequor veterem codicem Scriverii, Venet. anni 1522, Par. 1530, Bas. 1568. H *num me intelligis*. Saepe autem inter se permutantur *non*, *num* et *nunc*.

468. Vitiose Pall., item H M et vet. edd.: *Ver. a. nosces* (h. l. distinguitur

SOSIA

Illum nosces servom Sosiam.

AMPHITRVO

Sequere hac igitur me: nam mi istuc primum exquisito est opus.
Sed vide ex navi ecferantur, quae imperavi, iam omnia.

SOSIA

Et memor sum et diligens, ut, quae imperes, conpareant.
Non ego cum vino simitud ebibi imperium tuom.

AMPHITRVO

Vtinam dî faxiut, infecta re dicta eveniant tua?

ALCVMENA. AMPHITRVO. SOSIA.

ALCVMENA

Satin' parva res est voluptatum in vita atque in aetate agunda, b. s. II, 2
Praequam quod molestum est? Ita quoi in aetate hominum est conparatum,

in Pall. 1, 2) *inquam illum nosces;* quam etiam V. C. Saepius *i* pro *a* scriptum in codd.

472. Similis locus est Pers. 170.

474. *Satin'* seu *Satin* ut priscis illis in usu fuit pro *Nonne satis:* Nonne satis (causae est), ut hoc vel illud facias? Nonne satis (est), ut (quomodo) aliquid fecisti? Tò *ne* etiam sequenti vocabulo annectitur, velut As. 427. Exempla vid. apud Pareum in lexico Plautino hh. vv. Cf. Gronov. ad Most. 73. Caeterum rarius iuveniuntur bacchiaci senarii, inveniuntur tamen praeterquam h. l. etiam Capt. 429 sq., ubi vide, quae annotamus, item Truc. 677 cum b. tr. pro clausula usurpato, cuius vicem praestat Captivorum loco b. d. Bacchiacos octonarios non nisi h. l. reperi et Ba. 1074-1095, ubi item videnda annotatio.

475. Operarum oscitantia *quoi* dedit pro *quoique*, quae omnium librorum lectio est, sententiaque non minus quam metro comprobatur. Animadvertas autem, τò *ita* posteriore longa passim apud Hunc legi, velut hoc et sequente versu, item Asin. 3; Aul. 30; Ba. 77; Capt. 25, 302; Cas. 227; Poen. 435. Idem patiuntur *cedo*, *cito*, *ego*, *eho*, *homo*, *imo*, *modo*, *nisi*, *quasi*, *quia:* vid. nos ad Aul. 668,

Ita dîs est placitum, Voluptati ut Moeror comes consequatur.
Quin incommodi plus malique eloco adsit, boni si obtigit quid.
Nam ego id nunc experior domo, atque ipsa de me scio, quoi voluptas
Parumper data est, dum viri mei potestas fuit mihi videndi
Noctem unam modo, atque is repentino abiit a med hinc ante lucem:
Sola hic mihi nunc videor, quia ille hinc abest, quem ego amo praeter omnis
Plus aegrid ex abitu viri quam ex adventu voluptatis cepi.
Sed hoc me beat saltem, quod perduellis vicit, et domum laudis conpos revenit: b. o.
Id solatio est. Absit, dum laude parta domum recipiat se: feram et perferam usque
Abitum eius animo fortid atque obfirmato. Id modo si mercedis datur mi, ut meus vir

sqq.; Ba. 759 seq.; Merc. 668, 700; Poen. 112, 114, 182, 194; Wasii Senar. cap. 16.

476. Vulg. *voluptatem*; sed edd. vett. *voluptati*, quod elegantius: vid. Taubm. ad h. l.

480. Vulg. *repente*, vitiato numero. *Repentino* Hic Pseud. 37. Charisius Putsch. pag. 193: « *Repentino* pro *repente*, Cicero (Quinl. 4), ut Statilius Maximus notat. Afranius in Emancipato: *Vt sint repentino odparandae nuptiae*. Item in Vopisco: *Vbique repentino huius consimile accidit.* » Rarior vox tritiori cessit, sicut passim.

483. Vi caesurae vel ictus posterior syllaba τοῦ *vicit* producitur. Nihil hac figura frequentius apud poëtas. Virg. Georg. IV, 147: *Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi*; et Eclog. VI, 53: *Ille latus niveum molli fultus hyacintho*; et Eclog. IX, 66: *Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus*; Ovid. Epist. ex Ponto IV, 3, 44: *Indigus effectus omnibus ipse magis.* Inprimis vero illud —*it* praesentium magisque praeteritorum activorum hoc modo saepe porrigitur ante vocales, velut Capt. 9; Merc. 441; Mil. 824; Pseud. 304; Poen. 591; Rud. 666; Stich. 371; Truc. 821, 844; Ovid. Met. III, 546, IV, 711, VII, 170; Epist. ex Ponto I, 3, 74, IV, 46. Quin etiam extra caesuram idem fit Asin. 592; Mil. 824. Vide Wasii Senar.

Victor belli clueat: satis mi esse ducam. Virtus praemium est optumum. Virtus omnibus anteit profecto. Libertas, salus, vita, res et parentes et patria et prognati,
Tutantur, servantur. Virtus omnia in sese habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus.

AMPHITRVO

Edepol me uxori exoptatum credo adventurum domum, t. t. c.
Quae me amat, quam contra amo; praesertim re gesta bene,
Victis hostibus, quos nemo posse superari ratust:
Eos auspicio meo atque ductu primo coetu vicimus.
Certe enim, me illi expectatum optatae venturum, scio.

SOSIA

Quid? me expectatum non rere amicae venturum meae?

ALCVMENA

Meus vir hic quidem est.

AMPHITRVO

Sequere hac tu.

cap. 5, nos ad Terentii Eun. 215, et ad Merc. 688.

486–88. Nimia patientia tuli ista: *Virtus praemium est optumum*, quae insipidi glossa hominis existimanda est, non dubitantis praemium dicere virtutem, quae neque capi in bello potest, ut praeda, neque praemii loco cuiquam dari, sed ipsa potius donis praemiisque afficitur ab intelligentibus et probis. Et frustra haec interturbant versus bacchiacos, quibus constat locus, eoque signo non minus agnoscuntur spuria. Quibus deletis, ita reponas velim: *Victor belli clueat: satis mi esse ducam. Virtus omnibus rebus anteit profecto.* (b. o.) *Libertas, salus, vita, res et parentes, et patria et prognati tutantur, servantur. Virtus omnia in se habet: omnia adsunt bona, quem penes est virtus.* (t. t.) Legitur vulgo inconcinne: *res, parentes, Patria.* Priorem copulam praebent V. C. Pall. H M, posteriorem H et M, quas addendas esse vidit etiam Hermannus de Metris pag. 200. Trochaïcus plenus transitum munit ad eiusmodi versus catal., qui iam sequuntur.

489. Vox peregre advenientium. Conf. Most. 430.

493. Vulg. *optato*, ταυτολογικῶς. *Illi optatae*, sicut 511, *uxorem speratam suam.* Non enim sperata ibi ἡ μνηστευομένη.

495. V. *S. h. tu me*, versu impingente.

ALCVMENA

Nam quid illic revortitur,
Dudum qui properare se aibat? an illic me tentat sciens?
Atque id si volt experiri, suom abitum ut desiderem,
Ecastor med haud invita se domum recipit suam.

SOSIA

Amphitruo, redire ad navim meliust nos.

AMPHITRVO

Qua gratia?

SOSIA

Quia domi daturus nemo est prandium advenientibus.

AMPHITRVO

Qui tibi nunc istuc in mentem?

SOSIA

Quia enim sero advenimus.

AMPHITRVO

Qui?

SOSIA

Quia Alcumenam ante aedis stare saturam intellego.

AMPHITRVO

Gravidam ego illanc hic reliqui, quom abeo.

SOSIA

Hei, perii miser!

499. Vulg. *navem*. Rariorem formam sumsi ex Iunt. Ven. 1522, Par. 1530, quam nescio qno pacto unice probat Donatus Putsch. 1750, ubi baec leguntur: «Quaecumqne nomina ablativo casu singulari *i* litera fuerint terminata, genitivum pluralem in *ium* mittunt, dativum et ablativum in *bus*, nt ab hac *puppi*, harum *puppium*, his et ab his *puppibus*. Huiusmodi nomina casum accusativum pluralem propter differentiam melius in *is* quam in *es* syllabam terminant, nt *has puppis*, *navis*, *clavis*, quia *puppim*, *navim*, *clavim*, et non *puppem*, *navem*, *clavem*.»

503. *quom abeo*, pro *quom abivi*, sicut passim Noster, ad quam faciem rescripsi etiam Most. 24: *Haeccine mandavit tibi, quom peregre hinc it, senex?* Similiter *dum*, *quia*, *postquam*, tempori praesenti iunguntur apud veteres: vid. Capt. 417; Pers. 826; Rud. 279, 419; Stich. 487;

AMPHITRVO

Quid tibi est!

SOSIA

Ad aquam praebendam commodum adveni domum
Decumo post mense, ut rationem te ductare intellego.

AMPHITRVO

Bono animo es!

SOSIA

Scin', quam bono animo? situlam iam cepero,
Nunquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem,
Ni ego illi puteo, si occepsod, animam omnem intertraxero.

AMPHITRVO

Sequere hac me modo: alium ego isti re adlegabo; ne time.

ALCVMENA

Mage nunc iam meum officium facere, si huic eam advorsum, arbitror.

AMPHITRVO

Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam,
Quam omnium Thebis vir unam esse optumam diiudicat,

Phorm. prol. 1 ibique Donatus. Frustra hic turbatur.

505. Vulg. *dictare*, quae loquendi forma prorsus inusitata est. Sequor Lambinum.

506. Vulg. ἀμέτρως: *Sc. q. b. a. sim? Si situlam cepero. Sim* et *si* ex prima syllaba τοῦ *situlam* videntur orta. Codex G: *si situlam illam cep.*, quod primitus fuisse puto: *si sit*, *iam cep.*, ut praeferebant, teste Pareo, V. C. et omnes Pall. Langiani: *situlam si iam cep. Cepero*, ut *Dedero* Asin. 420 etc.

507. Vulg. itidem inconcinne legitur ex interpretatione: *N. e. tu m. div. quidquam cr.* etc. De forma loquendi conf. Asin. 440; Bacch. 469; Truc. 278, intpp. ad primum horum locorum, Gruteri Suspicc. IV, 5.

510. Vulg. *M. nunc meum off.*, versu manco. Langg.: *M. nunquam m. off.*, quod fuerit: *M. nunq iam*, hoc est *nunc iam*, casco illo more scribendi, quo et *eoquus* pro *cocus*, *hirquus* pro *hircus* et similia olim scriptitarunt. Possis etiam legere: *M. n. me meum off.* etc. Vid. ad 356.

512. Codex G, *Q. o. Thebes viri unam – diiudicant*. Illud *viri* fortasse

Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam.
Valuistin' usque? expectatusne advenio?

SOSIA

Haud vidi magis
Expectatum; eum salutat magis haud quisquam, quam canem.

AMPHITRVO

Et quom gravidam et quom te pulcre plenam adspicio, gaudeo.

ALCVMENA

Obsecro ecastor, quid tu me deridiculi gratia
Sic salutas atque adpellas, quasi dudum non videris,
Quasique nunc primum domum te recipias ex hostibus,
Atque me nunc proinde adpellas, quasi multo post videris?

AMPHITRVO

Imo equidem te, nisi nunc hodie, nusquam vidi gentium.

ALCVMENA

Cur negas?

AMPHITRVO

Quia vera didici dicere.

ALCVMENA

Haud aequom facit,
Qui, quod didicit, id dediscit. An periclitamini,
Quid animi habeam? Sed quid huc vos revortimini tam cito?
An te auspicium conmoratum est? an tempestas continet,
Qui non abiisti ad legiones, ita uti dudum dixeras?

ortum est ex *viram*, hoc est foeminam. Vid. Festus v. *Querquetulanus*.

513. Festus et Nonius *rumiferant*, quod quibusdam videtur praeferendum.

519. Vulg. *Quasique* (veteres libri fere: *Quasi qui*) *n. p. recipias te domum huc ex h.*, pravo accentu verbi *recipias*. Vid. ad 203. *Huc* abest codice G.

AMPHITRVO

Dudum? quam dudum istuc factum est?

ALCVMENA

Tentas? iampridem: modo.

AMPHITRVO

Qui istuc potis est fieri, quaeso, ut dicis, iampridem, modo?

ALCVMENA

Quid enim censes? tu ut deludam contra, lusorem meum,
Qui nunc primum te advenisse dicas, modo qui hinc abieris?

AMPHITRVO

Haec quidem deliramenta loquitur.

SOSIA

Paulisper mane,
Dum edormiscat unum somnum.

AMPHITRVO

Quaene vigilans somniat?

ALCVMENA

Equidem ecastor vigilo, et vigilans id, quod factum est, fabulor:

527 sq. Vulg. AM. *D.? q. d. i. f. e.?* AL. *T.; iam dudum, pridem, modo*, versu hypermetro. Et H quidem: *Tentas quasi dudum* (hoc ex 518), *modo*, omisso *pridem*; sed infra vetus scriptor scenae supposititiae *Di vostram*, qui plures Plauti locos verbo tenus expressit, vs. 61 sq.: AM. *Quando gentium?* So. *Dudum, iam pridem, modo:* ubi metrum iubet deleri τὸ *Dudum*, sicut fecimus in recensione istius scenae. Expungendum id igitur etiam h. l. in Alcmenae responsione, si quidem non est verisimile, quemquam τὸ *dudum*, quod iam ter hic legimus, si explicandum sibi putasset adscripto *pridem*, quarto potius loco quam primo explicaturum fuisse; sed nove illatum *pridem* τῷ *dudum*, in antecedentibus sublecto, eum declarasse verisimillimum est. Genuina igitur haud dubie lectio, a me posita, quumque sequente versu ipsa coniugis verba repetat Amphitruo, ibi quoque *iampridem* pro vulgato *iamdudum* fuit rescribendum.

530. Dele signum interrogandi.

Nam dudum ante lucem et istunc et te vidi.

AMPHITRVO

Quo in loco?

ALCVMENA

Hic in aedibus, ubi tu habitas.

AMPHITRVO

Nunquam factum est.

SOSIA

Non taces?

Quid, si e portu navis huc nos dormientis detulit?

AMPHITRVO

Hei!
Etiam tu quoque adsentaris huiic?

SOSIA

Quid vis fieri?

Non tu scis, Bacchae bacchanti si velis advorsarier,
Ex insana insaniorem facies: feriet saepius;
Si obsequare, una resolvas plaga.

AMPHITRVO

At pol quin certa res

Hanc est obiurgare, quae med hodie advenientem domum
Noluerit salutare.

SOSIA

Inritabis crabrones.

AMPHITRVO

Tace. —

Alcumena, unum rogare te volo.

ALCVMENA

Quidvis roga.

537. *huiic*) Vulg. *huic*, quod inconcinnum. Vid. ad 128.

540 sq. *At pol quin certa res Hanc est obiurgare*) Synchysis. Vid. ad 378. De formula conf. Asin. 799.

543. Vulg. ἀμέτρως: *quid vis roga.*

AMPHITRVO

Num tibi aut stultitia accessit, aut superat superbia?

ALCVMENA

Qui istuc in mentem est tibi ex me, mi vir, percontarier?

AMPHITRVO

Quia salutare advenientem me solebas anted at-
que adpellare itidem ut pudicae suos viros quae sunt solent;
Eo more expertem te factam adveniens obfendi domi.

ALCVMENA

Ecastor equidem te certo herid advenientem eloco
Et salutavi, et, valuissesne usque, exquisivi simul,
Mi vir, et manum adprehendi, et osculum tetuli tibi.

SOSIA

Tun' heri hunc salutavisti?

ALCVMENA

Et te quoque etiam, Sosia.

SOSIA

Amphitruo, speravi istanc tibi parituram filium;
Verum non est puero gravida.

re? roga. Ex interpretatione irrepsit *rogare*, quod abest Venet. 1522, Paris. 1530, Camer. Basil. 1568. Similiter Aul. 115 Pal. 3: *si quid vis rogitare, roga.*

545. *in mentem est*) Ita Langg. et Pal. 5, quum vulgati libri exhibeant, *in mente est.* Conf. de hac et similibus elegantiis supra 24, item Asin. 85; Aul. 17, 757; Cas. 131, 368; Cist. 457; Curc. 353; Epid. 182; Merc. 872; Poen. 1134; Rud. 838; Terent. Ad. IV, 1, 12, ibique Bentleius.; Scioppii Suspp. Lectt. I, 17, et grammaticos. Caeterum v. versu imperfecto: *Q. i. m. est tibi, mi v. p.?* H *....mi vir, ex me p.?* Camerarius tentabat: *.... tibi me, mi v., p.?*

546. Vulg. *antidhac: Appellare* etc., asyndeto prorsus intolerabili. Facile *antedac* transiit in *antidhac.*

549. Vulg. *heri*, quod ferendum, τῷ *advenientem* non eliso. Vid. ad 341.

551. Vulg. *prehendi.* Expressimus elegantiorem Helmstad. codicis lectionem.

553. Forte ante *istanc* excidit *ego*, quod abest quidem G. De proceleus-

AMPHITRVO

Quid igitur?

SOSIA

Insania.

ALCVMENA

Equidem sana sum, et deos quaeso, ut salva pariam filium;
Verum tu magnum malum habebis, hic si suom officium facit;
Ob istuc omen, ominator, capies, quod te condecet!

SOSIA

Enimvero praegnati oportet ad malum malum dari:
Vt, quod obrodat, sit, animo si male esse occoeperit.

AMPHITRVO

Tu me heri hic vidisti?

ALCVMENA

Ego, inquam, si vis decies dicere.

AMPHITRVO

In Somnis fors.

ALCVMENA

Imo vigilantem vigilans.

AMPHITRVO

Vae misero mihi!

matico *tibi pari* — vid. ad 356.

554. De producta ante vocalem extrema syllaba τοῦ *igitur* vid. ad prol. 38. *Quid* valet *qui*. Vid. ad prol. 149.

558. *praegnati*) Sic Langg. V. C. Pal. 2, ut prisci loquebantur. Vulg. *praegnanti*. Legitur quoque vulgo: *et malum et malum dari*; sed Pall., teste Pareo, *et malum malum d.* Aliena Gruteri bina mala amatoria, ut quae non obrodantur; sed legendum: *ad malum malum d.*, h. e. malum (Punicum) contra malum. Vid. Horat. Tursell. de Partt. verbo *ad* n. 15. Quod etiam accipi poterat sicut illud Ba. 389: *hoc ad malum arcessebatur malum*; et duplicem hunc intellectum captavit Plautus.

561. Vulg. versu claudicante: AM. *In s. fortasse.* AL. *I. vigilans vigilantem.* AM. *V. m. m.* Fortasse verbi rarioris interpretamentum est.

SOSIA

Quid tibi est?

AMPHITRVO

Delirat uxor.

SOSIA

Atra bili percita est:
Nulla res tam delirantis homines concinnat cito.

AMPHITRVO

Vbi primum tibi sensisti, mulier, inpliciscier?

ALCVMENA

Equidem ecastor sana et salva sum.

AMPHITRVO

Cur igitur praedicas,
Te me heri vidisse, qui hac noctu in portum advecti sumus?
Ibi coenavi, atque ibi quievi in navi noctem perpetem,
Neque pedem meum huc intuli etiam in aedis, ut cum exercitu
Hinc profectus sum ad Teleboas hostis, eosque ut vicimus.

ALCVMENA

Imo mecum coenavisti, et mecum cubuisti.

AMPHITRVO

Quid est?

ALCVMENA

Vera dico.

AMPHITRVO

Non quidem hercle de hac re; de aliis nescio.

564. H *implicarier*, ex int.

566. Restitue veterem verborum ordinem: *Te heri me.* *Te* monosyllabum sub ictu positum non eliditur: vid. Bentleii Sched. de mett. Terentt. c. 8, nos supra ad 149.

570. Vulg. *Quid id est?* nullis numeris. Sequor Ald. etc. Post hunc

ALCVMENA

Primulo diliculo abivisti ad legiones.

AMPHITRVO

Quomodo?

SOSIA

Recte dicit: ut conmeminit, somnium narrat tibi;
Sed, mulier, postquam experrectad es, prodigiali Iovi
Aut mola salsa hodie, aut thure, conprecatam oportuit.

ALCVMENA

Vae capiti tuo!

SOSIA

Tua istuc refert, si curaveris.

ALCVMENA

Iterum iam hic in me inclementer dicit, atque id sine malo.

AMPHITRVO

Tace tu! — Tu dic: egone abs te abii hinc hodie cum diluculo?

ALCVMENA

Quis igitur, nisi vos, narravit mi, illi ut fuerit proelium?

AMPHITRVO

An et id tu scis?

ALCVMENA

Quippe quae ex te audivi, ut urbem maxumam
Expugnavisses, regemque Pterelam tute occideris.

versum ista ex Nonio verbo *Scelesta* (nam quod MSS. ipsius Plauti praetenduntur, aures non praebeo): *Nihil* (Dousa, *Nihilne*) *te pudet, scelesta, populi in conspectum ingredi?* inculcabat Meursius, male: vid. Pistoris infra ad II, 2, 193 Taubm.

576. G, fortasse per synchysin, *istaec.*

580. Vulg. *A. etiam i. t. s.* etc. turbatis numeris, nisi deleas *quae* cum G, quod nolim. Argent. 1514, Ven.

AMPHITRVO

Egone istuc dixi?

ALCVMENA

Tute istic, etiam adstante hoc Sosia.

AMPHITRVO

Audivistin' tu me narrare hoc hodie?

SOSIA

Vbi ego audiverim?
Hanc roga: me quidem praesente nunquam factum est, quod sciam.

ALCVMENA

Mirum, quin te advorsus dicat.

AMPHITRVO

Sosia, age, me huc adspice.

SOSIA

Specto.

AMPHITRVO

Vera volo loqui te: nolo adsentari mihi:
Audivistin' tu hodie me illi dicere ea, quae illa autumat?

SOSIA

Quaeso, edepol, num tu quoque etiam insanis, quom id me interrogas,
Qui ipsus equidem nunc primum istanc tecum conspicio simul?

AMPHITRVO

Quid nunc, mulier? audin' illum?

ALCVMENA

Ego vero, ac falsum dicere.

1522, Paris. 1530, Basil. 1568: *An et id*, quod probo: vid. ad 393.

582. *Tute istic.* Vid. ad 210.

590. Soloece in vulgatis legitur; *Quin n., m., a. i.?* G et H, *Quid*, Langg. V. C. Pal. 3 *Qui*, quod eodem recidit. *Quid nunc?* vel *Quid igitur?* Τί οὖν? formulae loquendi sunt per-

AMPHITRVO

Neque tu illi, neque mihi, viro, ipsi credis?

ALCVMENA

Eo fit, quia mihi
Plurimum credo, et scio istaec facta, proinde ut proloquor.

AMPHITRVO

Tun' me heri advenisse dicis?

ALCVMENA

Tun' te abisse hodie hinc negas?

AMPHITRVO

Nego enimvero, et me advenisse nunc primum aio ad te domum.

ALCVMENA

Obsecro, etiamne hoc negabis, te auream pateram dedisse t. t.
Dono mi hodie, qua ted illi donatum esse dixeras? t. t. c.

AMPHITRVO

Neque edepol dedi, neque dixi; verum ita animatus fui,

vulgatae, quid alter dicturus facturusve sit, impatientius expectantis. Vid. Parei lexicon Plaut. hh. vv. Verba *ego vero – credis?* etiam in nostris codd. desiderabantur.

596. Vulg.: ....*pateram mihi Dedisse dono hodie, qua te illic donatum esse dixerat?* quasi credibile sit, in eadem sententia neque mutato affectu variari metrum, et tot trochaïcis unum iambum intermixtum esse a poëta. Quia singulus trochaïcus longus hic usurpatus est, sicut saepius, ad significandam gliscentem animi perturbationem: conf. 897, Aul. 101; Capt. 492; Cas. 302; Cist. 364; Curc. 569, 573; Epid. 81, 218, 601; Men. 76, 272, 276; Merc. 132; Mil. 216, 230, 260; Most. 889, 893; Pers. 194, 249, 269, 468, 470, 474, 810; Poen. 130; Pseud. 196, 198, 215, 218, 579; Stich. 286, 294, 655, 661; Trin. 602; Truc. 89, 97, 568, 672; Terentii Andr. 217, 219, 273, 577; Eun. 564; Phorm. 145, 453, 691; Hec. 224, 784. Caeterum V. C. *illi*, vulgati libri *illic*. Illud priscis, velut Huic et Terentio, valde usitatum. Donatus ad Adelph. I, 2, 36: «*Ego illi maxumam partem feram*) Errant, qui putant, *illi* esse pronomen, quum sit adverbium loci, ut (Aen. II, 548): *Illi mea tristia fata Degeneremque Neoptolemum narrare memento.* *Illi* er-

Itaque nunc sum, ut ea te patera donem. Sed quî istuc tibi
Dixit?

ALCVMENA

Ego quidem ex te audivi, et ex tua accepi manu
Pateram.

AMPHITRVO

Mane, mane, obsecro te! — Nimis demiror, Sosia,
Quî illaec illic me donatum esse aurea patera sciat, 601
Nisi tu dudum hanc convenisti et narravisti haec omnia.

SOSIA

Neque edepol dixi, neque ego istam vidi, nisi tecum simul.

AMPHITRVO

Quid hoc sit hominis?

ALCVMENA

Vin' proferri pateram?

AMPHITRVO

Proferri volo.

ALCVMENA

Fiat. — Tute, Thessala, intus pateram proferto foras, 605
Qua hodie vir meus me donavit.

AMPHITRVO

Secede huc tu, Sosia.

go: ibi, ubi ille peccat. Quare quidam etiam *li* syllabam discretionis causa, ut locum significet, corripiunt. »

598. Vulg. *quis istuc*, correpta priore syllaba τοῦ *istuc*, quod duriusculum in extremo versu.

600. *Mane* vel *Manedum*, vel etiam *Mane*, *Mane*, formulae sunt novi quid dicturi acturive et ad id attendere alterum iubentis: cf. Asin. 851, Rud. 922, 926, nos ad Terent. Hec. 688–90.

601. M *illi*, quod recipiendum fuit: vid. ad 596.

604. Hic iambus est tetrameter, quod in margine annotabis: nam *hoc*, verbum grave, corripi, durissimum foret.

605. Vulg. ἀμέτρως, *Tu*. Sequor Pareum.

Enimvero illud praeter alia mira miror maxume,
Si haec habet pateram illam.

SOSIA

An etiam id credis, quae hac cistellula
Tuo signo obsignata fertur?

AMPHITRVO

Salvom signum est?

SOSIA

Inspice.

AMPHITRVO

Recte! ita est, ut obsignavi.

SOSIA

Quaeso, quin tu istanc iubes
Pro cerrita circumferrier?

AMPHITRVO

Edepol quin facto est opus:
Nam haec quidem edepol larüarum plena.

ALCVMENA

Quid verbis opust?
Hem tibi pateram, eccam!

AMPHITRVO

Cedo mi!

ALCVMENA

Age, adspice huc sis nunc iam
Tu, qui, quae facta, inficiare; quem ego hic convincam palam!
Estne haec patera, qua donatus illi?

AMPHITRVO

Summe Iupiter,

608. Vulg. *quae in hac*, horridiore numero. Omissa praepositio in H.

Quid ego video? haec ea profecto est patera! Perii, Sosia!

SOSIA

Aut pol haec praestigiatrix mulier multo maxuma est,
Aut pateram hic inesse oportet.

AMPHITRVO

Agedum, solve cistulam.

SOSIA

Quid ego istanc solvam? Obsignata est recte. —
Res gesta est bene:
Tu peperisti Amphitruonem; ego alium peperi Sosiam;
Nunc si pateram patera peperit, omnes congeminavimus.

AMPHITRVO

Certum est aperire atque inspicere.

SOSIA

Vide sis, signi quid siet:
Ne posterius in me culpam transferas.

AMPHITRVO

Aperi modo:
Nam haec quidem nos delirantis facere dictis postulat.

ALCVMENA

Vnde haec igitur est, nisi abs te, quae mihi dono data est?

AMPHITRVO

Opus mi est istuc exquisito.

SOSIA

Iupiter! proh Iupiter!

AMPHITRVO

Quid tibi est?

618. Vulg. *Agedum, eam s. c.*) Sed istud *eam* nec sententiam iuvat, quum per se facile intelligatur, et aspera contractione τῶν - *dum eam* in unam syllabam corrumpit versum.

SOSIA

Hic patera nulla in cistula est!

AMPHITRVO

Quid ego audio?

SOSIA

Id, quod verum.

AMPHITRVO

At cum cruciatu, iam nisi adparet, tuo!

ALCVMENA

Haec quidem adparet.

AMPHITRVO

Quis igitur tibi dedit?

ALCVMENA

Qui me rogat.

SOSIA

Captas me, quia tute ab navi clanculum huc alia via
Praecucurristi, atque hinc pateram tute exemisti, atque eam
Huic dedisti, posthac rursus obsignasti clanculum.

AMPHITRVO

Hei mihi! iam tu quoque huius adiuvas insaniam! —
Ain', heri nos advenisse huc?

ALCVMENA

Aio; adveniensque eloco
Me salutavisti, et ego te, et osculum tetuli tibi.

SOSIA

Iam illud non placet principium de osculo.

628. Vulg. — *verum est.* AM. *A. a. cruciatu iam, ni. a., t.*, versu pessimo. V. C. et Pall., *nisi.*

636. Vulg. haec Amphitruoni tribuuntur; sed exclamatio ista *Iam illud non placet principium de osculo* non decet virum, mulieris facta caute ac lauiter exquirentem (conf. sequentia usque ad 644), decet servulum loquacem, qui similiter mox: *Euge, optume! Nunc exquire!* et: *Hei! non placet convivium.* Vulg. etiam:

AMPHITRVO

Perge exsequi.

ALCVMENA

Lavisti.

SOSIA

Au!

AMPHITRVO

Quid, postquam lavid?

ALCVMENA

Adcubuisti.

SOSIA

Euge! optume! Nunc exquire!

AMPHITRVO

Ne interpella. — Perge porro dicere.

ALCVMENA

Coena adposita est; concoenasti mecum; ego adcubui simul.

AMPHITRVO

In eodem lecto?

SOSIA

St!

ALCVMENA

In eodem.

SOSIA

Hei! non placet convivium.

Pergam exsequi, quod correxit Muretus V. L. X, 13. Ita 638: *Perge porro dicere.*

637. Vulg. *L.* AM. *Quid* etc., male collocato verbo *Lavisti*, quod iam vocali sequente accentum retrahit ex regula. De usu τοῦ *Au* in rebus trepidis vid. lexica, inprimis Parei Plautinum. Sequens nota personae interiectioni simili offecerit.

638. Malim: *exquaere*. Vid. supra ad 28.

639. Vulg. *coenavisti*; sed G, *concenasti*, M, *cocenavisti*, quod non spernendum duxi, quum concoenatio legatur apud Ciceronem, nec non sit verisimile, vocem rariorem glossemati cessisse.

640. Vulg. *I.* e. *l.?* AL. *I.* e. Illud *est* pro *st*, nota silentii, saepius scri-

AMPHITRVO

Sine modo argumenta dicat. — Quid, postquam coenavimus?

ALCVMENA

Te dormitare aibas: mensa ablata est; cubitum hinc abiimus.

AMPHITRVO

Vbi cubuisti?

ALCVMENA

In eodem tecum lectod uno in cubiculo.

AMPHITRVO

Perdidisti!

SOSIA

Quid tibi est?

AMPHITRVO

Haec me modo ad mortem dedit.

ALCVMENA

Quid iam, amabo?

AMPHITRVO

Ne me adpella.

SOSIA

Quid tibi est?

AMPHITRVO

Perii miser:
Quia pudicitiae huius vitium, me hinc absente, est additum.

ALCVMENA

Obsecro, ecastor, cur istuc, mi vir, ex ted audio?

ptum reperitur in codd. Quae si cui minus placeat, is certe numerorum causa reponet: *lectod*. Vid. ad prol. 149.

643. Vulg. *V. tu cub.*, pravis numeris. Abest pronomen G.

646. *hinc*) Ita G et H, recte. Vulg. *huc*.

AMPHITRVO

Vir ego tuos sim? Ne me adpella, falsa, falso nomine!

SOSIA

Haeret hic res, si quidem haec iam mulier facta est ex viro.

ALCVMENA

Quid ego feci, qua istaec propter dicta dicantur mihi?

AMPHITRVO

Tute edictas facta tua, ex me quaeris, quid deliqueris!

ALCVMENA

Quid ego tibi deliqui, si, quoi nupta sum, tecum fui?

AMPHITRVO

Tun' mecum fueris? quid illac inpudente audacius?
Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuom!

ALCVMENA

Istuc facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet.
Tu si me inpudicitiai captas, capere non potes.

AMPHITRVO

Proh dî immortales! cognoscin' tu me saltem, Sosia?

SOSIA

Propemodum.

AMPHITRVO

Coenavin' ego heri in navi in portu Persico?

648. *falsa*) Sic Iunt. Ald. Paris. 1530, Basil. 1568, item codex Meursii, quod probat etiam Dousa Centur. Vulg. *falso* bis ponitur, semel in Pall. H M plerisque vett. edd., ut similia omitti solent. Terentius Hec. 466 sqq.: Mr. *Mihine, mi vir?* Pн. *Vir ego tuus sum?*

649. Vulg. minus bene: *H. haec r. Hic* h. e. *in eo, a* etc. Passim confusa *haec, heic, hic.*

653. G et H, *fueras*, h. e. *fuisti*, quod non deterius: vid. ad prol. 81.

655. *nostro generi non decet*) Graeca locutio: vid. interp. ad h. l. Donatus ad Terent. Ad. V, 8, 5: « *Imo hercle ita nobis decet*) Antiqui si addebant statim verbum, *Nos decet facere, Nos decet dicere*, si non addebant, *Nobis decet* dicebant. »

656. Vulg. inconcinne, *impudicitiae.*

ALCVMENA

Mihi quoque adsunt testes, qui illud, quod ego dicam, adsentiant.

SOSIA

Nescio, quid istuc negoti dicam, nisi si quispiam
Est Amphitruo alius, qui forte hic, absente te, tamen
Tuam rem curet, teque absente hic munus fungatur tuom:
Namque de illo subditivo Sosia mirum nimist;
Certe de hoc Amphitruone iam alterum mirum est magis.

AMPHITRVO

Nescio, quis praestigiator hanc frustratur mulierem.

ALCVMENA

Per supremi regis regnum iuro, et matrem familias

659. Honc inter et sequentem versum haec praebent aliquot edd.: AM. *Qui testes:* AL. *Testes.* AM. *Quid testicularis?* AL. *Enim uno sat est, Nec nobis praesente aliquis nisi servos Sosia affuit*, e quibus id, quod revera olim ad Plauti Amphitruonem pertiuuit servatumque est a Nonio, in Fragmentorum collectione (Amphitr. 1) damus. De reliquis vide, si tanti est, interp. ad h. l. in editione Taubm. Verba quidem *Sosia affuit* ab ipso Camerario profecta suot.

660. *nisi si*) Ita V. C. 3 Pall. Lang. G H. Pleraeque edd. τὸ *si* omittunt non sine versus periculo, siquidem rarissime apud poëtas vetustos syllaba prior τοῦ *nisi* porrigitur.

661. G, *alter* pro *alius*, de quo consuleodum. Cf. 691. M, *hinc abs.*, qnod minime malum, reponendumque fortasse et hoc et sequente versu. Cf. 646.

663. *nimist*) Ita MSS.: edd. inconcinne, *nimis est.*

664. Vulg. *de istoc*, minus bene: nam de subditivo Amphitruone sermo iam est, de subditivo Sosia fuit, quod pronominibus *illo* et *hoc* rite exprimitur. Atqui *hoc* vett. edd., in his Iont. quae versum Amphitruoni tribuit.

665. Vulg. oratio Sosiae continuatur, male: nam quia frustratam, i.e. ludificatam vel per dolum stupratam, coniugem suspicatus erat h. l. ipse Amphitruo, propterea mulier tam sancte iurat, neminem praeter ipsum secum rem habuisse. Sosiae talis sermo non is erat, qui tam serio refelleretur. Et fac, Sosiam haec dicere, cur non huic, sed viro, respondet Alcmena? Sane audiendus Aldus, qui Amphitruonis nomen huic versui praescripsit.

666 sqq. Synchysis: nam verba sic

Iunonem, et vereri quam me et metuere est par maxume,
Vt mi extra unum te mortalis nemo corpus corpore
Contigit, quo me impudicam faceret!

AMPHITRVO

Vera istaec velim.

ALCVMENA

Vera dico, sed nequidquam: quoniam non vis credere.

AMPHITRVO

Mulier es: audacter iuras.

ALCVMENA

Quae non deliquit, decet
Audacem esse, et confidenter pro se et proterve loqui.

AMPHITRVO

Satis audacter!

ALCVMENA

Vt pudicam condecet.

AMPHITRVO

Verbis probas.

ALCVMENA

Non ego illanc dotem mi esse duco, quae dos dicitur:
Sed pudicitiam et pudorem, sedatum et cupidinem,

ordinanda sunt: *Iuro per regnum regis supremi et Iunonem, quam par est maxume me, matrem familias, vereri* etc. Vid. de hac figura ad 378. Τὸ *et* ante *vereri* additum a me est eam maxime ob causam, ne prima atque extrema syllabae τοῦ *Iunonem* perperam acuerentur, quae vox iam sequente vocali accentum retrahit.

672. Vulg. *A. e., confidenter* etc. pessimo asyndeto. Sequor Iunt. Ald. Paris. 1530; Basil. 1568. Fraudi fuerit τῷ *et*, praesertim per compendium scripto, antecedens e in verbo esse

673. Vulg. inconcinne: AM. *S. a.* AL. *Vt p. decet.* AM. *Tu v. p.* Codd., in his G H, fere omittit pronomen, V. C. et M, *In v. p.* Gruterus: AM. *Ain'? v. proba es.* Mihi verisimilius videbatur, τὸ *-cam* simili syllabae sequenti *con-* offecisse. Saepius verbo *Condecet* utitur poëta.

675. Codices vulgati, perperam acuentes τὸ *sedatum*, sicut τὸ *cognatum* sequente versu; *S. p. et p. et s. c.* Sed H, *et sed. et c.*

Deûm metum, parentum amorem et cognatûm et concordiam:
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, prosim probis.

SOSIA

Nae ista edepol, si vera haec loquitur, examussim est optuma!

AMPHITRVO

Delenitus sum profecto ita, ut me, qui sim, nesciam.

SOSIA

Amphitruo es profecto: cave sis, ne tu te usu perduis!
Ita nunc omnes inmutamur, postquam peregre advenimus.

AMPHITRVO

Mulier, istanc rem inquisitam certum est non amittere.

ALCVMENA

Edepol me lubente facies.

AMPHITRVO

Quid ais? responde mihi.
Quid, si huc adduco tuom cognatum a navi Naucraten,
Qui mecum una vectust una navi; atque is si denegat
Facta, quae tu facta dicis, quid tibi aequom est fieri?
Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio?

ALCVMENA

Si deliqui, nulla causa est.

676. Posterius *et* vulgo abest, quod itidem praebebat H.

678. *vera haec*) Ita Argent. 1514, quod elegantius vulgato *haec vera*.

681. Vulg. *I. n. homines immutantur*, quasi quisquam praeter Amphitruonem et Sosiam fuisset immutatus. Recte Scioppius Susp. Lectt. III, 7: «*I. n. omnes immutamur*) *Omnes*, scilicet qui hinc ad bellum iveramus.»

682. Laugg. *amittier*.

684. Male novavi, dum ecthlipsin cessare in *cognatum* non animadverto: vid. 341. Scribendum, ut ubique legitur: *Quid, si adduco tuom cognatum huc a navi Naucraten*. M, et ple-

AMPHITRVO

Convenit. Tu, Sosia,
Duc hos intro. Ego huc ab navi mecum adducam Naucraten.

SOSIA

Nunc quidem praeter nos nemo est: dic mihi verum serio,
Ecquis alius Sosia intust, qui mei similis siet?

ALCVMENA

Abin' hinc a me, dignus domino servos?

SOSIA

Abeo, si iubes.

ALCVMENA

Nimis ecastor facinus mirum est, qui illi conlubitum siet,
Meo viro, sic me insimulare falsum facinus tam malum.
Quidquid est, iam ex Naucrate id cognato cognoscam meo.

IVPITER

Ego sum ille Amphitruo, quoiust servos Sosia, i. s. III, 1
Idem Mercurius qui fit, quando commodum est,
In superiore qui habito coenaculo,
Qui interdum fio Iupiter, quando lubet;
Huc autem quom extemplo adventum adparo, eloco

raeque edd. vett. *Naucraten*. Vulgatae ineleganter, *Naucratem*, uti et 689, 753, 844. Cf. Asin. 71.

690. Tò *praeter* enclitico sequente posteriorem syllabam acuit. Egimus de hoc loco ad Terentii Andr. 667.

691. G itidem *alter* pro *alius*. Cf. 661, Capt. prol. 8 ibique nos.

693. De usu pronominis vid. ad prol. 46.

696. Vulg. impeditis numeris, *E. s. i. A.*, *cui est s. S.* Pall. G M vett. edd., in his Iunt., *cuius* vel *quoius est*.

697. M, *itidem*.

698. Similiter de Iove Pers. 811: *ille, qui supra nos habitat.* De non eliso *qui* vid. ad 149.

700. Vulg. *adventum apporto*, inaudita ac prorsus inepta loquendi formula.

Amphitruo fio et vestitum inmuto meum.
Nunc huc honoris vostri venio gratia,
Ne hanc inchoatam transigam comoediam;
Simul Alcumenae, quam vir insontem probri
Amphitruo adcusat, venio ut auxilium feram:
Nam mea sit culpa, quod egomet contraxerim,
Si id Alcumenai innocentid expetat.
Nunc Amphitruonem memet, ut occoepi semel,
Esse adsimulabod, atque in horunc familiam
Frustrationem hodie iniciam maxumam;
Post igitur demum faciam, res fiat palam,
Atque Alcumenae in tempore auxilium feram;
Faciamque, ut uno foetu et quod gravida ex viro, et
Ex me quod gravida est, pariat sine doloribus.
Mercurium iussi me continuo consequi,
Si quid vellem imperare. Nunc hanc adloquar.

ALCVMENA. IVPITER.

ALCVMENA

Durare nequeo in aedibus: ita me probri, i. s. III, 2
Stupri, dedecoris a viro argutam meo!
Ea, quae sunt facta, infectad esse occlamitat;
Quae neque sunt facta, neque ego in me admisi, arguit;

705. *Venio*, ut supra 702. Vulg. *veni*. H mire, *darem* pro *feram*.

707–9. Vulg. *S. i. Alcumenae innocenti e.* — *assimulabo.* Vid. ad prol. 149.

710. *Frustrationem* non liquescit: vid. ad 341. *Iniciam* prisce MSS. et vett. edd. Vulg. *iniiciam.*

711. De *ut* intelligendo vid. ad 142.

719. Scripti ac vett. edd. fere, *infecta ve*, ut etiam H (vel *inf. ne*), *acclamitat*, *inf. re acclam.*, *inf. re est at elamitat*, *inf. restat, clam.*, *inf. re clam.*, ut G a me collatus, *in tecta ve acclam.*, denique *infecta esse acclam.*, sicut Langianus unus; unde quidem Gronovius haud male: *infecta esse occlamitat.* Tò *d* hiatus causa verbo *infecta* additum in fraudem illexisse puto descriptores. Vid. ad

Atque id me susque deque esse habituram putat.
Non edepol faciam, neque me perpetiar probri
Falso insimulatam, quin ego illum aut deseram,
Aut satisfaciat mihi, atque adiuret insuper,
Nolle esse dicta, quae in me insontem protulit.

IVPITER

Faciundum est mi illud, fieri quod illaec postulat,
Si me illam amantem ad sese studeam recipere.
Quando, ego quod feci, id factum Amphitruoni obfuit,
Atque illi dudum meus amor negotium
Insonti exhibuit: nunc autem insonti mihi
Illius ira in hanc et maledicta expetent.
Et, eccum, ipsum video, miseram qui med arguit
Stupri, dedecoris!

IVPITER

Te volo, uxor, conloqui.
Quonam ted avortisti?

ALCVMENA

Ita ingenium est meum:
Inimicos semper osa sum obtuerier.

IVPITER

Heia autem inimicos!

ALCVMENA

Sic est; vera praedico:

prol. 149. M *infacta*, bene: vid. ad 28, 64. Camerarius: *inf. refert, acclamitat*, et sic vulgatae edd.

721. G, *habiturum*.

722. Edd. aliquot vetustae, *Ne*, vel *Nae*, *e. f.*; H et M, *Naque e. f.*

724. Vulg. *A. s. mihi ille a. a. i.* Plerisque edd. mediis, velut Iuntina, τὸ *ille* abest, quod sane nemo facile desideret. Qui tamen servare voculam cupiet, is rescribet *mi ille*.

729. *Illi*) Sic Argent. Iunt. Ald. etc.; quod placet prae vulgato *ille*. Sentit mecum Acidalius.

734. *Quonam* Camerarius, quem sequi satius est, quam versum pentametrum pro senario vendere, quod faciunt vulgatae, in quibus legitur: *Quo te avertisti?* AL. *Ita ingenium meum est*. Arg. Iunt. Ald. etc.: *Quo te avertisti nunc?* AL. *I. i. m. e.* Ferri et hoc potest.

Nisi etiam hoc falso dici insimulaturus es.

IVPITER

Nimis verecunda es.

ALCVMENA

Potin', ut abstineas manum?
Nam certo si sis sanus aut sapias satis,
Quam tu inpudicam esse arbitrere et praedices,
Cum ea tu sermonem nec ioco nec serio
Tibi habeas, nisi sis stultior stultissumo.

IVPITER

Si dixi, nihilo magis es, neque ego esse arbitror;
Et id huc revorti uti me purgarem tibi:
Nam nunquam quidquam meo animo fuit aegrius,
Quam postquam audivi, ted esse iratam mihi.
Cur dixisti? inquies. Ego expediam tibi.
Non edepol, quo te esse inpudicam crederem;
Verum periclitatus animum sum tuom,
Quid faceres, et quo pacto id ferre induceres.
Equidem ioco illa dixeram dudum tibi,
Ridiculi causa. Vel hunc rogato Sosiam.

ALCVMENA

Quin huc adducis meum cognatum Naucraten
Testem, quem dudum te adducturum dixeras,
Te huc non venisse?

IVPITER

Si quid dictum est per iocum,
Non aequom est, id te serio praevortier.

737. M, *hec* (*haec*) pro *hoc*.

738. G, *iracunda*, quomodo legendum male coniecit Lambinus. Conf. Cas. 117 sqq., 715. Ἀμέτρως autem vulg. *Potin'es ut* etc. Sequor Camerar. et Basil. 1568.

752. Restituenda vetus lectio: *Vel hunc r. S.*: vid. ad prol. 74. G, *R. c. etiam h. r. S.*

753. *Naucraten*) Ita edd. vett. quas inspexi, omnes, praeter Sarracenianam. Vulg. *Naucratem*: vid. ad 684.

ALCVMENA

Ego illud scio quam doluerit cordi meo!

IVPITER

Per dexteram tuam te, Alcumena, oro: obsecro,
Da mi hanc ce veniam! ignosce! irata ne sies!

ALCVMENA

Ego istaec feci verba virtute inrata:
Nunc quando factis me inpudicis abstinens,
Ab inpudicis dictis avorti volo:
Valeas! tibi habeas res tuas, reddas meas.
Iuben' mi comites?

IVPITER

Sanan' es?

ALCVMENA

Si non iubes,
Ibo egomet: duxero Pudicitiam mihi.

IVPITER

Mane: arbitratu tuo iusiurandum dabo,
Me meam pudicam esse uxorem arbitrarier.
Id ego si fallo, tum te, summe Iupiter,
Quaeso, Amphitruoni ut semper iratus sies!

ALCVMENA

Ah, propitius sit potius!

757. V. C. *illum*, iocum.

759. Vulg. *hanc*, claudicante vers.

760. G, *irrata*; vulg. *irrita*. Vid. ad 28.

761. *abstinens*) Ita H, et huc ducit vulgata codicum scriptura *abstines*, quomodo alibi legitur *animas*, *damnas*, *infas*, *praegnas*, et infra 812 *praeses* pro *praesens* in V. C. In *abstinens* intelligendum *sum*, sicut passim: vid. supra ad 168, et de hac verbi forma periphrastica infra 824, Capt. 858, Cas. 228, Poen. 897, et inprimis Curc. 399, ubi vide quae annotamus.

764. *Iuben' mi comites*) Ita Langg., nisi quod *mihi*. Vid. ad 356. Vulg. duriore numero et ex interpretatione, nisi fallor: *Iuben' mi ire comites?* Comites, ancillas matronae proprias et ab immundis operibus vacantes. Cf. Merc. 383–409, Cas. 71.

765. Vulg. nullis numeris: *I. e., comitem P. duxero.* Nostri codd.: .... *comitem mihi P. d.* Langg.: AL. *Sin, ibo comitem mihi P. d.* Hinc lectionem

IVPITER

Confido fore:
Nam iusiurandum verum te advorsum dedi.
Iam nunc irata non es?

ALCVMENA

Non sum.

IVPITER

Bene facis.
Nam in hominum aetate multa eveniunt huiusmodi:
Voluptates capiunt, capiunt rursum miserias;
Irae interveniunt, redeunt rursum in gratiam;
Verum irae si quae forte eveniunt huiusmodi
Inter eos, rursum si reventum in gratiam est,
Bis tanto sunt amici inter se, quam prius.

ALCVMENA

Primum cavisse oportuit, ne diceres;
Verum eadem si idem purgas, mihi patiunda sunt.

IVPITER

Iube vero vasa pura adornari mihi:
Quae apud legionem vota vovi, si domum
Redissem salvos, ea ego ut exsolvam omnia.

ALCVMENA

Ego istuc curabo.

IVPITER

Evocate huc Sosiam:

meam concinnavi, τὸ *comitem* in antecedentibus olim sublectum et pro interpretamento adscriptum ratus.

770. Vulg. *Confide:* invecto trochaeo, quae ἰάμβου λύσις est, ut ait Hephaestio. *Confido* G. et vett. edd. Cf. Stich. 432, Trin. 426.

772. *Bene facis*, *Bene fecisti*, *Melius feceris*, formulae sunt aut grates agentium, aut benevolentiam honeste significantium: vide nos ad Terentii Eun. 141, ubi Donatus: « In consuetudinem venit, *Bene facis* et *Bene fecisti* non iudicantis esse, sed gratias agentis ».

776. Male τὸ *forte* omissum est a Pareo, puto quia nesciebat, verba *Cuius*, *Eius*, *Huius*, passim μονοσυλλάβως legi apud Comicos: vid. Bentleii Schediasma de mettr. Teren-

Gubernatorem, qui in mea navi fuit,
Blepharonem arcessat, qui nobiscum prandeat.
Is adeo inpransus ludificabitur, quom ego
Amphitruonem collo hinc obstricto traham.

ALCVMENA

Mirum, quid solus secum secreto ille agat.
Atque aperiuntur aedes; exit Sosia.

SOSIA. IVPITER. ALCVMENA.

SOSIA

Amphitruo, adsum: si quid opus est, impera: imperium exsequar. t. t. c. III, 3

IVPITER

Opportuned advenis.

SOSIA

Iam pax est inter vos duos?
Nam quia vos tranquillos video, gaudeo, et volupe est mihi.
Atque ita servom par videtur frugi sese instituere,
Proinde heri ut sint, ipse item sit; voltum e voltu comparet;
Tristis sit, si heri sint tristes; hilarus sit, si gaudeant.
Sed age, responde: iam vos redistis in concordiam?

IVPITER

Deridesne, qui scis, iamdudum haec me dixe per iocum?

SOSIA

An id ioco dixistid? Equidem serio ac vero ratus.

IVPITER

Habuid expurgationem: facta pax est.

tian. cap. 8, nos ad Aulular. 243.

792. Vulg. *Optime advenis*, deficiente versu. Passim *Opportune* et *Optime* inter se commutata deprehenduntur, velut itidem Terentii Heaut. 127, in codd. Berol. A et Helmstadiensi legitur: *Optime advenis*, ubi ceteri libri recte: *Opportune a.* De *d* addito vid. ad prol. 149.

798. Vulg. ἀμέτρως et τῷ *Derides*

SOSIA

Optume est.

IVPITER

Ego rem divinam intus faciam, vota quae sunt. . . . .

SOSIA

Censeo.

IVPITER

Tu gubernatorem a navid evoca verbis meis
Huc Blepharonem, ut, re divina facta, mecum prandeat.

SOSIA

Iam hic ero, quom illi censebis esse me.

IVPITER

Actutum huc redi.

ALCVMENA

Numquid vis, quin abeam iam intro, ut adparentur, quibus opust?

IVPITER

I sane, et quantum potest, parata fac sint omnia.

ALCVMENA

Quin venis, quando vis, intro? Faxo haud quidquam sit morae.

IVPITER

Recte loquere, et proinde diligentem ut uxorem decet.
Iam hice ambo, et servos et hera, frustra sunt duo, i. s.
Qui me Amphitruonem rentur esse; errant probe.

perperam acuto: *Derides, qui scis haec iamdudum me dixisse per iocum*. Cf. Curc. 389 etc.

802. G, *ex navi*.

805. H, *iubeam*, ex interpret., ut videtur.

807. Pall. praeter V. C., item G M et edd. aliquot, in his Venet. 1495 et Iunt.: *veni*. *Quando vis*, *Si vis*, formulae sunt aliquid vel iubentium vel petentium. Cf. infra 817, Cas. 640, 670, Terent. Eun. 758, Ad. 158, Hec. 330. Donat. ad Eun. IV, 7, 29: «*Cave sis*) Quia imperativa sunt contumeliosa, veteres addebant *Sis*, quod significat *Si vis*». Post hunc versum in edd. Iunt. Ald. Brix. Lamb. ista inseruntur: *Quando istaec omnia exiurasti te mihi dixe per iocum*, quae fere, tanquam fragmentum huius fabulae,

Nunc tu, divine, huc fac adsis, Sosia.
Audis quae dico, tametsi praesens non ades.
Fac, Amphitruonem huc advenientem ab aedibus
Vt abigas quovis pacto conmentus sies.
Volo deludi illum, dum cum hac usuraria
Vxore nunc mihi morigero. Haec curata sint
Fac sis proinde adeo, ut velle med intellegis,
Atque ut ministres mihi, mihi quom sacruficem.

MERCVRIVS.

Concedite atque abscedite omnes: de via decedite:
i. t. III, 4
Nec quisquam tam audax fuat homo, quid obviam obsistat mihi!
Nam mihi quidem hercle, qui minus liceat, deo, minitarier
Populo, ni decedat mihi, quam servolo in comoediis?
Ille navem salvam nuntiat, aut irati adventum senis;
Ego sum Iovis dicto audiens, eius iussu nunc huc me adfero:
Quamobrem mihi mage par est via decedere et concedere.
Pater vocat me, eum sequor, eius dicto imperio sum audiens:
Vt filium bonum patri esse oportet, itidem ego sum patri:

exstant apud Nonium, sed in nullis Plauti codicibus apparent. Vid. Fragm. Amphitr. 7.

813. Tò *huc* habetur in Argent. Iunt. Ald. etc., quo expuncto non elidenda est vox *Amphitruonem*: vid. ad 341.

814. Libri, praeter unum G, *Vt a. q. p. fac. e. s.*, ταυτολογικῶς quidem et inconcinne.

820. Langiani, *Non quisquam tam ausus* etc. unde Gruterus Suspp. III, 11 faciebat: *N. q. tanti ausus* etc. Vellem de hoc nomine constaret. *Quid* pro *qui* dedi, ne vox elideretur: vid. ad prol. 149.

825. *mihi* fere scripti, etiam H, et vett. edd., non *mi*, sicut vulgo. Vid. ad 356. G, *atque concedere*.

Amanti supparasitor, hortor, adsto, admoneo, gaudeo;
Si quid patri volupest, voluptas ea mihi multo maxuma est.
Amat? Sapit: recte facit, animo quando obsequitur suo;
Quod omnis homines facere oportet, dum id modo fiat bono.
Nunc Amphitruonem volt deludi meus pater: faxo probe
Iam hic deludatur, spectatores, vobis adspectantibus.
Capiam coronam mi in caput; med adsimulabo esse ebrium,
Atque illuc sursum escenderod: inde optume aspellam virum
De supero, quom huc accesserit. Faciam, ut sit madidus sobrius.
Deinde illi actutum subferet suos servos poenas Sosia:
Eum fecisse ille hodie arguet, quae ego fecero hic. Quid id mea?
Meo me aequom est morigerum esse patri; eius studio servire addecet.
Sed eccum Amphitruonem! advenit! iam ille hic deludetur probe,
Siquidem vos voltis auscultando operam dare. i. s.
Ibo intro: ornatum capiam, qui potis decet;
Dein sursum escendam in tectum, ut illum hinc prohibeam.

833. Forte excusum *deludatur* pro vulgato *deludetur*. *Faxo* iungitur futuro, neque est quod eam loquendi formulam vituperes: vid. Parei lexic. verb. *Faxo*. Caeterum vulgo, *spectantibus*, vacillante versu. Sequor codicem G.

835. Vulg. scabris numeris, *i. o. cispellam v.* V. C. *scis pellam*, caeteri scripti fere *cispellam*, vel *expellam*, ut etiam G.. Sed H et M dilucide, *aspellam*, quomodo legendum coniecit Bentl. ad Terent. Heaut. II, 3, 20. Simillimum *ci* τῷ *a* in MSS.

842. *Decet*, πρέπει, cum dativo construitur Graecorum more. Langg.: *potos*, minus eleganter; vulgati libri depravate, *potius*.

843. Vulg. *ascendum*, minus quidem ex vetere consuetudine: vid. in-

AMPHITRVO

Naucraten, quem convenire volui, in navi non erat,
t. t. c. IV, 1
Neque domi neque in urbe invenio quemquam, qui illum viderit:
Nam omnis plateas perreptavi, gymnasia et myropolia;
Apud emporium atque in macellod, in palaestra atque in foro,
In medicinis, in tonstrinis, apud omnis aedis sacras.
Sum defessus quaeritando, nusquam invenio Naucraten.
Nunc domum ibo, atque ex uxored hanc rem pergam exquirere,
Quis fuerit, quem propter corpus suom stupri conpleverit:
Nam me, quam illam quaestionem inquisitam hodie amittere,
Mortuom satiust. Sed aedis occluserunt. Eugepae!
Pariter hoc fit atque ut alia facta sunt. Feriam foris.
Aperite hoc! heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?

terpp. ad Trin. IV, 2, 107, Bentl. ad Terent. Andr. II, 2, 19. Tralatitia ista commutatio.

844. *Naucraten*) Ita hic et 849 Argent. Iunt. Ald. etc.; vulg. *Naucratem*. Vid. ad 684.

851. Iunt. Ald. etc.: *fuit*, graece, ut passim scriptores, inprimis Comici: vid. Pareani lexici Mantiss. v. *Enallage modi*, nosque ad Terentii Eun. 478, 547, Ph. 802, Hec. 589, item infra 964, Most. 447.

852. *hodie*) Vid. ad 270.

MERCVRIVS. AMPHITRVO.

MERCVRIVS

Quis ad foris?

AMPHITRVO

Ego sum.

MERCVRIVS

Quis ego sum?

AMPHITRVO

Ita loquor.

MERCVRIVS

Tibi Iupiter t. t. c. IV, 2
Dîque omnes irati certo sunt, qui sic frangas foris.

AMPHITRVO

Quo modo?

MERCVRIVS

Eo modo, ut profecto vivas aetatem miser.

AMPHITRVO

Sosia!

MERCVRIVS

Ita; sum Sosia, nisi me esse oblitum existumas.
Quid nunc vis?

AMPHITRVO

Sceleste, at etiam, quid velim, id tu me rogas?

MERCVRIVS

Ita rogo: pene ecfregisti, fatue, foribus cardines.

856. Vulg. *quid ego sum.* Sequor codd. G et H. Ridicule verba *Ego sum* pro nomine advenientis accipit Mercurius, tanquam si aliquis se Caium dixisset, et alter quaereret: *Quis Caius?* Similis verborum lusus est 176.

858. *Quo modo?* Vide de hac formula ad 200.

An foris censebas nobis poplicitus praeberier?
Quid me adspectas, stolide? quid nunc vis tibi, aut quis tu es homo?

AMPHITRVO

Verbero! etiam, quis ego sim, me rogitas, ulmorum acheruns?
Quem pol ego hodie ob istaec dicta faciam ferventem flagris!

MERCVRIVS

Prodigum te fuisse oportet olim in adulescentia.

AMPHITRVO

Quidum?

MERCVRIVS

Quia senecta aetaded a me mendicas malum.

AMPHITRVO

Cum cruciatu tuo istaec hodie, verna, verba funditas!

MERCVRIVS

Sacrufico ego tibi.

AMPHITRVO

Qui?

MERCVRIVS

Quia enim te macto infortunio.

863. *Es* baud raro porrigi apud Plautum, monet Acidalius Divinatt. pag. 385 et alibi, item Bentleius ad Terentii Eun. III, 1, 36. Cf. Asin. 43, Capt. 105, 263, Trin. 24 sqq.

864. M, *sum.* Vid. ad 851.

866. *adulescentia.* Ita h. l. MSS., etiam noster G, non ut vulgo, invita priscorum consuetudine, *adolescentia.* V. C. vitiose, *adulescentiam.*

869. Quae post hunc versum usque ad illa *Vos inter vos* etc. pag. 88, compressioribus literis excusa leguntur, ea dubium non est quin aliqua certe disiecti membra poëtae contineant sintque omnino, quod etiam Ios. Scaligero visum, aevi quidem sequioris, sed non recentioris tamen, sicut ista, quae Bacchidum et Pseudoli principiis mediaeque Mercatori adsuta sunt. Horum itaque maximam partem, quae inconcinna iacebat, in numeros redigere operae pretium duxi, quum versibus, non prosa oratione, usum scriptorem, quisquis ille fuit, satis apparere videretur. Absunt autem hi centones Plautini primariis Comici editionibus, velut Merulae,

SVPPOSITA

AMPHITRVO

Tun' me, carnufex? Nisi formam dî meam hodie perduint, t. t. c.
Faxo onustus bubulis sis coriis, Saturni hostia:
Ita ego te certo cruce et cruciatu mactabo. Foras,
Mastigia, exi!

MERCVRIVS

Larva umbratilis, tun' minis me territas?
Nisi hinc actutum fugias: si denuo pultaveris:
Si minusclo digito increpueris foris, hac tegula
Tuum deminuam caput, uti cum dentibus linguam excrees!

AMPHITRVO

Tun', furcifer, meis me procul prohibessis aedibus?

MERCVRIVS

Tun' meas i. t.
Pulsare foris?

AMPHITRVO

Hasce imo toto demolibor cardine.

MERCVRIVS

Pergin'?

AMPHITRVO

Pergod.

MERCVRIVS

Accipe!

Mediolanensi anni 1490, Sarraceniana, quae prodiit Venetiis 1499; sed leguntur in Iuntina Aldina earumqne sequacibus. Scenae *Tun' me, carnufex* vs. 1, vulgo legitur ex interpretatione *Tun' me mactes, carn.*, quo versus evertitur.

2. Vulg. minus eleganter: *Faxo ut bubulis* etc.

6. Vulg. *Increpuerint*. Sequor Acidalium.

8, 9. Edd.: *Hasce illico toto demoliar cardine*. Quae iam sic emendatius legi arbitror: *Hasce imo toto demolibor cardine*. *Imo* facile in *illico* transierit. Eleganter autem particulae aliud verbum praeponitur: vid.

AMPHITRVO

Scelus, herum? si te hodie apprendero, ad
Id te redigam miseriarum, miser uti semper sies!

MERCVRIVS

Bacchanal exercuisse te, senex, oportuit.

AMPHITRVO

Quidum?

MERCVRIVS

Quando servum censes me tuum.

AMPHITRVO

Quid? censeo,
Malum, tibi?

MERCVRIVS

Amphitruonem praeter, herum *ego* novi neminem.

AMPHITRVO

Num*ne* formam perdidi? mirum, quin me norit Sosia.
Scrutabor. Ehô, dic mihi, quis videor? Satin' Amphitruo?

MERCVRIVS

Tune Amphitruo? sanusne es? Non tibi praedictum, senex,
Bacchanal te exercuisse, quom, qui sis, alium roges?
Abscede, *heus*, moneo! molestus ne sies, dum Amphitruo
Cum uxore, adveniens ex hostibus, modo voluptatem capit!

Gronov. ad Capt. 284. *Demolibor* habes etiam Bacch. 348.

10, 11. *Sceleste in herum? s. t. h. apprehendero*, etc. *Te post id* praebent Iunt. etc.

13 sq. Inepte vulg. AM. *quid? censeo?* ME. *Malum tibi: praeter Amph.* etc. Nam quae causa est, cur malum hero apprecetur servus supposititius propterea quod, quomodo hic suum se neget, ille non statim intellexit? Malum Plauto et Terentio in conviciis, ut notum.

16. Pessime edd. *num satis Amph.?* *Num* glossema est τοῦ *Satin'*. Vid. Gronov. ad Most. 73.

17 seqq. Vulg. ἀμέτρως: *nonne — rogites?*

AMPHITRVO

Qua uxore?

MERCVRIVS

Alcumena.

AMPHITRVO

Quis homo?

MERCVRIVS

Quotiens vis dictum *tibi*?
Amphitruo, herus meus: molestus ne sies.

AMPHITRVO

Quicum cubat?
Vide, infortunium ne quaeras, qui me sic ludos facis! —
Blandius dic, quaeso, mi Sosia! in eodemne cubiculo?

MERCVRIVS

Imo, ut arbitro, corpore corpus incubat.

AMPHITRVO

Vae misero mihi!

MERCVRIVS

Lucri est, miseriam quod deputat: nam uxorem usurariam
Proinde est praebere, ac si *tu* agrum sterilem fodiendum loces.

23. Vulg. itidem ἀμέτρως: *ludifices.*

24 sq. Vulg. Am. *Dic quaeso, mi Sosio.* Me. *Blandius, cum Alcumena.* Am. *In e. c.?* Me. *Imo, ut arbitror*, etc. Dictum iam est, cum Alcmena cubasse falsum istum Amphitruonem, et illa *Quicum cubat?* non tam quaerentis sunt, quam mirantis, novaque re quasi attoniti. Dubium igitur non est, quin verba *cum Alcumena* perperam repetita sint, quibus deletis, metrum facile restituebatur. *Blandius dic* nihil aliud esse quam εὐφήμει censebat Taubm.; sed plura eius significationis exempla desidero interimque dubito cum Grutero. Forte versa *p* litera, quod saepe factum, *blonius*, mox *blandius*, exaratum est, nisi multum fallor, pro *planius*, quo nihil convenientius fingi potest. Noster Cist. 151 sqq.: *Quod si tacuisset, tamen Ego eram dicturus, deus, qui poteram planius.* Et sic passim loquuntur. Similiter *p* in *b* mutatum videtur Asin. Argum. 6.

27, 28. Vulg. inconcinne: *Perinde e. p, ac si ag. st. f. l.* Am. *Sosia.* Me. *Q., m., S.?* Am. *Non me n., v.?*

AMPHITRVO

Sosia!

MERCVRIVS

Quid, malum, Sosia?

AMPHITRVO

Num tu me novisti, verbero?

MERCVRIVS

Novi ted hominem molestum. Quine emas ligitium?

AMPHITRVO

Adhuc
Amplius? nonne herus sum tuus Amphitruo?

MERCVRIVS

Tu Bacchus es,
Non Amphitruo. Quotiens tibi dictum vis?num denuo?
Amphitruo uno cubiculo Alcumenam complexus tenet.
Tu si pergas, hic eum sistam, nec sine tuo magno malo.

AMPHITRVO

Cupio, arcessi. — Dî, utue pro benefactis hodie patriam
Familiamque, aedis, uxorem, cum forma una perduam?

MERCVRIVS

Arcessam equidem; sed de foribus tute interea sis vide...! t. t. c.
(Credo iam, quae volebat, sacrificia, ad epulum, conduxit.) t. t. c.
Si molestus sis, evades nunquam, quin te sacruficem!

30. Forte omissum est *ego* ante *herus.*

32. Vulg. *Meus Amph. u. c. Alcmenam complexu t.*, quasi iam nunc de duplice Ampitruone cogitaretur.

34. Vulg. turbatis numeris, *C. accersi. utinam ne pro b.* etc.

AMPHITRVO. BLEPHARO. SOSIA.

AMPHITRVO

Dî, fidem vostram, quae intemperiae familiam agunt nostram! quae mira t. t.
Vidi, postquam advenio peregre! Num verum est, quod olim auditum est
Fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines
Et saevas beluas mansitasse as. ex 2 i. h.
Neque unquam denuo parentibus cognitos? as. ex 2 an. c.

BLEPHARO

Quidquid illuc, Sosia, magna sunt quae mira praedicas: t. t. c.
Ain' tu, te alterum reperisse domi consimilem Sosiam?

SOSIA

Aio. Sed heus tu, quum ego Sosiam, Amphitruonem Amphitruo,
Quî scis, an etiam alium forte tu Blepharonem pepereris?
(Dî faciant, concisus pugnis atque elisis dentibus
Istuc tute uti quoque *etiam* inpransus *hodie* creduas!
Nam illic alter Sosia, ego ille, malis me mulcavit modis.)

BLEPHARO

Mira profecto! Sed grandire condecet gradus: nam, uti
Video, Amphitruo exspectat, vacuus et crepitat venter mihi.

AMPHITRVO

Et quid aliena fabulor? i. d.

2. Vulg. *nam* legitur pro eo, quod dedi, *num*, minus quidem commoda sententia. De asynartetis, quos versibus 4, 5 posui, vide, quae statim pluribus monebuntur.

Indu nostro olim Thebano genere plusquam mira memorant. t. t.

Martigenam ille adgressus beluam Europae magnus quaestor as. ex t. d. et i. d. c.

Anguineo peperit repente hostis seminio, et pugnata

16 sqq. Praestat haec versuum divisio alteri, quam olim tentavi, propterea quod sic ferme nihil in verbis mutatur: nam quod v. 1 *Indu* scripsi pro vulgato *In*, quod v. 2, *adortus* pro *aggressus*, ut pulchra verborum *magnus Europai quaestor* collocatio servaretur, quam si quis non tanti putat, is rescribat licet: *M. ille aggr. b. E. m. q.*; quod vs. 4 exarari iussi *illic* pro *illac*, et vers. 8 *agitantur* pro *aguntur*; quod denique vers. 27 *praevortatur*, pro eo, quod libri exhibent *praevorteretur*, eae mutationes uti et quaedam verborum transpositiones tam sunt leves facilesque, ut propemodum dubitari non possit, quin veritati sint consentaneae. Superest, ut de metris, quae hic usurpata arbitror, insitatioribus rationem reddam, eaque exemplis, si quae sunt, tum ex ipso Plauto, tum aliunde petitis comprobem. Et *asynartetum* quidem illum, *qui constat ex t. d. et i. d. c.*, dudum est quum Reizius reperit in Milite, ut auctor est G. Hermannus de Mettr. pag. 390. Hos versus, tam catalecticos, quam plenos, item hypercatalecticos et brachycataleeticos, quales sunt Curc. 98 sqq., Epid. 71 sqq., Most. 319; Pers. 252 sqq.; Pseud. 211, 217, brevioresque etiam quam saepe Plautus adhibuerit, ex hac nostra editione primum intelligetur. Catalectici quidem exemplum profert Mar. Victorinus Putsch. pag. 2551 hoc, nescio unde depromtum: *Caeruli monarcha ponti, ratisque rectutator.* Cuiusmodi sunt huius loci versus 2–4. Vsurpatur hoc versuum genus in rebus trepidis et quae ad catastrophen spectant, velut Bacchidibus extremis Pseud. 582 sqq., itaque pedibus trisyllabis syllabisque brevibus gaudent; id quod passim observare est, velut Ba. 1111 sqq.; 1132 Cas. 97; etsi non desunt quoque, qui meris longis decurrunt, velut Ba. 1044 sqq. Solent iis immisceri clausulae ex *t. d.* constantes; vid. instar omnium locorum Bacch. 1130 sqq. Pro iis eiusmodi catalecticum habes Mil. 1331, et *i. d.* Ba. 1115, quod non absurdum, quum versus ex trochaeis iambisque conflatus sit; et convenientior vehementi senis affectui versus iambicus. Qui iam venit secundo loco *asynartetus*, constans ex 2 *anacreonteis*, apud Pindarum passim legitur, puto etiam apud Aristophanem, sed non succurrit nunc quidem, quibus in locis; hic vero etiam infra 34, 57, et scenae *Quis tam* 30, item Capt. 148 sqq., 766 sqq., cum *galliambo*, pro clausula adbibito. Eiusmodi catalectici et brachycatalectici commemorantur Hotibii Lectt. Aristoph. p. 66, 75. Catalecticos, h. e. *galliambos*, praebent ipse Plautus praeter quam Captivorum l. l. Men. 670 sqq. et hic scriptor scenae Di *fidem* 35, 59, et scenae *Quis tam* 31; compositum ex 2 *unacreonteïs catal.*, quo versuum genere item frequenter utitur Lyricus Thebanus, scenae *Di fidem* vers. 3. Anacreontèum catal. post asynartetum ex 2 anacr. usurpatum habes scenae *Di fidem* 57. Versus 23 et 30

Illic pugna frater fratrem trudebat hasta et galea;
Et nostrae auctorem gentis cum Veneris filia anguis
as. ex 2 an.
Repsisse tellus Epirotica vidit. De summo
Summus Iupiter sic statuit; sic habet fatum: optumi
omnes t. t.
Nostrates pro claris factis diris agitantur malis. t. t. c.
Fata istaec premunt me. Pertolerarem vim tantam,
cladisque t. t.
Exantlarem inpatibilis? t. d. c.

SOSIA

Blepharo?

BLEPHARO

Quid est?

SOSIA

Nescio quid mali suspicor.

BLEPHARO

Quid?

clausulae sunt, de quibus adi, sis, Bentleii saepe laudatum Schediasma de Mettr. Terentt. Tertium genus *asynartetorum*, quos h. l. inveni, illud est, quod 3 *penthemimeribus iambicis* continetur, de quo sicut et de simili, quod 2 coniungitur eiusmodi penthemimeres, quod habes versibus 28, 31, 34, dixi supra ad fabulae geminae 422. Denique quinta *asynartetorum* species se praebet vs. 29, 30, quae quidem constat *cretico dim.* et *trochaeo catal.* Huiusmodi versus acatalecticos Plautus usurpavit Most. 314, 517 sqq., 322, Trin. 240 sqq. ubi et clausula est 243, ex *cret. dim.* composita. Item eiusmodi hypercatalectos habet Capt. 164 sqq., ubi vide, quae annotamus, Cas. 517; Epid. 159 sqq., ubi et 2 clausulae, ex cret. dim. catal. constantes, Most. 104 sqq.; 129 sqq.; 137, 326 sqq.; 669 sqq.; Pseud. 1283 sqq.; Rud. 187, 8, 580, Truc. 550. Nec non inveniuntur etiam versus conflati ex *cret. dim.* et *t. d. br.* sive ithyphallico Pseud. 1232 sqq. Caeterum versu 26, τὸ *foris* in unam syllabam est contrahendum, de quo loco egi ad prol. 74. Apta autem talis metrorum varietas exprimendis affectibus, qui hic moventur, diversis concitatisque, et mirum in modum mutabilibus, quam quicumque mirabitur negabitque ferendam esse, nae is ingenue prodiderit, cantica melicaque Tragicorum atque Comicorum utriusque linguae inprimis Graecorum, ne primis quidem labris sibi fuisse unquam degustata.

SOSIA

Vide, sis, as. ex 3 i. h.
Herus salutator oppessulatas ante foris graditur.

BLEPHARO

Nihil est: famem exspectat obambulans. as. c. ex 2 i. h.

SOSIA

Curiose quidem: foris enim as. ex c. d. et t. c.
Clausit, ne praevortatur foras.

BLEPHARO

Oggannis!

SOSIA

Nec gannio nec latro. as. ex 2 i. h.
Si me audias, observes. Nescio quid secum solus. as. ex 2 anacr.
Puto, colligit rationes. an.
Quid memoret, hinc excipiam. Ne propera. as. ex 2 i. h.

AMPHITRVO

Vt metuo, ne hostibus di victis partam expungant gloriam! i. t.
Totam miris modis turbatam nostram video familiam!
Tum vero uxor vitio, stupro, dedecore me plena enicat.
Sed de patera mirum est: tam erat signum obsignatum probe. t. t. c.
Quin etiam pugnas pugnatas prolocuta et Pterelam op- as. ex 2 an.
pugnatum, nostris occisum manibus fortiter. gall.

36. Reposuissem *mirimodis* sicut Trin. 890, nisi verisimilius esset, versum nunc esse iambicum, qualis est praecedens, ad quem pertinet. Vid. ad Ba. 350. Caeterum non erat, quod lacunam statuerem h. loco.

38. Vulg. *S. d. p. m. e.: erat tamen s. o. p.*

39–43. Vulgatum *Quid enim?* non est huius loci. Vers. 40. praepositione *ob* a verbo suo seorsim posita metri causa non est quod quisquam offendatur, quum tales divisiones in iis tantummodo verborum syllabis aegre ferantur, quae per se nihil significant. Vers. 42. *Qui* ictum experiens, non eliditur: vid. ad Amph. 149. De asynartetis anacreonteïs supra monitum ad huius scenae 15–34.

Attale, novi iam ludum: id opera factum est Sosiae,
Qui hodie quoque praesentem indigne ausit me praevortier. t. t. c.

SOSIA

De me loculus, et quae velim minus. Ne congrediamur as. ex 2 an.
Hominem, quaeso, priusquam stomachum decoxerit. gall.

BLEPHARO

Vt lubet.

AMPHITRVO

Si adprendere illum hodie datur mastigiam, t. t. c.
Ostendam, quid herum fallere sit dolis, minis incessere. i. t.

SOSIA

Audin' tu illunc?

BLEPHARO

Audio.

SOSIA

Illaec machina meas onerat scapulas. t. t.

BLEPHARO

Compellemus sis hominem.

SOSIA

Scin', volgo quod dici solet?

BLEPHARO

Quid dicturus, nescio; quid tibi patiundum, id fere hariolor.

SOSIA

Vetus est adagium: Famis et mora bilem in nasum conciunt. t. t. c.

44. Vulg. corrupte, *detexerit* pro *decoxerit*; perverse, *herum fallere minis et dolis incessere*, utrumque vitium animadvertente Dousa filio.

49. Vulg. *dicturus sis*, quod ferri potest, ut versus hic habeatur pro iambo t.

50. Vulgo *fames*, quod posteriorem syllabam porrectam habet: ego *famis* arcessivi, metri causa. Vide Erasmi adagg.

BLEPHARO

Verum. *Nunc* quidem eloco compellemus alacre. Amphitruo! t. t. c.

AMPHITRVO

Blepharonem audio. Mirum, quid ad me veniat. Opportune t. t.
Tamen offert se, uti convincam facta uxoris turpia. t. t. c.
Quid *tu* huc ad me, Blepharo?

BLEPHARO

Oblitus tam cito, quam diluculo
Misti ad navim Sosiam, hodie tecum uti conviverem?

AMPHITRVO

Nusquam factum gentium. Sed ubi ille scelus?

BLEPHARO

Quis?

AMPHITRVO

Sosia.

BLEPHARO

Eccum illum!

AMPHITRVO

Vbi?

BLEPHARO

Ante oculos. Non vides?

AMPHITRVO

Vix video prae ira: adeo as. ex 3 i. h.
Med istic hodie delirum fecit. as. ex 2 i. h.
Ne te sacruficem, nunquam evades! — Sine, Blepharo.

51 sqq. Primo horum versuum *eloco* δισυλλάβως legendum: vid. ad prol. 74. Versu seq. *Optume* rescribendo pro *Opportune*, trochaicum t. c. habueris, quales sunt fere caeteri huius loci versus: vid. ad 792. Sed nihil opus: vid. ad 596. Mox vulgatae inconcinne atque haud dubie ex interpretatione: *Sed ubi illic scelestus?*

BLEPHARO

Ausculta, precor. i. t.

AMPHITRVO

Dic: ausculto. — Tu, vapula! as. ex t. et i.

SOSIA

Qua de re? Num satis tempori?
Non ocius quivi, si me Daedaleis tulissem as. ex 2 anacr.
Remigiis.

BLEPHARO

Abstine, quaeso! Non potuimus nostros
Grandius gradus grandire.

AMPHITRVO

Sive grallatorius, sive t. t.
Testudineus fuerit, certum est mi hunc scelestum perdere. t. t. c.
En tectum! en tegulas! en obductas foris! c. t.
En ludificatum herum! en verbereum scelus!

BLEPHARO

Quid mali fecit tibi?

AMPHITRVO

Rogas? as. ex t. et i.
Ex illo tecto exclusum foribus me deturbavit as. ex 2 an.
Aedibus.

SOSIA

Egone?

AMPHITRVO

Tu. an. c.

61. Metrum hoc recurrit scenae *Quis tam* 16, ubi vide nos.

67. Vulg. inepte: *en verborum scelus*. Cf. Capt. 885; Pseud. 903, nos ad 140. De licentia, quae in hoc versiculo observatur, metrica, vid. supra ad 85.

Quid minitabas te facturum, si istas pepulissem foris?
Negas, sceleste?

SOSIA

Quin negem? En testis ampliter, gall,
Quicum venio, missus sedulo, ut ad te ducerem vocatum. as. ex t. d. et i. d. h.

AMPHITRVO

Quis te misit, furcifer? t. d. c. claus.

SOSIA

Qui me rogat.

AMPHITRVO

Quando gentium?

SOSIA

Dudum, as. ex 2 i. h.
Iampridem: — modo, ubi cum uxore domi redisti in gratiam.

AMPHITRVO

Bacchus te irritassit!

SOSIA

Nec Bacchum hodie, nec Cererem, salutem, t. t.
Ni, divinam uti rem faceres, iusseras purgarier t. t. c.
Vasa; et hunc arcessitum me mittis, tecum ut prandeat.

AMPHITRVO

Blepharo, dispeream, si aut intus adhuc fui, aut si hunc miserim!
Dic, ubi me liquisti?

SOSIA

Domi cum Alcumena coniuge.
Abs te ego abiens portum versus volito, hunc tuis verbis voco:
Venimus; nec nisi nunc te video postea.

AMPHITRVO

Scelerum caput,
Me cum uxored *Alcumena?* Nunquam abis, quin vapules!

SOSIA

Blepharo. . . . !

BLEPHARO

Amphitruo, mitte hunc gratia mea, et me audias!

AMPHITRVO

En mitto. t. t.
Quidvis loquere.

BLEPHARO

Istic iamdudum maxuma mi memoravit mira.
Aut praestigiator forte familiam aut veneficus t. t. c.
Hanc tibi excantavit. Exquire aliunde, et vide quid siet:
Ne ante hunc excruciatum miserum facias, quam rem intellegas.

AMPHITRVO

Recte. Eamus: te advorsum uxori advocatum etiam volo.

83. Vulg. ἀμύτρως et insolite: *scelestum caput.*

86. Non deterius est vulgatum *mihi:* sed vide ad 356.

87. Prius *Aut* vulgo abest, quod et sententiam decet et numeros integrat.

88. *et* vulg. abest, a praecedente syllaba absorptum. Scenae *Quis tam* versum 2, tanquam glossema primi, delendum censeo.

IVPITER. AMPHITRVO. SOSIA. BLEPHARO.

IVPITER

Quis tam vasto inpete has foris toto convolsit cardine? i. t.
Quis ante aedis tantas tamdiu turbas concitat?
Quem si comperero, Telebois sacruficabo Manibus. t. t. c.

AMPHITRVO

Nihil est, ut dici solet, quod hodie succedat bene
t. t. c. 4
Mihi. Deserueram Blepharonem et Sosiam, ut Naucraten
Convenirem cognatum: hunc non reperi, et illos perdidi.
Sed eos videod: ibo advorsum, uti, si quid habent, sciscitér. t. t. c.

SOSIA

Blepharo, is, qui iit ex aedibus, herus est; hic vero est veneficus.

BLEPHARO

Iupiter, quid contuor? hic non est, sed ille, Amphitruo. t. t. c.
Istic si fuat, illum sane non *eum* esse oportuit, t. t. c.
Nisi quidem sit geminus. 11

AMPHITRVO

Eccum cum Blepharone Sosiam.
Compellabo hos prius.
i. d. br. claus.
Sosia, tandem ad nos? esurio.

SOSIA

Dixin' hunc veneficum?

AMPHITRVO

Imo ego hunc, Thebani cives, qui domi uxorem impedivit t. t.

14 sqq. Laudat haec, tanquam genuina, Nonius v. *Impedivit*. Noster supra 851 dixit similiter; *corpus stupri complere*, quomodo plura tum ipse tum alii.

Meam impudicitiai, per quem teneo thesaurum stupri!

SOSIA

Here, si tu hunc esuris, ego volito ad te pugnis satur.
t. t. c.

AMPHITRVO

Pergin', mastigia?

SOSIA

Abi ad Acheruntem, venefice!
as. c. ex 3 i. h.

AMPHITRVO

Men' veneficum? vapula! as. ex t. et i.

IVPITER

Quae, hospes, intemperiae, ut meum tu verberes?

AMPHITRVO

Tuom?

IVPITER

Meum. t. t. c.

AMPHITRVO

Mentire!

IVPITER

I intro: dum hunc sacrufico, fac paretur prandium,

Sosia.

SOSIA

Ibo. Amphitruonem, arbitror, ita comiter
Amphitruo accipiet, uti dudum ille alter Sosia Sosiam.
Dum isti certant, in popinam est devortundum mihi
Interea: omnis lancis detergam, omnis trullas hauriam.

IVPITER

Tun' t. t.

Mentiri ais me?

18. Vsilatum hoc metri genus Graecorum Tragicis et Lyricis: vid. scenae *Di fidem* 60 sqq. et 68; Aechyl. Sept. 259; Agam. 346, 391; Soph. Oed. R. 849; Oed. Col. 1414; Phil. 1169: Pindari a me conversi et explicati vol. II, pag. 18, 58, 70 sqq., 87. Cf. et Rud. 329 sqq.

22. Vulg. prorsus inconcinne — *ut dudum memet ego ille alter S. S.*

24. Vulg. *omneisque trullas*, corruptis numeris minusque eleganter.

AMPHITRVO

Mentiri, inquam, meae corruptor familiae!
Ob istuc t. t.
Dictum indignum te hinc obstricto collo abripiam!

AMPHITRVO

Vae mihi misero!

IVPITER

Ante praecavisse oportet.

AMPHITRVO

Blepharo, suppetias mihi!

BLEPHARO

Consimiles sunt adeo, utri adsim, ut nesciam: rixam tamen,
Vt pote, dirimam. Amphitruo duello Amphitruonem perdere
Noli! linque collum, precor!

IVPITER

Hunc tu Amphitruonem dictitas?

BLEPHARO

Quidni? unus olim; nunc vero partust geminus. Dum tu
as. ex 2 anacr.
Vis esse, alter quoque esse forma non desinit. gall.
Quaeso, interea collum linque!

IVPITER

Linquo: sed dic mihi, videtur t. t.
Iste Amphitruo?

BLEPHARO

Vterque quidem.

27. Vulg. *At id pr. oportuit*, nullis numeris. *Ante* pro *At* Iunt.

33. Vulg. *videturne tibi Istic* etc.

AMPHITRVO

Proh summe Iupiter! ut mihi hodie
Formam adimas?

IVPITER

Perge quaerere.

AMPHITRVO

Tun' Amphitruo?

IVPITER

Tu negas? t. t. c.

AMPHITRVO

Pernego: quando Thebis praeter me alter nemo Amphitruo est.

IVPITER

Imo praeter med; atque adeo tu, Blepharo, iudex sies.

BLEPHARO

Palam id faciam, si queo, signis. Tu responde prius.

AMPHITRVO

Lubens.

BLEPHARO

Antequam cum Taphiis a te pugna est inita, quid mihi
Mandasti?

AMPHITRVO

Vt, parata navi, clavo haereres sedulo:
Vt, fugam si nostri facerent, tuto illuc me reciperem.

IVPITER

Item aliud: uti bene numatum servares marsupium. t. t. c.

AMPHITRVO

Quae pecuniae?

BLEPHARO

Tace sis tu: meum est quaerere.
Scisti numerum tu?

37. Putide vulgatae atque inconcinne: *I. p. me nemo atque* etc.

43. Fortasse, itidem τῷ *meum* non liquescente: *Q. p.? Tace, sis, tute: meum est q.*

IVPITER

Talenta quinquagintad Attica.

BLEPHARO

Hic t. t. c.
Rem examussim enarrat: et tu, quot Philippei?

AMPHITRVO

Duo millia.

IVPITER

Oboli vero totidem bis.

BLEPHARO

Vterque rem tenet probe. 46
Intus in crumena clausum alterum esse oportuit. t. t. c.

IVPITER

Sis attende: hac dextera mactavi, ut nosti, regem Pterelam; t. t.
Spolia ademi, et pateram, qua is potare solitust, in cistella t. t.
Pertuli; dono dedi meae uxori, quicum hodie domi
Lavi, sacruficavi, cubui.

AMPHITRVO

Hei mihi, quid audio? Vix sum apud me: t. t.
Vigilans quippe dormio, vigilans somnio, vivos et sanus intereo.
Vnicus sum ille nepos Gorgophones et Creontis, imperator
Thebanorum, Teleboarum perduellis, qui Acarnanes
Et Taphios vi vici, et summa regem bellica virtute.
His praefeci Cephalum magni Deionei *iam* filium. t. t. c.

IVPITER

Ego item latrones hostis bellod et virtute contudi. i. t.

45. Vulg. abest *tu*, non sine detrimento versus.

53 sqq. Vulg. ex interp.: *Ego idem ille sum Amphitruo, Gorg. nepos, imper. Theb., Et Creontis unicus, Tel. perd.*

56. Vulg. *Illisce.*

Electryonem perdiderant, nostrae et germanos coniugis. i. t.
Aetoliam, Achaiam, Phocidem, per Ionium et Aegeum i. t. c.
Et Creticum vagati, vi piratica vortebant.

AMPHITRVO

Divi immortales, mihimet non credo: ita omnia, quae facta as. ex 3 i. h.
Illi, examussim loquitur. Vide, Blepharo! as. ex 2 i. h. d.

BLEPHARO

Vnum superest; id si fuat, Amphitruones fitote gemini. t. t.

IVPITER

Novi, quid dices: cicatricem in dextero musclo, ex illoc as. ex t. d. et i. d. c.
Volnere, quod mi impegit Pterela.

BLEPHARO

Eam quidem.

AMPHITRVO

Apposite.

IVPITER

Viden'? En,
Adspice.

BLEPHARO

Adspiciam: detegite. t. d.

IVPITER

Vide: deteximus.

BLEPHARO

Supreme Iupiter, quid intuor? t. t. c.
Dextro in musclo, loco eodem, signo eodem, adparet probe
Vtrique, ut primum coivit, rufula et sublurida!
Rationes iacent; silet iudicium; quid agam, nescio.

67. Vulg. inconcinne: *intueor.*
68. Vulg. *eodem in loco*, itidem ἀμέτρως.
69. Vulg. ex interp.: *cicatrix ruf.* et *subl.*

BLEPHARO. AMPHITRVO. IVPITER.

BLEPHARO

Vos inter vos istaec partite: abeo, mihi negoti um est;
t. t. c. IV, 3
Neque ego unquam usquam tanta mira me vidisse censeo.

AMPHITRVO

Blepharo, quaeso, ut advocatus mi adsis, neve abeas.

BLEPHARO

Vale.
Quid opust me advocato, qui, utri sim advocatus, nescio?

IVPITER

Intro ego hinc eo: Alcumena parturit.

AMPHITRVO

Perii miser!
Quid ego, quid, ago, quem advocati iam atque amici deserunt?
Nunquam edepol me inultus istic ludificabit, quisquis est:
Nam iam ad regem recta ducam me, resque ut facta eloquar.
Ego pol illum ulciscar hodie Thessalum veneficum,
Qui pervorse perturbavit familiae mentem meae!
Sed ubi ille est? Intro edepol abiit, credo, ad uxorem meam.
Qui me Thebis alter vivit miserior? quid nunc agam,

870. Tò *istaec*, quod v. desideratur, praebent codex G et edd. aliquot mediae, in his Iunt. Ald. Vulgo *ego abeo*, quod servari potest, ut versus sit iamb. t. Sequuntur trochaici t. c.

874. Vulg. abest *ego*, quod habetur in G H, Iunt. Ald. aliis, versuique est necessarium.

875. Vulg. *Quid ego*, V. C. Pall. 1–4, item edd. 2 primae Venetae, Mediol. anni 1500, aliae: *Quid ago.* Vtrumque verum est, τοῦ *quid* affectus causa repetito. Sic Thais apud Afrum Eun. 453: *Quid, quid aliud volui dicere?* pluraque eiusmodi exempla protulimus ad Eunuch. 258. Iam versus suos numeros habet.

877. Vulg. *ut facta est, el.*, in-

Quem omnes mortales ignorant et ludificant, ut lubet?
Certum est: introrumpam in aedis; ubi quemque hominem adspexero,
Sive ancillam, sive servom, si uxorem, si adulterum,
Si patrem, si avom videbod, obtruncabo in aedibus.
Neque me Iupiter, neque dî omnes id prohibebunt, si volent,
Quin sic faciam, uti constitui. Pergam in aedis nunc iam.

BROMIA. AMPHITRVO.

BROMIA

Spes atque opes vitae meae iacent sepultae in pectore, i. t. V, 1
Neque ulla est confidentia iam in corde, quin amiserim:
Ita mihi videntur omnia, mare, terra, coelum, consequi,
Iam ut opprimar, ut enicer. Me miseram! quid agam, nescio: 891
Ita tanta mira in aedibus sunt facta. Vae miserae mihi!
Animo male est: aquam velim! Corrupta sum atque absumta sum.
Caput dolet; neque audio, neque oculis prospicio satis;

concinne quidem. Cod. G, *loquar*.

883. Vulg. *in aedibus*, uti et 887. Vide nos ad prol. 87.

884 sqq. Vulgatae inconcinne: *sive uxorem*, *sive ad.*, *Seu* (H et edd. quaedam mediae rursus *Sive*) *p. sive avom*.

888. *Spes atque opes*) Conf. Capt. 440; Pers. 250; Rud. 1045.

889. Vulg. *iam meo in corde*. Abest *meo* codd. Langg. et G, item plerisque edd., bene: nam devenustat huiusmodi iambos incisionem praecedens anapaestus, decet pyrrhichius: vid. ad 1, Asin. 416.

891. Extrema syllaba τοῦ *opprimar*, licet vocali sequente, longa est h. l.: vid. ad prol. 38. Nescientes hoc correctores nunc *iam* inculcavere ante verba *ut enicer*, velut factum in G, nunc eodem loco posuerunt *et*, quod conspicitur in H. Iunt. Ald. etc. Caeterum Pall. H M et vet. quaedam edd. *enecer*, non male: vid. ad 64.

893. Abest *atque* codd. Langg. G.

894. G, *doleo*.

Nec miserior me femina est, neque ulla videatur magis:
Ita herae meae hodie contigit: nam ubi parturit, deos invocat:
Strepitus, crepitus, sonitus, tonitrus! t. d.
Vt subito, ut propered, ut valide tonuit! as. ex 2 i. h.
Vbi quisque institerat, concidit. Ibi nescio quis maxuma i. t.
Voce exclamat: Alcumena, adest auxilium! ne time: t. t. c.
Et tibi et tuis propitius coeli cultor advenit.
Exsurgite, inquit, qui terrore meo occidistis prae metu. i. t.
Vt iacui, exsurgo. Ardere aedis censui: ita tum confulgebant. t. t.
Ibi me inclamat Alcumena. Iam ea res me horrore adficit: t. t. c.
Herilis praevortit metus: ocius adcurro, quid velit, i. t.
Ac geminos illam filios pueros peperisse conspicor;
Neque nostrum quisquam sensimus, quom peperit, neque praevidimus.
Sed quid hoc? quis hic est senex, t. d. c.
Qui ante aedis nostras sic iacet? Numnam hunc percussit Iupiter? i. t.

895. Bene Langg., *Nec miserior me*; nam vulgo libri, *N. me mis.*: vid. ad 203.

896. Vulg. *deos sibi invocat*, impingente versu. Abest *sibi* edd. Argent. Iunt. Ald.

898. Vulg. satis inepte: *concidit crepitu.* Hoc in praecedentibus arbitror sublectum.

901. Langg., *meo corruistis*, G, *me cecidisti*, H, *m. concidistis*, M, *cecidisti absque meo.* Omnia haec interpretamenta τοῦ *occidistis* sensu rariore usurpati.

904. Vulg. *ocius accurro*, ut *sciscam*, *quid velit*, versu quidem hypermetro. In Langg. item edd. 2 primis Ven. et Mediol. 1500 omissum *ocius.*

907. Bentleii abreptus auctoritate, hunc versum habui pro iambo, quum haud dubie sit t. d. c. Non adstringendus Plautus istis clausularum regulis, quas tradit Vir eximius Schediasmatis de Mettr. Terentt. cap. 5.

Credo edepol: nam, proh Iupiter! sepultust, quasi sit mortuos.
Ibo et cognoscam, quisquis est. Amphitruo hic quidem herus meust!
Amphitruo!

AMPHITRVO

Perii!

BROMIA

Surge.

AMPHITRVO

Interii!

BROMIA

Cedo manum.

AMPHITRVO

Quis me tenet?

BROMIA

Tua Bromia ancilla.

AMPHITRVO

Totus timeo: ita me increpuit Iupiter;
Nec secus est, quam si ab Acherunte veniam. Sed quid tu foras
Egressa es?

BROMIA

Eadem nos formido timidas terrore inpulit.
In aedibus, ubi tu habitas, nimia mira vidi. Vae mihi,
Amphitruo! ita mihi animus etiam nunc abest.

AMPHITRVO

Agedum, expedi:
Scin' me tuom esse herum Amphitruonem?

BROMIA

Scio.

AMPHITRVO

Vide etiam nunc.

912. *T. B. a.*) Synchysis, de qua monui ad 378. De porrecta τοῦ *ita* posteriore syllaba vide ad versum 475.

BROMIA

Scio.

AMPHITRVO

Haec sola sartam mentem gestat meorum familiarium.

BROMIA

Imo omnes sani sunt profecto.

AMPHITRVO

At me uxor insanum facit
Suis foedis factis.

BROMIA

At ego faciam, tu idem ut aliter praedices,
Amphitruo: piam et pudicam tuam uxorem esse uti scias.
De ea re signa atque argumenta paucis verbis eloquar.
Omnium primum Alcumena geminos peperit filios. t. t. c.

AMPHITRVO

Ain' tu? geminos?

BROMIA

Geminos.

AMPHITRVO

Dî me servant!

BROMIA

Sine me dicere:
Vt scias, tibi tuaeque uxori deos esse omnis propitios.

AMPHITRVO

Loquere.

BROMIA

Postquam parturire hodie uxor occoepit tua,
Vbi utero exorti dolores, ut solent, puerperae:

918. *sartam*) Ita Laugg., ut legi posse monuit Camerarius, edidit Lambinus. Libri vel *saream*, ut nostri MSS. et 2 Pall., vel *saccam*, ut V. C. et Palatinorum reliqui.

927. Vulg. *Ibi utero* etc. minus bene et invitis Pall. praeter V. C. omnibus, item G et vett. edd.

Invocat deos inmortalis, ut sibi auxilium ferant,
Manibus puris, capite opertod. Ibi continuo contonat
Sonitu maxumo: aedis primo ruere rebamur tuas:
Aedes totae confulgebant tuae, quasi essent aureae.

AMPHITRVO

Quaeso, absolvito hinc me extemplo, quando satis deluseris.
Quid fit deinde?

BROMIA

Dum haec aguntur, interea uxorem tuam
Neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audivimus:
Ita profecto sine dolore peperit.

AMPHITRVO

Iam istuc gaudeo,
Vtut erga me est merita.

BROMIA

Mitte istaec; haec, quae dicam, accipe.
Postquam peperit pueros, lavere iussit nos: occoepimus.
Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnust! ut multum valet!
Neque eum quisquam conligare quivit in cunabulis.

AMPHITRVO

Nimia mira memoras! Si istaec vera sunt, divinitus
Non metuo meae quin uxori latae suppetiae sient.

BROMIA

Mage iam faxo mira dices. Postquam in cunas conditust,

936. Vulg. inconcinne: *istaec; atque haec* etc. Langg.: *m. i. atque quae.* Sed *ac* ex *-aec* praegresso ortum puto.

938. *Sed* coniungens particula h. l. est, non adversativa. Cf. 945; Asin. 41; Aul. prol. 6; Aul. 241; Capt. prol. 46; Men. 85; Mil. 1266; Poen. 829; Trin. 546. Ita et *At* passim usurpatur, velut Aul. 13. Item *Atque* et *Autem*. Animadvertit hoc Heusinger. ad Cic. de Offic. II, 24, 9, non animadvertit ibid. ad III, 15, 13. Vid. etiam ad Terent. Heaut. 374.

Devolant angues iubati deorsum in inpluvium duo
Maxumi continuo, extollunt ambo capitad.

AMPHITRVO

Hei mihi!

BROMIA

Ne pave. Sed angues oculis omnis circumvisere;
Postquam pueros conspicati, pergunt ad cunas citi;
Ego cunas recessim rursum prorsum trahere et ducere,
Metuens pueris, mihi formidans, tantoque angues acrius
Persequi. Postquam conspexit anguis ille alter puer,
Citus e cunis exilit, facit recta in anguis inpetum,
Alterum altera adprehendit eos manu perniciter.

AMPHITRVO

Mira memoras! nimis formidolosum facinus praedicas:
Nam mihi horror membra misero percipit dictis tuis.
Quid fit deinde porro? loquere.

BROMIA

Puer ambo anguis enicat.
Dum haec aguntur, voce clara exclamat uxorem tuam...

AMPHITRVO

Quis homo?

BROMIA

Summus imperator divom atque hominum, Iupiter.
Is se dixit, cum Alcumena clam consuetum cubitibus,
Eumque filium suom esse, qui illos anguis vicerit;
Alterum tuom esse dixit puerum.

946. *citi*) G, *erecti*.

947. *prorsum*) Ita Argent. anni 1514, Iunt. Ald. Paris 1530, Basil. 1568, ut Meursius quoque legendum esse vidit: nam *vorsum*, ut in vulgatis legitur, non est huius loci.

950. G, *rectum*. *Facit* μονοσυλλάβως pronuntiandum est, qua de re vide quae monemus ad prolog. 74.

954, *enecat* H et edd. aliquot primariae. Vid. ad 64.

955. Male H: — *aguntur, unus voce* etc.

957. Vulg. ἀμέτρως: *cubilibus*. Correxit Ios. Scaliger.

AMPHITRVO

Pol me haud poenitet
Scilicet, boni dimidium mihi dividere cum Iove.
Abi domum: iube vasa pura actutum adornari mihi:
Vt Iovis supremi multis hostiis pacem expetam.
Ego Tiresiam coniectorem advocabo, et consulam,
Quid faciundum censeat; simul hanc rem, ut facta est, eloquar.
Sed quid hoc? quam valide tonuit! Dî, obsecro vostram fidem!

IVPITER. AMPHITRVO.

IVPITER

Bono animo es: adsum auxiliod, Amphitruo, tibi.
i. s. V, 2
Nihil est, quod timeas: hariolos, haruspices
Mitte omnis: quae futura et quae facta, eloquar,
Multo adeo melius, quam illi, quom sim Iupiter.
Primum omnium Alcumenae usuram corporis
Cepi, et concubitu gravidam feci filio;
Tu gravidam item fecisti, quom in exercitum
Profectus: uno partu duos peperit simul.
Eorum alter, nostro qui est susceptus semine,
Suis factis te inmortali adficiet gloria.
Tu cum Alcumena uxore antiquam in gratiam
Redi: haud promeruit, quamobrem vitio verteres:

964. G, *censet*, non male, v. ad 851.

966. Aspera est vulgatorum lectio librorum haec: *Bono animo es: adsum auxilio, Amphitruo, tibi et tuis;* sed servari utcunque potest: nam sic passim loquuntur: conf. supra 900; Aul. 175, 179, 690; Epid. 532. Tò *tibi* μονοσυλλάβως efferas licet, ut aliquanto suaviores numeri reddantur: vid. ad prol. 74.

Mea vi subacta est facere. Ego in coelum migro.

AMPHITRVO

Faciam ita, ut iubes, et te oro, promissa ut serves tua.
t. t. c.
Ibo ad uxorem intro; missum facio Tiresiam senem.
Nunc, spectatores, Iovis summi causa clare plaudite.

ASINARIA

DRAMATIS PERSONAE

LIBANVS, *servus.*
DEMAENETVS, *senex.*
ARGYRIPPVS, *adolescens.*
CLEAERETA, *lena.*
LEONIDA, *servus.*
PHILENIVM, *meretrix.*
DIABOLVS, *adolescens.*
PARASITVS.
ARTEMONA, *uxor.*
MERCATOR,
GREX.

ARGVMENTVM

Amanti argento filio auxiliarier
Sub imperio vivens volt senex uxorio:
Itaque relatum ob asinos pretium Saureae
Numerari iussit servolo Leonidae.
Ad amicam id fertur: cedit noctem filius.
Rivinus amens ob praereptam mulierem;
Is rem omnem uxori per parasitum nuntiat:
Adcurrit uxor, ac virum ex lustris rapit

V. 4. Vulg. *Numerarier*, inconcinne quidem atque invitis propemodum omnibus libris tam scriptis quam pridem excusis.

6. Libri fere, *ob raptam*; sed V. C. *ob re reptam*, quod, *p* litera forte versa, conflatum arbitror ex *obbrereptam*, quum his positum initio *b* semel scriberetur, more librariorum. Vide nos ad Amph. Scen. *Tun' me* 24 sqq. Illud *ob raptam* versui non sufficit, neque audiendus Casp. Barthius Advers. V, 8, reponens: *R. a. est ob raptam m.* Tò *est* intelligendum: vid. ad 8, item Amph. 168.

8. Codd. et vett. edd. fere, *ac v. eius triste agit*, quomodo et nostri libri 3; V. C. *ac v. eius tristae*. Scilicet ex quo scriptura continua in usu esse desiit, tò *e* sequenti voci male additum, et haec ipsa perperam divulsa atque cum literia non suis conglutinata, maxime vero conversione *p* literae pro *apit* exaratum *agit*, ansam corruptionis praebuerunt.

PROLOGVS

Hoc agite, sultis, spectatores, nunc iam; i. s.
Quae quidem mihi atque vobis res vortat bene,
Gregique et dominis, atque conductoribus.
Face iam nunc tu, praeco, omnem auritum poplum. —
Age, nunc reside! cave modo, ne gratiis. —
Nunc, quid processerim huc, et mihi quid voluerim,
Dicam: ut sciretis nomen huius fabulae.
Nam quod ad argumentum attinet, sane breve est.
Nunc, quod me dixi velle vobis dicere,
Dicam: Huiic nomen graece Onagost fabulae;
Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare;
Asinariam volt esse, si per vos licet.
Inest lepos ludusque in hac comoedia;
Ridicula res est: date benigni operam mihi:
Vt vos, item ut alias, pariter nunc Mars adiuvet.

V. 3. Vulg. *Gregique huic et dominis a. c.*, baccheo invecto loco iambi, quod fieri non potest. Aliqui Langg., item MS. Barth. (Adverss. V, 8) et a nobis collatus H, *et conduct.*, quod curationem loci promittit, non praestat, nisi quis tales numeros ferendos putet: *Gregique huic ét dominis et conductoribus*. Iis quidem prospiciens Camer. pro arbitrio reponebat *domino*. Vidi quoque, qui scriberet, deleta coniunctione: *Gregique huic dominis*, h. e. *Gregisque huius dominis*, per figuram Colophoniam: sed praeterquam quod ista figura rarius utuntur Plautus et Latini, durinsculum est, prologum bene ominati sibi et spectatoribus, item *gregis dominis* conductoribusque, silentio autem praeterire gregem actorum, ad quem ipse pertinet. Dedi igitur: *Gregique et dominis* etc., τὸ *huic* a nescio quo additum interpretationis causa arbitratus.

10. G, *Onogo*, H, *Onago*, sicut Pall. 1, 3, 4, recte quidem: *onagro* nihil hic negotii.

15. Vulgo inepte: *Vt vos item alias*, *p. n.*, *M. a.*

LIBANVS. DEMAENETVS.

LIBANVS

Sicut tuom vis unicum gnatum tuae i. s. I, 1
Superesse vitae, sospitem et superstitem:
Ita te obtestor per senectutem tuam,
Perque illam, quam tu metuis, uxorem tuam,
Si quid med erga tu hodie falsum dixeris,
Vt tibi superstes uxor aetatem siet,
Atque illa viva vivos ut pestem oppetas.

DEMAENETVS

Per deûm fidem, ut tu quaeris, iurato mihi
Video necesse esse eloqui, quidquid roges:
Ita me obstinate adgressus, ut non audeam
Profecto, percontanti quin promam omnia.
Proinde actutum, istuc quid sit, quod scire expetis,
Eloquere: ut ipse scibo, te faciam ut scias.

LIBANVS

Dic obsecro, hercle, serio, quod te rogem.

V. 3. Nescio qua forte hic versus excidit in Pall. 1–5 et nostro G. Producitur autem τοῦ *ita* syllaba posterior: vid. ad Amph. 475. Hoc nesciens Pareus invexit *tum* post *obtestor*, quod ne latinum quidem est.

8. Vulg. inepte et nullis numeris: *Per deum Fidium quaeris: iurato mihi* etc.: nam (de metro ut taceam) quid, quaeso, hic debetur deo Fidio? Accedit codicis G auctoritas, qui dilucide, *fidem*. Hoc igitur recepto quum sententiae et versui deesse aliquid intelligerem, non, *quae quaeris*, ut idem sentiens Camerarius, sed *qua quaeris*, reposueram, h. e. ea ratione, *qua quaeris*, quod quidem non numeris tantummodo convenit, verum etiam sententiae lucem affert. Sed nunc video me errasse, neque de nihilo esse istud *fidium*, sed conflatum ex *fidêutu*, hoc est fidem ut tu, quum *fidem* per compendium scriptum esset, *i* vero vitiosa librariorum consuetudine semel positum. Reponendum igitur: *Per* (vel: *Proh*) *deum fidem, ut tu quaeris*, *iurato mihi* etc. Cave autem verbo *Per deum fidem* coniungas cum *iurato*, sed in hoc intelligendum est *tanquam*, ellipsi Graecis usitatiore quam Latinis: vid. S. Bos. de Ellipss. v. ὡς.

9. H, *rogas*.

Cave mihi mendaci quidquam!

DEMAENETVS

Quin tu ergo rogas?

LIBANVS

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit?

DEMAENETVS

Quid istuc est, aut ubi istuc est terrarum loci?

LIBANVS

Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,
Vbi vivos homines mortui incursant boves.

17. *aut ubi istuc est*) Ita MSS. praeter M et vett. edd. Vulg. *a. u. est istuc.*

18-24. Horum versuum ordo in vulgatis talis est: *Vbi flent nequam homines, qui polentam pransitant.* - DE. *Quid istuc sit aut ubi istuc sit, nequeo noscere,* - *Vbi flent nequam homines, qui polentam pransitant.* - LI. *Apud fustitudinas ferricrepinas insulas,* - *Vbi vivos homines mortui incursant boves.* - DE. *Modo pol* etc. Hanc horum dispositionem primus editorum, quod sciam, Sarracenus, non libris admonitus, sed proprio iudicio ductus, mutavit, et versum quidem primum reliquit, sed caeteros ita ordinavit, ut in hac editione factum est. Cuius rei causam aperiens vir ille ingeniosus, quem hac ex parte sequimur, Valens Acidalius in Comoedias Plauti, quae exstant, Divinationum et Interpretationum pag. 39, ubi versus hos vulgato ordine perscripsit: «Sentio, *inquit*, «et scio, non incommode prorsus ita legi: sed commodius multo legi posse, vix equidem ausim dicere, scio; certe quidem sentio, nec aliorum iudiciis sic diffido, quin huius sententiae meae aliquos mihi sperem suffragatores. Nam ut de repetito versu nihil dicam, qui non sine gratia sane omni, ut nunc est, iteratur: illud urgeo praecipue, quod et unum me movet, et in quo ratio maxima est, continenter insequi iungique oportere eum *Libani* versum, *Vbi flent nequam homines, qui polentam pinsitant*, et istos Demaeneti, *Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci, Vbi fit polenta, te fortasse dicere.* De illis enim *Libani* solis verbis, in quibus *polentae* mentio, coniicit tandem senex, de pistrino eum loqui, ubi *polenta* fiat. Qui nisi coniungantur, omnis argumentorum ratio iacet et venustas sensuum perit. Nec vero tam Oedipus hic senex, ut aenigma servi de vivis hominibus et bobus mortuis interpretatione tam liquida trahere possit ad pistrinum: non hercle magis, quam idem Davus caecutivit ad argutias priores». Sic ille. Superest, ut potiores lectionum varietates, quibus in diversum a vulgatis abeunt libri veteres, commemoremus. 19 igitur et 20 G H, sicut pridem Pall. et pleraeque vett. edd., nescio quo errore (nam error est) post 33 inserunt. Pro *pransitant* posteriore loco V. C., *pinsitant*, quomodo et priore Mediol. anni 1500, exstincto quidem ioco et procul dubio ex cuius-

DEMAENETVS

Quid istuc sit, aut ubi istuc sit, nequeo noscere.

LIBANVS

Vbi flent nequam homines, qui polentam pransitant.

DEMAENETVS

Modo pol percepi, Libane, quid istuc sit loci:
Vbi fit polenta, te fortasse dicere.

LIBANVS

At
Neque hercle ego istuc dico, neque dictum volo.
Teque obsecro hercle, ut, quae locutus, despuas.

DEMAENETVS

Fiat; geratur mos tibi.

LIBANVS

Age, age, usque exscrea.

vis interpretatione, illud *fortasse* in sequente senis oratione non attendentis, cui verbo locus non erat amplius, ubi iam servorum in pistrina opus proprio vocabulo, τῷ *pinsitare*, fuerat indicatum. Imo subobscure *polentam eos pransitare dicit Libanus*, h. e. prandere cupere, quod et in alios cadebat, quomodo usurpantur *dormitare* Amph. 642, *noscitare* Trin. 827, vendito et inprimis capto passim. Versu 18 turbant libri adhuc collati, neque nostri iuvant, e quibus G, *A. fustidineas ferricrepidenas i.*, H et M, *A. fustidinas ferricrepidinas i.* Sequor cum aliis V. C., assentiorque Acidalio, ita scribenti loco supra laudato: « Hic uno eodemque flexu procudisse videtur Plautus ut a *tudo tudinas*, sic a *crepo crepinas* ». Saepius autem factas in Plauto versuum traiectiones, fatentur I. Gulielmius Quaestt. in Mil. cap. 3, Acidalius Div. in Capt. cap. 1, alii, neque id addubitare sinunt loci, qualis et hic est, et Capt. 33 sqq. 110 sqq. 129 etc.

24. *At*) Obtemperavi Langianis, qui, *hat*, quomodo infra 65 *hego* pro *ego* legebatur in MS. Barth. (vid. Barthii Adverss. V, 9) et 358 *habeo* pro *abeo*, et ubique *Heuclio* pro *Euclio* in Aulularia, et *hecferet* pro *ecferet* ibid. 615 in V. C. Camer., item *hec* pro *ac* et *haec* (vel *hec*) *feceris* pro *ecfeceris* Capt. 900 et Ba. 653 in Pall., *hodio* Epid. 2 in 3 Pal., *ohe odiose* pro *odiose* Ba. 1022, *heheu* et *holus* Pseud. 251, 815, in omnibus propemodum MSS., *haram* Rud. 1232 in V. C.; *Afranius Homine*, quod fabulae nomen inauditum, pro *Afranius Omine* Non. v. *Bacillum* pag. 78; Merc. *hostium* et *horcus* pro *ostium* et *orcus* passim. Codd. h. l. varie: *ahe* V. C. et H, *at at* MS. Barth. et 2 Pal., *ah* 1, *ha* 3, 5 Palatinorum etc.

25. *neque d. v.*) Sic fere MSS., in his M, quod opus non erat mutari.

26. *locutus*) Vid. ad Amph. 168.

DEMAENETVS

Etiamne?

LIBANVS

Age, quaeso hercle, usque!

DEMAENETVS

Ex penitis faucibus?

LIBANVS

Etiam amplius.

DEMAENETVS

Nam quousque?

LIBANVS

Vsque ad mortem volo.

DEMAENETVS

Cave, sis, malem rem!

LIBANVS

Vxoris dico, non tuam.

DEMAENETVS

Dono te ob istuc dictum, ut expers sis metu.

LIBANVS

Dî tibi dent, quaecumque optes!

DEMAENETVS

Redde operam mihi.
Cur hoc ego ex te quaeram, aut cur miniter tibi,
Propterea quod me non scientem feceris,
Aut cur postremo filio suscenseam,
Patres ut faciunt ceteri?

28 sqq. Vulg.: DE. *Etiamne?* LI. *Quaeso hercle usque ex penitis faucibus.* (MSS., etiam nostri praeter M, item vett. edd.: *Age, quaeso hercle* etc. et ponunt fere versum post 41). DE. *Etiam?* LI. *Amplius.* DE. *Nam* etc. sine omni gratia. Atqui notam personae ante *Etiam?* posteriore versu omittunt MSS., in his H, quibuscum facit Sarracen., et continue Pall. Langg. H M Sarracen. posterior Mediol.: *Etiam amplius.* Primus, ut opinor, Nicolaus Angelius, Iuntinae curator editionis: DE. *Etiam?* LI. *Amplius.* Quem non audire debebant VV. DD.

32. G, *quodcunque optas,*

34. MS. Barth., item noster G et

LIBANVS

Quid istuc novi est?
(Demiror, quid sit, et, quo evadat, sum in metu.)

DEMAENETVS

Equidem scio iam, filius quoad amet meus
Istanc meretricem e proxumo Philenium.
Estne hoc, ut dico, Libane?

LIBANVS

Rectam instas viam;
Ea res est. Sed eum morbus invasit gravis.

DEMAENETVS

Quid morbi est?

LIBANVS

Quia non suppetunt dictis data.

DEMAENETVS

Tune es adiutor nunc amanti filio?

LIBANVS

Sum vero, et alter noster est Leonida.

edd. Mediol. Argent.: *nescientem*, ex ioterpret.

37. Hic versus una cum seq., male ibi repetito, vulgo post 69 inseruntur, merito improbante Acidalio, qui posteriorem qoidem hoc tantum loco reliquit, priorem vero emigrare iussit et post 58 collocavit. Quorum illud quidem optime ab eo factum est; hoc autem nemini, puto, probari poterit, qoi considerarit, vs. 58 iam eo deductam esse rem, ut servo de patris erga filium animo satis constare possit, neque locus sit amplius dubitationi, nedum metui. Vide, an melius, quem sequor, I. F. Gronovius.

38. Vulg. *Equidem scio iam, filius quod amet meus*, oratioue semibarbara. Pal. 4: *E. s. i. f. quidem a. m.*, frustra. Lambinus nimio conatu, quamvis ad exemplum istarum loquendi formularum, de quibus nos in Amph. 352: *E. s. i. filium, quod amet, meum*; quae coniectura tacitum suffragatorem invenit Acidalium. Equidem dedi, quod Latinae aures ferrent: *E. s.* i., *filius quoad amet meus Istanc meretricem*, h. e. in quantum vel qoantopere istam *amet*, de quo usu τοῦ *quoad* vid. lexica, inprimis Parei Plautinum. Quod pergit quaerere Demaenetus: *Estne hoc, ut dico?* eo tantum pertinet, quod amare dixit filium. Vid. de hoc loco intt., inprimis Gronovius, item Sciopp. Susp. Lect. IV. 9, G. I. Voss. Syntax. lat. pag. 62, Vechneri Hellenolex. I, 2, 37 ibiqoe Heusinger.

41. *Sed.* Vid. ad Amph. 938.

43. *ës adi.* Vid. ad Amph. 863.

DEMAENETVS

Bene hercle facitis, et a me initis gratiam.
Verum meam uxorem, Libane, scis, qualis siet?

LIBANVS

Tu primus sentis; nos tamen in pretio sumus.

DEMAENETVS

Fateor, eam esse inportunam atque incommodam.

LIBANVS

Posterius istuc dicis, quam credo tibi.

DEMAENETVS

Omnes parentes, Libane, liberis suis,
Qui mi auscultabunt, facient obsequentiam:
Quippe qui mage amico utantur gnato et benevolo.
Atque ego me id facere studeo: volo amari a meis;
Volo me patris similem, qui causa mea
Nauclerio ipse ornatu per fallaciam,
Quam amabam, abduxit ab lenone mulierem,
Nec puduit eum, id aetatis sycophantias
Struere, et bénefactis me emere gnatum suom sibi.

46. Vulg. *V. m. u., Libane, nescis, qualis siet*, versu hypermetro, neque satis verisimile videtur, id quod cuivis in mentem veniat venitque revera Camerario, *sit* pro *siet* esse reponendum, quum verba *qualis siet* tam apte claudunt iambum senarium, ut nihil supra. Rescripsi igitur potius: *V. m. u. Libane scis, q. s.?* syllabam *ne* in *Libane* temere repetitam verbo sequenti adhaesisse ratus. Sic infra 187: *scis, quoius?* et 679: *Scin', ut dicam?* et Aul. 168: *Scis meam aetatem?* et Trin. 317: *sed civi inmuni scis quid cantari solet?* et Truc. 378: *tonstricem Suram Novisti, nostras quae nunc erga aedis habet?* in quibus omnibus intelligendae *an* vel *ne* particulae, quibus interrogamus.

47. *nos tamen in pretio sumus*) Ita V. C. et Langg., sententia quidem clara et faceta. Caeteri libri, *nos tamen praenoscimus* (Pal. 6, *pronoscimus*) quod frigide defendunt VV. DD.

51. *obsequentiam*) Ita Ios. Scalig. et Gruterus. V. C. et Pal. 2, *obsequelam*, caeteri libri fere, *obsequelam*, utrumque inconcinne.

52. *Quippe qui*) Cave creticum hunc putes: vid. infra ad 770.

54. Vulg. *V. me patris mei similem.* Abest *mei* Langianis, et elegantius quidem abest, quam adest. De finali o litera verbi *volo* porrecta vid. ad Amph. 136.

58. Vulg. *beneficiis*, sed H, *benefactis.* Bonae notae haec vox et quam

Eos me decretum est persequi mores patris.
Nam me hodie oravit Argyrippus filius,
Amanti sibi ut argenti facerem copiam;
Et id ego percupio obsequi gnato meo:
Volo amori eius obsecutum, volo amet me patrem.
Quamquam illum mater arcte contenteque habet,
Patres ut consueverunt: ego mitto omnia haec;
Praesertim, quom is me dignum, quoi concrederet,
Habuit: me habere honorem eius ingenio decet,
Quom me adiit, ut pudentem gnatum aequom est patrem:
Cupio esse amicae quod det argentum suae.

LIBANVS

Cupis id, quod cupere te nequidquam intellego:
Dotalem servom Saurean uxor tua
Adduxit, quoi plus in manu sit quam tibi.

DEMAENETVS

Argentum accepi: dote imperium vendidi.
Nunc verba in pauca conferam, quid te velim.
Viginti iam usust filio argenti minis:
Face id ut paratum iam sit.

LIBANVS

Vnde gentium?

DEMAENETVS

Me defrudato.

LIBANVS

Maxumas nugas agis:
Nudo detrahere vestimenta me iubes.

verisimile sit verbo sequioribus usitatiori concessisse.

63. Vulg. pravis numeris: *V. a obs. illius. Eius* monosyllabum est, sicut passim.

64. V. C. Langg. G H, *arte*, quod eodem redit.

71. *Saurean*) Bene sic Dousa Centur. I, 5, ut versus rescribi flagitat. Vulg. *Sauream*. Vid. ad Amph. 684. Dotalis servus Chalinus quoque iste in Casina.

77. *defrudato*) Ita H. et Pall. 1, 4, quomodo statim servus, *Tene ego defrudem?* Vulg. *defraudato*, et similiter in sequentibus.

Defrudem te ego? Age, sis, tu sine pennis vola!
Tene ego defrudem, quoi nihil est ipsi in manu,
Nisi quid tu porro uxorem defrudaveris?

DEMAENETVS

Qua me, qua uxorem, qua tu servom Sauream
Potes, circumduce! aufer! promitto tibi
Nunc obfirmaturum, si id hodie ecfeceris.

LIBANVS

Iubeas una opera me piscari in aëre,
Venarier autem iaculod in medio mari.

DEMAENETVS

Tibi optionem sumito Leonidam.*

79. Langg. *Defrudem ego te*, quam correctionem alicuius censeo τὸ *te* ante vocalem liquescere arbitrati. Vid. ad Amph. 149.

84. Vulg. *Non offuturum*, versu imperfecto. Quod sentientes quidam, invitis omnibus scriptis et olim excusis vel *me* inculcaverunt post *offut.*, vel ediderunt: *Tibi non offuturum, si id* (saltem scripsissent, *id si*) *hodie effeceris*. Senex commodus et liberalis ut non offuturum tantummodo se promittat servo, cui ipse auctor est argentum undecunque filio comparandi? Nugae. Codex G, *obfirmaturum*, quod et versum complet et personae loquenti longe melius convenit quam *obfuturum*: cf. infra vv. 90–92, 347. Similiter Terentius Eun. II, 1, 11: *Censen', posse me obfirmare —?* et Heaut. V, 5, 8: *Ne tam offirma te, Chreme*; ad quem locum Calpurnius: «I. e. *Noli te tam obstinatum ostendere*. Ille enim dicitur se obfirmare in aliquo proposito, qui obstinate ac pertinaciter in illo perseverat, tanquam immobilis truncus. Et est translatio sumta a repagulo obfirmando.» Quidquid igitur fecerit Libanus, ut argentum Argyrippo inveniat, quantasque propterea turbas turbaverit vel uxor senis, vel atriensis Saurea: obdurabit senex, amissumque imperium certe in hunc diem vindicabit. Verba *Nunc* et *Non* inter se permutari, tralatitium est. Si quis tamen est, cui potior videatur vetus lectio, is, non elisis vocibus *offut.* et *si*, reponet: *Non obfuturum hodie, si id ecfeceris*.

85. G, *aërem*. Vid. ad Amph. 545.

86. Vulg. *Venari autem rete iaculo in m. m.*, inepte quidem: nam rete iaculo venari in mari, h. e. piscari, aliquem, mirum non erat neque id, quod fieri non posset; quin quotidie factum esse in Italia consentaneum est: vid. Serv. ad Virgilii Georg. I, 141, ipsumque Nostrum Truc. 14. Piscatorum instrumentum rete iaculum, non venatorum, neque igitur est huius loci, ubi de venatione agitur. Iam omnibus Palatinis, ubi a sexto, recentissimo illo quidem, discesseris, aberat τὸ *rete*, sicut etiam abest a G H M, quos libros ipsi con-

Fabricare quidvis, quidvis conminiscere.
Perficitote, argentum hodie ut habeat filius,
Amicae quod det.

LIBANVS

Quid ais tu, Demaenete?
(Quid, si forte in insidias devenero?)
Tun' redimes me, si me hostes interceperint?

DEMAENETVS

Redimam.

LIBANVS

Tum tu igitur aliquid cura, quod lubet.

DEMAENETVS

Ego eo ad forum, nisi quid vis.

LIBANVS

Etiamne ambulas?

tulimus, itemque editionibus aliquot non contemnendis, velut Iuut. et Argent. anni 1514. Quid verisimilius, quam istud verbi adscriptum esse τῷ *iaculo*, ut intelligeremus, quod non intelligendum esset, instrumentum piscatorium, quoniam scilicet res agenda esset in medio mari? nam iaculum etiam per se dici rete iaculum, nescierit iste interpolator, quisquis fuit. Hoc profecto verum, eoque posito ne vestigium quidem interpretamenti servandum est, quod feci, quum, lectionem urgens editionis Mediol. 1500, in qua excusum *retiaculo*, darem *reticulo*, quod an rete venatorium significare possit, necne, incertum est, sed absque ulla dubitatione rescribamus: *Venarier autem iaculod in medio mari.*

89. Vulg. *Perficito*, laborante versu, nisi quis τὸ *argentum* non elidendum putet: vid. ad Amph. 341. Legi posse *Perficitote*, iam olim intellexerat Camerarius.

90. Quae post hunc versum uncinis inclusa legis, ἄμετρα illa quidem et putidae plena ταυτολεξίας, ea non conspiciebantur olim in 5 Palatinis, nec nisi recentiore manu adscripta erant in Pal. 3, absunt item G M, et in H praecedentis versus fini addita sunt, ut appingi solent genuinis glossemata, verbis *forte in* omissis.

92. *aliquid*) Ita G, quod elegantius vulgato *aliud*. Idem liber, sicut et M editionesque Iunt. Argent., *quod lubet*, quum in reliquis legatur, *quid l.* Nihil etiam rescribi vetat: *T. t. i. aliquid cura quidlubet* vel *quodlubet*.

93. Libri fere, ... *nisi quid vis.* Li. *Fiet, ne ambula*, quo non immerito offensus Camerarius correxit: *I; etiamne ambulas?* quomodo Noster Poen. 299: *etiamne abis?* Amph. 220, *Etiam clamas?* ibid. 225, *Etiam mutis?* Curc. 41, *Etiam taces?* Most. 906, *Etiam aperis?* etc. Nec tamen spreverim lectionem editionum quarundam mediarum, in his Argent. 1514,

DEMAENETVS

Atque audi etiam!

LIBANVS

Ecce!

DEMAENETVS

Si quid tete volam, ubi eris?

LIBANVS

Vbicunque lubitum fuverit animo meo.
Profecto nemo est, quem iam dehinc metuam, mihi
Ne quid nocere possiet, quom mihi tua
Oratione omnem animum ostendisti tuom;
Quin te quoque ipsum facio haud magni, si hoc patro.
Pergam, quo occoepi, atque ibi consilia exordiar.

DEMAENETVS

Audin' tu? apud Archibulum ero argentarium.

LIBANVS

Nempe in forum.

DEMAENETVS

Ibi, si quid opus fuerit.

LIBANVS

Meminero. —

DEMAENETVS

Non esse servos peior hoc quisquam potest,
Nec mage vorsutus, nec quo ab caveas aegrius;
Eidem homini, si quid recte curatum velis,
Mandes: moriri sese misere mavolet,
Quam non perfectum reddat, quod promiserit.
Nam ego illuc argentum tam paratum filio

hanc, *Fietne? ambula*. Vel legendum, *Fiet. Ne ambulas?* h. e. *Ambulasne?* per anastrophen: vid. ad Aul. prol. 39.

94. Vulg. inconcinne, *A. audin' e.?* LI. *E.* DEM. *S. q. te v., u. e.?* G, *audi.*

101. Vulg. *ap. A. ego ero a.* G, *ap. A. hic ero a.* Scires et *ego* et *hic* esse addititium.

102. *Nempe in forum*) Ita G, eleganter: vid. ad Amph. 545. Vulg. *in foro.* Guelferbytano abest *Ibi.*

105. sqq. Expressit haec Terentius Ad. 346.

Scio esse, quam me hunc scipionem contui.
Sed quid ego cesso ire ad forum, quo inceperam?
(Ibo, atque ibi manebo apud argentarium.)

ARGYRIPPVS.

Siccine hoc fit? foras aedibus me eiici? c. t. I, 2
Promerenti optume hoccin' preti redditur?
Bene merenti mala es, male merenti bona es.
At malo cum tuo: nam iam ex hoc loco
Ibo ego ad Trisviros, vostraque ibi nomina
Faxo erunt: capitis te perdam ego et filiam,
Perlecebrae, pernicies adulescentium!
Nam mare haud est mare; vos mare acerrumum:
Nam in mari reperid, hic elavi bonis.
Ingrata atque inrata esse omnia intellego,
Quod dedi, et quod benefeci; at posthac tibi,
Male quod potero facere, faciam, meritoque id faciam tuo. t. t. c.

110. Vulg. horridiore numero, *quod inc.* G, *quo i.* Cf. 100. Quae sequente versu leguntur, non melioris notae sunt, quam ista supra post 90, *quid si* etc. *Ibo* libris vetustis abest, additumque haud dubie fuit a Camerario ad versum sarciendum.

117. Vulg. *Perlecebrae*, *pernicies*, *adolescentum exitium*. Qui versus foret b. t., parum venustus is quidem, sed ferendus tamen, nisi ταυτολόγον et male iunctum praegressis verbis istud *exitium* fraudis suspicionem commoveret. Nam coniungenda *pernicies* et *adolescentum*, siquidem vulgari convicio lenones ac lenae audiebant pernicies adolescentum, quod intelligere licet ex Pseud 354, Terent. Ad. 162. Huc accedunt codd. mei MSS., in quibus omnibus perscriptum legitur, *adolescentium*, quo recepto in ordinem deletoque verbo *exitium* habemus creticum versum, quales sunt vicini, quod metrum simili affectu per omnia pertinente, praesertim in eadem sententia, uno versu mutari, deinde statim ad pristinam suam formam redire, minime erat necessarium.

118. Dactylus (*est mare*) in medio cretico geminem offenderit: vid. 121, nos ad Amph. 85.

120. Vulg. *irrita*. Vid. ad Amph. 28.

Ego pol te redigam eodem, unde orta es, ad egestatis terminos!
Ego edepol te faciam, ut, quae sis nunc, et quae fueris, scias!
Quae priusquam istam ego adii, atque amens animum isti meum dedi,
Sordido vitam oblectabas pane, inpannis inopia; at-
que aes si erat, magnas habebas omnibus dîs gratias:
Eadem nunc, quom est melius, me, quoius opera est, ignoras mala.
Reddam ego te ex fera fame mansuetem; me specta modo.
Nam isti quod suscenseam ipsi, nihil est; nil quidquam meret:
Tuo facit iussu, tuo imperio paret: mater tu, eadem hera es:

124. Vid. ad Amph. 352.

125. *amens*) Ita MS. Barth. (Adverss. V, 9) et G. Vulg. *amans*, versu titubante. Frequens haec permutatio. Vulg. quoque ego ante *animum* legitur, additum id quidem, ut opinor, ad integrandos numeros, postquam exarari coepisset *amans*. Abeat vocula M.

126. G, *sordide*. Cf. Terent. Eun. V, 4, 17, ibique Donatus, item Iovenal. sat. V, 11 cum scholiis, Senec. ep. 18. Sed pro *in pannis*, quae fere librorum lectio, non dubitavi reponere, quod in M habetur, *inpanis* h. e. *inpannis*, ut legere suasit I. Lipsius Antiqq. Lectt. V, 13. Neque distinguendum est, ut vulgo fit, ante *inopia*.

127. Volg. *Atque ea si erant*, *magnas habebas omnibus dis gratias*, versu quidem nihili, oratione vero inflata, quidquid dicat Gronovius: nam quis, quaeso, est, qui pro sordido pane et pannis magnas omnibus diis gratias habeat? Corruptum est verb. *ea*, et aliquid pro eo sufficiendum aptius. Aptissimum autem omnium simulque vulgatae simillimum lectioni id, quod dedi, *aes*. Scilicet ea verissima est hominum pauperrimorum descriptio, ut sordide vitam sustentare, ut impannes incedere, ut caeterarum rerum ad bene vivendum necessariarum inopia premi, denique ut, si quando aes contigit, Darios, ut cum Hoc loquar, Philipposque se reges credere dicantur. Cf. infra 185, Aul. 327. Quamquam res ipsa loquitur.

128. *me ignoras*) Figurate dictum pro *me oblivisceris*. Cf. Capt. 365.

129. *mansuetem*) Ita Langg. Pall. 1, 3, et ex emendatione 4, item MS. Barth. et 3 nostri, adstipulante Nonio. *Mansuetam*, usitatiorem formam, praeferebant V. C. et caeteri Pall.

131. *Te* utroque loco non eliditur: vid. ad Amph. 149.

Te ego ulciscar, te ego, ut digna es, perdam, atque ut de me meres.
At, scelesta, viden', ut ne id quidem dignum me esse existumat,
Quem adeat, quem conloquatur, quoique irato supplicet?
Atque, eccam, inlecebra exit tandem, opinor, huc ante ostium.
Meo modo loquar, quae volo, iam, quom intus non licitum est mihi.

CLEAERETA. ARGYRIPPVS.

CLEAERETA

Vnumquodque istorum verbum numis Philippeis aureis t. t. c. I, 3
Non potest auferre hinc a me, si quis emtor venerit.
Nec recte in nos quae tu dicis, aurum atque argentum merum est.
Fixus hic apud nos animus tuos clavo est Cupidinis:
Remigio veloque, quantum poteris, festina et fuge:
Quam mage in altum te capessis, tam aestus te in portum refert.

ARGYRIPPVS

Edepol istum portitorem privabo *ego* portorio!

135. Vulg. *hic*, minus quidem apte.

136. Vulg. *M. m. l.*, *quae volam*, *quoniam i. n. l. e. m.*, perversis numeris, nisi quis τὸ *loquar*, o litera elisa, μονοσυλλάβως pronuntiandum existimet, quod durissimum. *Quom* pro quoniam praebent Iunt. Argent. anni 1514. Compendium verbi fefellit librarios: *Meo modo*, ut Pers. 356, 371 et passim.

140. Vulg. *F. h. a. n. est animus t. cl. C.*, invenuste acuto verbo *clavo*, cui vitio ut medicarer, synchysin usurpavi, de qua vide ad Amph. 378. Langianis aberat *est*, frustra.

143. Vulg. pravis numeris, *Ego*

Ego te dehinc, ut merita es de me et mea re, tractare exsequar:
Quom tu med, ut meritus sum, non tractas, quae eiicias domo.

CLEAERETA

Magis istuc percipimus lingua dici, quam factis fore.

ARGYRIPPVS

Solus solitudine ego ted atque ab egestate abstuli:
Solus si ductem, referre gratiam nunquam potes.

CLEAERETA

Solus ductato, si semper solus, quae poscam, dabis;
Semper tibi promissum habeto hac lege, dum superes datis.

ARGYRIPPVS

Qui modust dando? nam nunquam tu quidem expleri potes:
Modo quom accepisti, haud multo post aliquid, quod poscas, paras.

CLEAERETA

Qui modust ductando, amando? nunquamne expleri potes?
Modo remisisti: continuo iam, ut remittam ad te, rogas.

ARGYRIPPVS

Dedi equidem, quod mecum egisti.

CLEAERETA

Et tibi ego misi mulierem:

pol. i. p. privabó portorio. Tò *privabo* sequente vocali retrahit accentum. Cf. Ba. 258, Poen. 445.

145. Vulg. *eiicis*, vel *eicis*, ut V C. et nostri G H. *Eiicias* meliores reddit numeros: vid. ad Amph. 355.

151. Vulg. *Qui* (M, *Quis*) *modus dandi?* Sed Iunt. Argent. *modust*, quod admisi, et *dando* reposui cum Acidalio, ut haec magis responderent illis, quae sequuntur, *Qui modust ductando*, etc.

152. Inepte vulgo, *M. quod a.* Sequor easdem edd.

153. Vulg. *Quid modi' st? ductando*, etc. Sed. G et H, *Qui*, unde colligas, corrupte scriptum esse *modist* pro *modust*, ut 151. Distinctionem

Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia.

ARGYRIPPVS

Male agis mecum.

CLEAERETA

Quid me adcusas, si facio officium meum?
Nam neque fictum usquam, neque pictum, nec scriptum in poëmatis,
Vbi lena bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse volt.

ARGYRIPPVS

Mihi quidem te parcere aequom est tandem, ut tibi durem diu.

CLEAERETA

Non tu scis? quae amanti parcet, eadem sibi parcet parum.
Quasi piscis, itidem est amator lenae: nequam est, nisi recens.
Is habet succum, is suavitatem; eum quovis pacto condias,
Vel patinarium, vel assum; vorses quo pacto lubet.
Is dare volt; is se aliquid posci: nam ibi de pleno promitur,
Neque ille scit, quid det, quid damni faciat; illi re studet:
Volt placere sese amicae, volt mihi, volt pedisequae,
Volt famulis, volt etiam ancillis; et quoque catulo meo
Subblanditur novos amator, se ut quom videat, gaudeat.
Vera dico. Ad suom quemque hominem quaestum esse aequom est callidum.

ARGYRIPPVS

Perdidici istaec esse vera damno cum magno meo.

post *modi'st* recte damnavit Acidalius. Ita 151, *Qui modust dando?*

165. *ibi*) Sic MS. Barthii Advers. VIII, 9: H, *tibi*. Vulg. inepte, *ubi*.

170. *Ad — callidum*) Memorabile exemplum synchyseos, de qua figura

[CLEARETA

Si ecastor nunc habeas, quod des, alia verba perhibeas;
Nunc quia nihil habes, maledictis te eam ductare postulas.

ARGYRIPPVS

Non meum est.

CLEARETA

Nec meum quidem edepol, ad te ut mittam gratiis.
Verum aetatis atque honoris gratia hoc fiet tui:
Quia nobis lucro fuisti potius, quam decori tibi,
Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem honoris causa gratiis dono dabo.

ARGYRIPPVS

Quid, si non est?

CLEARETA

Tibi non esse, credam; illa alio ibit tamen.

ARGYRIPPVS

Vbi illaec, quae dedi ante?

CLEARETA

Abusa: nam si ea durarent mihi,
Mulier mitteretur ad te; nunquam quidquam poscerem.
Diem, aquam, solem, lunam, noctem, haec argento non emo;
Cetera, quaeque volumus uti, Graeca mercamur fide.
Quom a pistore panem petimus, vinum ex oenopolio,

dixi ad Amph. 378. Cf. Truc. 384.

172. Pall., libri a nobis inspecti 3, item MS. Barth. Sarracen., *prohibeas*, unde Barthius legendum coniecit, *praehibeas*, non male: vid. Rud. 56, et infra 189.

173. .... *te eam ductare postulas*) Pleonasmus pronominis, de quo monui ad Amph. 356. Correctorum est illud *tu* pro *te* in Pall. 1, 2, 6.

177. G, *dederis*. Palatinis 6 aberat τὸ *dantur*.

182. *noctem*, *haec*) Hiatus: vid. ad Amph. 116.

Si aes habent, dant mercem. Eadem nos disciplina utimur:
Semper oculatae manus sunt nostrae: credunt, quod vident.
Vetus est « Nihili cocio est; » scis quoius? Non dico amplius.

ARGYRIPPVS

Aliam nunc mi orationem despoliato praedicas:
Longe aliam mihi, inquam, praehibes nunc atque olim, quom dabam:
Aliam atque olim, quom inliciebas me ad te blande ac benedice:

186. Vulg. *nostrae sunt manus*, invitis numeris codicibusque melioribus, in his V. C. Langg. G.

187. Libri, *coactio*, *cohactio*, *coacti*, *coaxatio*, *actio*; sed constat legendum esse *cocio*. Sententiam perspexit I. F. Gronovius, qui sic: « Non desidero, inquit (lena), et pro nihilo habeo cocionem, qui intercedat et promittat, ad diem solutum iri; praesens volo. Quum autem addit, *scis cuius*? indicat verbum hoc frequenter auditum in scena ex notissima aliqua comoedia. » In quo postremo tamen ausim dissentire a viro doctissimo, et in *quoius* potius intelligam, *pauperis*, *mendici*, quod verbum reverentia adolescentis reticet Cleaereta. Pauperis autem cocio recte dicetur arrilator, quem secum adduxerit aliquis male nummatus, ut pro se intercedat resque contrahat. Nam nomen poëtae alicuius cur non aperte dicatur, nulla causa est. Malim autem legi, *scis, quoius: non dico amplius*, ut certam se mulier significet, adolescentem scire, cuius cocionem ipsa dicat; nam si ea de re dubitet quaeratque ex illo, an id sciat necne, Argyrippo nihil respondente, tanquam eo, qui nesciat, invenustum sit, nihil amplius addere neque hominem certiorem facere, de quo agatur.

189. Vulgatae manco numero, *Longe aliam*, *inquam*, *praebes* etc. *Mihi* inter *aliam et inquam* inserebat F. V. Reizius, bene: nam non versum modo iuvat sententiaeque convenit, sed *mi* forte exaratum pro *mihi*, praesertim scriptura continua, facile quoque neglectum fuerit propter literas utrimque vicinas, quum easdem semel tantum ponere solerent scribae. Nisi potius existimes, *mihi* ad praecedentem versum aberrasse, indeque tantum retrahendum esse, ut scribatur: *Aliam nunc orationem despoliato praedicas*, *Longe aliam mihi*, *inquam*, *praehibes nunc atque olim*, *quom dabam*. Hoc profecto verum. Pro *praebes* substitui antiquam formam, qua et alibi Noster utitur.

Tum mihi aedesque adridebant, quom ad te veniebam, tuae;
Me unice unum ex omnibus te atque illam amare, aibas mihi:
Vbi quid dederam, quasi columbae pulli in ore ambae meo
Vsque eratis; meo de studio studia erant vostra omnia;
Vsque adhaerebatis; ego quod iusseram, quod volueram,
Faciebatis; quod nolueram aut vetueram, de industria
Fugiebatis, neque conari id facere audebatis prius.
Nunc neque quid velim, neque nolim, facitis magni, pessumae.

CLEAERETA

Non tu scis? hic noster quaestus aucupi simillumust.
Auceps quando concinnavit aream, obfundit cibum:
Aves adsuescunt. Facere necesse est sumtum, qui quaerit lucrum.
Saepe edunt; semel si captae sunt, rem solvunt aucupi.
Itidem hic apud nos: aedis nobis area est; auceps sum ego;
Esca est meretrix; lectus inlex est; amatores aves:
Bene salutando consuescunt, conpellando blanditer,
Auscultando, oratione vinnula, venustula.

191. Vulg. *T. m. aedes quoque a.*, nullis numeris, nec satis est, *mi* reposuisse, nisi acui velis posteriorem syllabam τοῦ *aedes*, priorem, quae acuenda est, in thesi obmutescere. *Aedesque* posui pro *aedes quoque*, sicut passim usurpari *que*, vel lexica docent. Vid. I. F. Gronov. ad Liv. I, 26 extr., nos infra ad 821, Pseud. 27, Trin. 404.

192. *unice unum*) Plautina haec elegantia. Cf. Ba. 372, Stich. 10, Truc. 169.

196. Vulg. *quod nolebam ac vet.* Sequor codd. H et M, quorum ille, *nolueram*, hic, *aut.* Vtrumque vulgato elegantius; et apprime concinnum est, *quod nolueram aut vetueram* eadem ratione nunc dici, qua modo dictum, *quod ego iusseram*, *quod volueram.*

201. *Aves* extrita *v* litera legendum est: vid ad Amph. prol. 90. Vulg. autem ἀμέτρως: *A. a. Nec. e. f. s. q. q. l.* De proceleusmatico *Facere ne-* vid. ad Amph. 356.

206. *Auscultando*) Vulg. *osculando.*

Si papillam pertractabit, haud id est ab re aucupis;
Savium si sumsit, sumere eum licet sine retibus.
Haeccine te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu?

ARGYRIPPVS

Tua ista culpa est, quae discipulum semidoctum abs te amoves.

CLEAERETA

Remeato audacter, mercedem si eris nactus; nunc abi.

ARGYRIPPVS

Mane, mane! audi! dic: quid me aequom censes pro illa tibi dare,
Annum hunc ne cum quiquam alio sit?

CLEAERETA

Tene? viginti minas,
Atque ea lege: si alius ad me prius attulerit, tu vale.

ARGYRIPPVS

At ego est etiam, priusquam abis, quod volo loqui.

CLEAERETA

Dic, quod lubet.

ARGYRIPPVS

Non omnino iam perii: quo pereas magis, est reliqüom:

« Tamen, *inquit Acidalius Divinat. in Asin. c.* 4, sincerum vix illud ego credo: nam de *osculo* cur hic interserat, de quo post demum sequitur *Suavium si sumsit* etc. » Corrigebat igitur vir doctus *Oscultando*, ut revera praeferebat Pal. 3, quod antiqua vice τοῦ o et *au* scriptum fuerit pro *auscultando*. Sed praestat ipsum *Auscultando*, quod reposui. Nam quod Taubmannus longe aliud dicit *osculum*, aliud *savium*, fallitur et fallit, siquidem generale nomen est *Osculum*, quo etiam basia et savia comprehenduntur; neque audiendus Donatus, *Oscula* officiorum tantummodo esse tradens ad Terentii Eun. III, 2, 3. Pro *vinnula* 4 Pall., item nostri G M et edd. aliquot vv., velut Mediol. anni 1500, Iunt. et Arg. 1514, *vinula*. H quoque a manu 1, *venula*, quod eodem recidit. Nostri lites de etymo vocabuli, quas non nostrum est componere.

207. Vulg. *haud est a. r. a.*, versu imperfecto, nisi legas *red*. Sed verisimilius videtur, id absorptum esse a literis praecedentibus.

212. De *si* non elidendo vid. ad Amph. 149.

216. Vulg. *est reliquum quo pereas magis*, pravo accentu verbi *reliquum*:

Habeo, unde istuc tibi, quod poscis, dem; sed in leges meas
Dabo, uti scire possis: perpetuom annum hunc mihi uti serviat,
Nec quemquam interea alium admittat prorsus, quam me, ad se virum.

CLEARETA

Quin, si tu voles, domi servi qui sunt, castrabo viros.
Postremo, ut voles nos esse, syngrapham facito adferas;
Vt voles, ut tibi lubebit, nobis legem inponito:
Modo tecum una argentum adferto; facile patiar cetera.
Portuum simillumae sunt ianuae lenoniae:
Si adfers, tum patent; si non est, quod des, aedes non patent.

ARGYRIPPVS

Interii, si non invenio ego illas viginti minas;
Et profecto, nisi ego perdo argentum, pereundum est mihi.
Nunc pergam ad forum, atque experiar opibus, omni copia:
Supplicabo, exobsecrabo, ut quemque amicum videro;
Dignos, indignos, adire atque experirier mihi certum est: t. t.
Nam si mutuas non potero, certum est, sumam foenore. t. t. c.

vid. Bentl. ad Phaedr. I, 31, 13, item ad Terentii Heaut. 219, nos supra ad Amph. 203, Terentii Eun. 940.

220. *Domi* pro monosyllabo est: vid. ad Amph. prol. 74.

224. Inepte vulgatae, *Portitorum*. Argento dato, ut ianuas lenonias, ita portus patere dicit mulier, non portitores.

227. Vulg. minus lepide, *E. p. nisi illud p. a. p. e. m.* Langg., *nisi ego illud*. *Illud* a glossatore est.

230. Vulg.... .*experiri certum est mihi*, versu non extricabili. De singulo troch. acat. vid. ad Amph. 596.

231. *mutuas*) Ita MSS. Palatin. 4 in glossa: scilicet *pecunias*. Nonius, *mutuo*, approbante Gulielmio Quaest. in Asin. c. 4, quia pervenuste mutuum opponatur foenori.

LIBANVS

Hercle vero, Libane, nunc te melius expergiscier!
t. t. c. II, 1
Iam diu factum est, quom discesti ab hero, atque abiisti ad forum,
Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam;
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.
Quin tu abs te socordiam omnem reicis, segnitiem amoves,
Atque ad ingenium vetus vorsutum te recipis tuom?
Serva herum: cave idem tu faxis, alii quod servi solent,
Qui ad heri fraudationem callidum ingenium gerunt. —
Vnde sumam? quem intervortam? quo hanc celocem conferam?
Inpetritum, inauguratum est; quovis admittunt aves;
Picus et cornix ab laeva est, corvos porro ab dextera;
Consüadent; certum est vostram consequi sententiam.
Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit? Non temerarium est.
Certe hercle, ego quantum ex auguriod auspicioque intellego,
Aut mihi in mundo sunt virgae, aut atriensi Saureae.
Sed quid illuc, quod exanimatus currit hic Leonida?
Metuo, quod illic obscaevavit falsae meae fallaciae.

232. Inter hunc versum et proximum vulgo talia leguntur inconcinna: *Atque argento comparando fingere fallaciam*, quae nemo facile dubitet sublecta esse a nescio quo interpolatore in sequentibus.

236. Vulg. *reice e. s. amove. Atque* etc. Quibus admissis, quid faciemus sequentibus? Vnde *Atque*, unde *recipis* pendere dicamus? Audiendus erat Lambinus.

243. Vulg. *Consuadent: c. hercle est v. c. s.*, ubi *Cônsuadent* prima et extrema syllaba male est acuendum. *Hercle*, de proximis petitum, addere cuiusvis erat.

245. Vulgatae inaudito loquendi

LEONIDA. LIBANVS.

LEONIDA

Vbi ego nunc Libanum requiram aut familiarem filium,
t. t. c. II, 2
Vt ego illos lubentiores faciam, quam Lubentia est?
Maxumam praedam et triumphum eis adfero adventu meo.
Quando mecum pariter potant, pariter scortari solent:
Hanc quidem, quam nactus, praedam, pariter cum illis partiam.

LIBANVS

Illic homo aedis conpilavit, more si fecit suo.
Vae illi, qui tam indiligenter observavit ianuam!

LEONIDA

Aetatem *ego* velim servire, Libanum ut conveniam modo.

LIBANVS

Mea quidem hercle liber opera nunquam fies ocius.

LEONIDA

Etiam de tergo ducentas plagas praegnantis dabo.

LIBANVS

Largitur peculium: omnem in tergo thesaurum gerit.

LEONIDA

Nam si se huic occasioni tempus subterduxerit,
Nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea;
Herum in obsidione linquet, inimicum animos auxerit.
Sed si mecum occasionem opprimere hanc, quae obvenit, studet,

genere: *ex augurio auspicii i.* Sequor Merulam.

261. Recte habet *quadrigis albis:* qui maximi fiebant equi et honoris insigne erant, pro velocissimis sunt positi.

262. *Herum* non liquescit: vid. ad Amph. 341.

Maxumas opimitates gaudio ecfertissumas
Suis heris ille una mecum pariet, gnatoque et patri:
Adeo ut aetatem ambo ambobus nobis sint obnoxii,
Beneficio devincti nostro.

LIBANVS

Vinctos nescio quos ait.
Non placet: metuo, in commune ne quam fraudem frausus sit.

LEONIDA

Perii ego oppido, nisi Libanum invenio iam, ubiubi est gentium!

LIBANVS

Illic homo socium ad malam rem quaerit, quem adiungat sibi.
Non placet: pro monstro exemplum est, quando, qui sudat, tremit.

LEONIDA

Sed quid ego hic, properans, concesso pedibus, lingua largior?
Quin ego hanc iubeo tacere, quae loquens lacerat diem?

LIBANVS

Edepol infelicem hemonem, qui patronam conprimat!
Nam si quid sceleste fecit, lingua pro illo peierat.

LEONIDA

Adproperabo: ne post tempus praedae praesidium parem.

268. Vulg. inconciune, *sict.*

271. Vulg. minus commode, *extemplo.* Sequor Langg. Pal. quoque 3 et G, *exemplo.* Gulielm. Quaest. in As. c. 5: « Multo, *inquit*, rectius (quam *extemplo*) MSS. (Langianos autem dicit): *pro monstro exemplumst*: neque id aliud quam si dixisset. monstri simile est: nam exemplum ἀντίτυπον, ὑπόδειγμα glossis veteribus, et hinc ea Comicorum *Ad hoc exemplum*, *Hoc exemplo.* » Tralatitius hic error: cf. 370.

274. Vulg. *E. hominem infelicem*, quod ferri quidem poterat, τῷ *hominem* non eliso; sed cur *hemonem* Ennius et prisci dixerint, Plautus non dixerit? Festus: « *Hemona* humana

LIBANVS

Quae illaec praeda est? Ibo advorsum, atque electabo quidquid est.
Iubeo te salvere voce summa, quoad vires valent.

LEONIDA

Gymnasium flagri, salveto.

LIBANVS

Quid agis, custos carceris?

LEONIDA

O catenarum colone!

LIBANVS

Virgarum o lascivia!

LEONIDA

Quot te pondod esse censes nudum?

LIBANVS

Non edepol scio.

LEONIDA

Scibam ego, te nescire; at pol ego, qui ted expendi, scio;
Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes.

LIBANVS

Quo argumento istuc?

LEONIDA

Ego dicam, quo argumento et quo modo:
Ad pedes quando adligatum est aequom centupondium,
Vbi manus manicae conplexae sunt atque adductae ad trabem,
Nec dependis, nec propendis, quin — malus nequamque sis.

et *Hemonem* hominem dicebant.» Cf. Pseud. 197, Charis. et Priscian. Putsch. 120, 683.

285. Vulg. *alligatus es*; V. C. *all. est.* Scriptum erat in archetypis, *alligatust*, h. e. *alligatum est*: hinc error.

LIBANVS

Vae tibid!

LEONIDA

Hoc testamento Servitus legat tibi.

LIBANVS

Verbivelitationem fieri compendi volo.
Quid istuc est negotî?

LEONIDA

Certum est credere?

LIBANVS

Audacter licet.

LEONIDA

Sis amanti subvenire familiari filio,
Tantum adest boni inproviso, verum conmistum malo:
Omnes de nobis carnuficum concelebrabuntur dies.
Libane, nunc audacia usust nobis inventa et dolis:
Tantum facinus nunc inveni ego, ut nos dicamur duo
Omnium dignissumi esse, quo cruciatus confluant.

LIBANVS

Ergo mirabar, quod dudum scapulae gestibant mihi,
Hariolari quae occeperunt, esse sibi in mundo malum.
Quidquid est, eloquere.

LEONIDA

Magna est praeda cum magno malo.

LIBANVS

Si quidem omnes coniurati cruciamenta conferant,
Habeo, opinor, familiarem tergum, ne quaeram foris.

LEONIDA

Si istanc animi firmitudinem obtines, salvi sumus.

288. Similes ioci sunt Merc. 158, Pers. 727, Pseud. 77. Cf. et Rud. 455.

289. *Verbivelitationem*) Ita Meurs. Exercc. critt. cap. 1, ut verbum respondeat graeco λογομαχία. Vulg. minus lepide, *Verbis velitationem* per hyphen.

295. *nunc*) Ita G; vulgo inconcinne, *modo*.

301. MSS. fere, *familiare*, ex interpretatione; sed M, *familiarem*, sicut Nonius.

302. Pall. 1, 6, item H et edd.

LIBANVS

Quin, si tergo res solvenda est, rapere cupio publicum:
Pernegabo atque perdurabo, periurabo denique.

LEONIDA

Hem, ista virtus est, quando usust, qui malum fert fortiter!
Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.

LIBANVS

Quin actutum rem edissertas? Cupio nancisci malum.

LEONIDA

Placide ergo unumquidquid erogita: adquiescam: non vides,
Me ex cursura anhelitum etiam ducere?

LIBANVS

Age age, mansero
Tuo arbitratu, vel adeo usque dum peris.

LEONIDA

Vbinam est herus?

LIBANVS

Maior apud forum est, minor hic est intus.

LEONIDA

Iam satis est mihi.

Mediol. anni 1500, Argent. 1514, *fortitudinem*.

304. Longe lepidius per alliterationem G, *P. a. perdurabo* etc. Hoc in ordinem recepi.

306. Vitio calami Langg. 4, Pall. et M a m. 2, *potitur—bonum*. Lusus hic verborum.

307. *edissertas*) Ita Gulielmius Quaest. in Asin. 5, quum in Langianis invenisset *edisseras*. Ita etiam alibi Noster: vid. Parei lexic. Plaut. Vulg. inconcinne: .... *edisseris? cupio malum nanciscier*.

308. Vulg. *P. e. numquidque derogita, ut acq.: n. v.* parone (*derogita ut*) in locum trochaei succedente, id quod fieri non potest. Gulielmius *erogita*, secundum Capt. 886. Atque huc recidit etiam vulgata lectio, ut exaratum fuerit primum, scriptura continua, *unumquidquiderogita*, mox, vocibus non recte distinctis et *e* posito pro *i*, sicut passim factum, *unumquidque derogita*. Vt interpretamen-

LIBANVS

Tum igitur tu dives factus?

LEONIDA

Mitte ridicularia.

LIBANVS

Mitto: istuc, *istuc*, quod adfers, aures exspectant meae.

LEONIDA

Animum advorte: ut aeque mecum tu haec scias.

LIBANVS

Taceo.

LEONIDA

Beas.

Meministin', asinos Arcadicos mercatori vendere
Pellaeo atriensem nostrum?

LIBANVS

Memini. Quid tum postea?

LEONIDA

Hem, ergo is argentum huc remisit, quod daretur Saureae
Pro asinis. Adulescens venit modo, qui id argentum attulit.

LIBANVS

Vbi is homo est?

LEONIDA

Iam devorandum censes, si conspexeris?

LIBANVS

Ita enimvero, sed temetum. Nempe eos asinos praedicas

tum est: vid. ad Amphitruonem 142.

312. Vulg. inconcinne, *dives es factus*. Vid. ad Amph. 168.

313. Vulg. *istuc* semel tantum legitur, versu imperfecto.

314. Dele illud *tu*, quod libris vetustis abest, neque a metro requiritur: vid. ad Amph. 116.

320. Vulg. *I. e., s. tamen tu nempe* etc. perquam absurde. Ait devorandum se censere, sed temetum, non adolescentem illum. Locus servo dignus.

Vetulos, claudos, quibus attritae ad femina iam erant ungulae?

LEONIDA

Ipsos, qui tibi subvectabant rure huc virgas ulmeas.

LIBANVS

Teneo: atque iidem te hinc vexerunt vinctum rus.

LEONIDA

Memoras probe.
Verum, in tonstrina ut sedebam, me infit percontarier:
Ecquem filium Stratonis noverim Demaenetum?
Dico me novisse extemplo, et me eius servom praedico
Esse, et aedis demonstravi nostras.

LIBANVS

Quid tum postea?

LEONIDA

Ait, se ferre ob asinos argentum atriensi Saureae,
Minas viginti; sed eum se non novisse hominem, qui siet;
Ipsum vero se novisse callide Demaenetum.
Quoniam ille elocutus haec sic. . .

LIBANVS

Quid tum?

LEONIDA

Ausculta ergo: scies.
Facio me facetum extempulo atque magnificum virum;
Dico, med esse atriensem. Sic hoc respondit mihi:
Ego pol Sauream non novi, nec qua facie sit, scio:
Te non aequom est suscensere. Herum si vis Demaenetum,

323. Vulg. minus bene, *Memor es p.* Obtemperavi Langianis et libro H, quum frequentem τοῦ *memorare* usum esse viderem in Sarsinate: adi Parei lexic. Plaut. h. v.

331. Vulg. *Extemplo facio fac. me atque m. v.*

335. *Herum si*) Vulg. *Si herum.* Illud praetuli, ne vox gravis *Herum* in thesi prorsus delitesceret.

Quem ego novi, adduce: argentum non morabor quin feras.
Ego me dixeram adducturum, et me domi praesto fore;
Ille in balineas iturust; inde huc veniet postea.
Quid nunc consilii captandum censes? dic.

LIBANVS

Hem, istuc ago,
Quomodo argento intervortam, et advectorem et Sauream.
Iam hoc opus est exasciandum: nam si ille argentum prius
Hospes huc adfert, continuo nos ambo exclusi sumus.
Nam me hodie senex seduxit solum, seorsum ab aedibus;
Mihi tibique interminatust, nos futuros ulmeos,
Ni hodie Argyrippo viginti essent argenti minae;
Iussit vel nos atriensem, vel nos uxorem suam
Defrudare; sese dixit operam promissam dare.
Nunc tu abi ad forum ad herum, et narra, haec ut nos acturi sumus:
Te ex Leonida futurum esse atriensem Sauream,
Dum argentum adferat mercator pro asinis.

LEONIDA

Faciam, ut iubes.

336. H, *morabo.*

337. *dixeram*) vid. ad Amph. prol. 81.

340. *advectorem*) Ita Pall. MS. Barth. et 3 libri nostri; in quo intelligendum est *argenti*. Vid. I. F. Gronov. De pecun. vet. II, 3, et ad Senec. de Tranq. an. c. 5. Vulg. *adventorem*, h. e. *hospitem*, minus quidem significanter, et ταυτολογικῶς, quum statim sequatur *ille hospes*.

341. Vulg. *exasciatum*. Sed Acidalius Divinatt. in Asin. c. 5: «Sententia, *inquit*, vult ut legatur *exasciandum*. Scio, ut Lambinus alterum torqueat, sed vere torqueat: cui quidem explicationi aperte repugnant consequentia statim verba. — Sensus germanus est: iamiam sine mora dedolandum esse dolum, ne ab hospite praeveniantur. Sed an omnino tamen *exasciandum* scribi debet? Vereor, ne *exasciato* potius sit, in eandem plane mentem.»

344. *ulmeos*) Vid. ad Amph. 140.

350. Vulg. *F. uti iubes*, quod cor-

LIBANVS

Ego illum interea hic oblectabo, prius si forte advenerit.

LEONIDA

Quid ais?

LIBANVS

Quid vis?

LEONIDA

Pugno malam si tibi percussero,
Mox quom imitabor Sauream, caveto ne suscenseas.

LIBANVS

Hercle vero tu cavebis, ne me attingas, si sapis:
Nae hodie malo cum auspicio nomen conmutaveris!

LEONIDA

Quaeso, aequo animo patitor.

LIBANVS

Patitor tu item, quom ego te referiam.

LEONIDA

Dico, ut usus fieri.

LIBANVS

Dico hercle ego quoque, ut facturus sum.

LEONIDA

Ne nega.

LIBANVS

Quin promitto, inquam, hostire contra, ut merueris.

LEONIDA

Ego abeo; tu, iam scio, patiere. Sed quis hic est? Is est!
Ille est ipsus! Iam ego recurro huc: tute hunc interea hic tene:

rectoris est, τὸ *pro* non elidi nescientis: vid. ad Amph. 149. MSS. *ut i.*

354. Sic fere MSS, nisi quod: *si me sapis*, quamquam in V. C. linea subductum erat τὸ *me*, tanquam id, quod deletum cuperet librarius, et Palatino 5 plane aberat, ut neque in Iunt. Ald. etc. legitur. Frustra obturbat Gruterus cum inconcinne suo, *si me tagis.*

358. *hostire*) *Pugno* addit G.

360. Vulg. inconcinne, *tu.*

Volo seni narrare.

LIBANVS

Quin tuom officium facis ergo, ac fugis?

MERCATOR. LIBANVS.

MERCATOR

Vt demonstratae sunt mihid, hasce aedis esse oportet, i. t. c. II, 3
Demaenetus ubi dicitur habitare. I, puere, pulta,
Atque atriensem Sauream, si est intus, evocato huc.

LIBANVS

Quis nostras sic frangit foris? Ohe, inquam, si quid audis!

MERCATOR

Nemo etiam tetigit: sanusne es?

LIBANVS

At censebam attigisse
Propterea, huc quod habebas iter: nolo ego meas conservas
A tete verberarier: sane ego sum amicus nostris.

MERCATOR

Pol haud periclum est, cardines ne foribus ecfringantur,

361. Vulg. *tu off.*, minus usitate: vid. Parei lexic. v. *Officium facere*. Adstipulor libro H, qui, *tuum*.

367 sq. Vulg. . . . . . *nolo ego fores conservas meas A te verberarier: sane ego sum amicus nostris aedibus*, ioco extincto et numeris ionnmeris. Iam M, quem contuli, pro *fores* praebet *aedes*. Scires, utrumque esse additium. Deinde quod attinet τὸ *aedibus*, recte Gulielm. Quaest. in Asin. c. 6: Illud *aedibus* furcillis expello: quod huc inferserunt ii, qui non animadverterent, *nostros* dixisse veteres de iis, qui in eadem secum familia, h. e. familiares essent, ut caeteros *alienos*. Patet manifesto ex Amphitr. 243. — Latius haec tamen postea accepta, et *noster* sive *familiaris* quemvis amicum artiore usu et prope cotidiano coepit significare, *alienus* eum, qui nullo nos usu attingeret. Lepide igi-

Si istoc exemplo tu omnibus, qui quaerunt, responϚdebis.

LIBANVS

Ita haec morata est ianuad: extemplo ianitorem
Clamat, procul si quem videt ire ad se calcitronem.
Sed quid venis? quid quaeritas?

MERCATOR

Demaenetum volebam.

LIBANVS

Si sit domi, dicam tibi.

MERCATOR

Quid? eius atriensis?

LIBANVS

Nihilo mage intus est.

MERCATOR

Vbi est?

LIBANVS

Ad tonsorem ire dixit.

MERCATOR

Quom ivisset, post non rediit?

LIBANVS

Non edepol. Quid volebas?

MERCATOR

Argenti viginti minas, si adesset, accepisset.

LIBANVS

Quî pro istuc?

tur servus de ianua ut de familiarium aliquo loquitur.

370. Pessime V. C. et nostri H et M, *extemplo*. Cf. 271 ibique nos. *Exemplo* caeteri olim Pall. et G. Caeterum Langg. H M, *exemplo omnibus*, pronomine omisso; non male, modo legas, *exemplod omnibus*.

375. *ivisset*) Ita lunt. Ald. MSS. perperam, *venisset*, cui verbo superscriptum erat *ivisset* in Pal. 4. Syllaba *re* in *rediit* longa est h. l., sicut saepius, etiam ubi sequens consona non geminatur: cf. Cist. 429, Men. 933, Truc. 715, Wasii Senar. c. 16. Parei lexic. h. v.

MERCATOR

Asinos vendidit Pellaeo mercatori
Mercatu.

LIBANVS

Scio. Tu id nunc refers? Iam hic credo eum adfuturum.

MERCATOR

Qua facie voster Saurea est? si is est, iam scire potero.

LIBANVS

Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus,
Truculentis oculis, commoda statura, tristi fronte.

MERCATOR

Non potuit pictor rectius describere eius formam.

LIBANVS

Atque hercle ipsum adeo contuor; quassanti capite incedit.
Quisque obviam huic occesserit irato, vapulabit.

MERCATOR

Si quidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus cedit:
Si med iratus tetigerit, iratus vapulabit.

385. Vulg. *Q. o. huic hic occ.*, metro depravato. Abest τὸ *hic* plerisque omnibus MSS.

386. Vulg. itidem inconcinne, *incedit*, quod interpretamentum est. Sensit Gronov., qui confert Aul. 468, 478. Sed saepius verbum hac potestate legitur apud Nostrum.

LEONIDA. MERCATOR. LIBANVS.

LEONIDA

Quid hoc sit negoti, neminem meum dictum magni facere? i. t. c. II, 4
Libanum in tonstrinam ut iusseram venire, is nullus venit.
Nae ille edepol tergo et cruribus consuluit haud decore!

MERCATOR

Nimis imperiosust.

LIBANVS

Vae mihid hodie!

LEONIDA

Salvere iussi
Libanum libertum? iam manud emissus?

LIBANVS

Obsecro te.

LEONIDA

Nae tu hercle cum magno malo mihi obviam obcessisti!
Cur non venisti, ut iusseram, in tonstrinam?

LIBANVS

Hic me moratust.

LEONIDA

Si quidem hercle nunc summum Iovem te dicas detinuisse,

388. Vulg. *Q. h. est n.*, invitis MSS. et vv. edd. Recensoris hoc, versum non expedientis, quum vel *Quid i* litera extrita legendum esset, vel *hoc* corripiendum, praesertim in primo versu.

389. Tò *ut* aberat Langianis et in H puncto subter posito notatum est, tanquam delendum.

391. Poenitet, Acidalio auscultantem, *iussim* exarari me olim curasse pro vulgato *iussi.* Facete Saurea iste suppositius, *Salvere iussi Libanum libertum*, h. e. non amplius salvere eum iubeo (nam haec propria vis perfecti) malum rem ei precor. Sic et Curc. 555 miles lenoni: *Iusseram salvere te*, ubi similiter impegit Acidal.

Atque is precator adsiet, malam rem ecfugies nunquam.
Tu, verbero, imperium meum contemsisti?

LIBANVS

Hospes, perii!

MERCATOR

Quaeso hercle, noli, Saurea, mea causa hunc verberare!

LEONIDA

Vtinam nunc stimulus in manu mihi sit . . .

MERCATOR

Quiesce, quaeso.

LEONIDA

Qui latera conteram tua, quae obcalluere plagis! —
Abscede, ac sine me hunc perdere, qui semper me ira incendit,
Quoi nunquam rem me unam licet semel praecipere furi,
Quin centies eadem imperem atque obganniam; itaque iam hercle
Clamore ac stomacho non queo labori suppeditare.
Iussin', sceleste, ab ianuad hoc stercus hinc auferri?
Iussin' columnis deicier operas aranearum?
Iussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris?
Nihil est: tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum.
Quia triduom hoc unum modo foro dedi operam adsiduam,
Dum reperiam, qui quaeritet argentum in foenus: hic vos
Dormitis interea domi, atque herus in hara, haud aede, habitat.

403. V. C., *cenciens*, ul *quotiens*, *totiens*. — H, *obganniam*. Vulg. ogg.
405. H, et M, *l. s. hac iam*.
406. Vulg. *deiici* cum hiatu. V. C. et 4 Pall. item edd. vv. *deici*.
410. M, *recipiam*.
411. Vulg. *aedibus*, quod inconcinnum, et, nisi fallor, interpretamentum est. Cf. 203 etc. Reizius delebat *in*.

Hem ergo hoc tibi!

LIBANVS

Hospes, te obsecro, defende!

MERCATOR

Saurea, oro,
Mea causa uti mittas.

LEONIDA

Eho! ecquis pro vectura olivi
Rem solvit?

LIBANVS

Solvit.

LEONIDA

Quoi datum est?

LIBANVS

Sticho vicario ipsi
Tuo.

LEONIDA

Vah! delenire adparas. Scio, mihi vicarium esse,
Neque esse servom in aedibus, qui pluris sit, quamde ille.
Sed vina, quae heri vendidi vinario Exaerambo,
Iam pro his satisfecit Sticho?

LIBANVS

Fecisse satis opinor:

414. Vulg. *Resolvit?* Li. *Resolvit*, minus quidem recte: nam proprie *resolvi* dicimus argentum, quod debemus. *Rem solvere* passim Noster: vid. 435, Curc. 376, 548, 613 etc. Aldus, secundum scriptos, ut opinor, *Resolvit?* Li. *Solvit*. Vulgata lectio etiam metrum evertit.

416. Putide vulgatae, *Neque eo esse* etc. Expressi MSS. Barth. M, edd. Sarracen. Iunt. Ald. Parean., in qua quidem nihil monetur, ut etiam Palatinis abfuisse vocula videatur. Vulg. quoque, *aedibus heri qui sit pluris quam ille sit*, versu pravo, etiamsi reposueris *ille est*, quod aeque bene vel aderit vel aberit: nam horum versuum pes quartus aut iambo puro aut pyrrhichio semper constat, nunquam spondeo vel alio pede τετρασήμῳ. Vid. ad Amph. 889. Tò *heri* et posterius *sit* Reizium quoque improbasse comperio. Scripsi autem metri causa *quamde* pro *quam*, more priscorum: vid. ad Amph. prol. 69.

417. *quae heri*) Vid. ad Amph. 149.

Nam vidi hunc ipsum abducere et trapezitam Exaerambum.

LEONIDA

Sic dedero. Prius quae credidi, vix anno post exegi;
Nunc satagit: abducit domum etiam ultro, et scribit numos.
Dromo mercedem retulit?

LIBANVS

Dimidio minus, opinor.

LEONIDA

Quid reliqüom?

LIBANVS

Aibat reddere, quam extemplo redditum esset:
Nam retineri, ut, quod sit sibid operis locatum, ecficeret.

LEONIDA

Scyphos, quos utendos dedi Philodamo, retulitne?

419. Vulg. *N. v. huc i. a.*, invitis G M, quod dudum est quum correxit Acidalius, ut in hunc *Stichus*, in ipsum intelligatur *Exaerambus*. Vox *trapezitam* fere depravata legitur in MSS. V. C. veritati proxime, *adducere et trap.* Reponendum, *Nam vidi hunc ipsum adducere et trapezitam Exaerambum.* Ait Exaerambum ipsum, h. e. sponte vel ultro, ut est 421, abduxisse Stichum et trapezitam. Sed quo illos abduxit? Nempe domum suam, quod versu 421 intelligitur, ut ibi numos scribat, h. e., ut pro his in certum diem solvendis ap. trapezitam syngrapha se obliget, hunc vero iubeat in foro et de mensae scriptura, ut cum Donato loquar ad Terentii Ad. II, 4, 13, potiusquam ex arca domoque, quod minus erat solitum, debitam Sticho pecuniam numerare. Vidi, qui reponerent, *abducere ad trap.*, quum non animadvertissent, domum, h. e. domum suam, illos abduxisse dici Exaerambum 421. Nam quod et ibi scripturam librorum mutant, minime sunt audiendi, quod sensit etiam Pistoris.

424. *loc. e.*) Sic MSS., non, ut vulgo, *c. l.*

425. Vulg. versu imperfecto, LI. *N. e.?* LE. *H. non? si velis* etc. Acidalius, *Non? hem, si* etc. non male. Verum tamen quum nostri libri et vv. nonnullae edd. exhiberent, *hem, nunc si velis*, simile simili offecisse ratus, ut passim factum, dedi potius, verbis non transpositis: *Hem, non? Nunc* (h. e. igitur), *si velis*, etc.

LIBANVS

Non etiam.

LEONIDA

Hem, non? Nunc, si velis, da, commoda homini amico!

MERCATOR

Perii hercle, iam hic me abegerit suo odio!

LIBANVS

Heus iam! satis tu
Audin', quae loquitur?

LEONIDA

Audio et quiesco.

MERCATOR

Tandem, opinor,
Conticuit: nunc adeam optumum est, priusquam incipit tinnire.
Quam mox mihi operam das?

LEONIDA

Ehem, optume, quamdudum advenisti?
Non hercle te provideram. Quaeso, ne vitio vortas:
Ita iracundia obstitit oculis.

MERCATOR

Non mirum factum est.
Sed, si domi est, Demaenetum volebam.

LEONIDA

Negat esse intus;
Verum istuc argentum tamen mihi si vis denumerare,
Repromittam, istoc nomine solutam rem futuram.

429. Langg. et G, *incipiat*.

433. *Negat*) Intelligendum aliquis, servus, ellipsi Nostro perquam usitatâ: cf. Curc. 464, Merc. 289, Most. 782, 841, 986 sqq. Rud. 850, Stich. 145, 649, 989; quomodo τις omitti solet apud Graecos. Hoc non advertentes correxere *Negant*, quod comparebat in 6 Pall. MS. Barth. nostrisque G M.

MERCATOR

Sic potius, ut Demaeneto tibi praesente reddam.

LIBANVS

Herus istunc novit, atque herum hic.

MERCATOR

Hero huic praesente reddam.

LIBANVS

Da modo meo periculo: rem salvam ego exhibebo:
Nam si sciat noster senex, fidem non esse huic habitam,
Suscenseat, quoid omnium rerum ipsus semper credit.

LEONIDA

Non magni pendo, ne duit: si non volt, sic sine adstet.

LIBANVS

Da, inquam! Vah, formido miser, ne hic me tibi arbitretur
Suasisse, sibi ne crederes. Da, quaeso, ac ne formida!
Salvom hercle erit.

MERCATOR

Credam fore, dum ipsus quidem in manu habeo.
Peregrinus ego sum, Sauream non novi.

LIBANVS

At nosce sane.

MERCATOR

Sit, non sit, non edepol scio; si is est, eum esse oportet:
Ego certe me incerto scio hoc daturum nemini homini.

LEONIDA

Hercle istum dî omnes perduint! — Verbo cave supplicassis!

436. Male vulg. ex interpretatione, ... *tibi hero p. r.*, vix audito verbo graviore *tibi*. Sublectum τὸ *hero* in sequente versu.

440. Vid. ad Amph. 507.

444. Vulg. inconcinne, *d. q. ipse i. m. h.* M, *ipse quidem*. V. C. a m. 1.

MERCATOR

Ferox est: viginti minas meas tractare sese!

LEONIDA

Nemo accipit: aufer te domum: abscede hinc; molestus ne sis.

MERCATOR

Nimis iracunde! Non decet superbum esse hominem servom.

LEONIDA

Malo hercle iam magno tuo, ni isti nec recte dicis.

LIBANVS

Inpure, nihili, non vides irasci?

LEONIDA

Perge porro!

LIBANVS

Flagitium hominis, da, obsecro, argentum huic, ne male loquatur.

MERCATOR

Malum hercle vobis quaeritis.

LEONIDA

Crura hercle defringentur,
Ni istum inpudicum percies.

item Pal. 3 et G, *habebo*, quod praeferebat Acid.

449 sq. Vulg. continuantur, tanquam a Leonida dicta omnia; quod aegre feras, praesertim quia minas istas vix et ne vix quidem est quod suas appellet servulus. Sequor Sarracenum.

452. Vulg. Li. *M. h. i. m. t. nunc* (Langg. *ni*) *i. n. r. d. L. n. n. v. i.*? Le. *P. p.* Li. *F. h., d. o. a. h., n. m. l.* Volit hic aliquid Gulielmius Quaest. in Asin. c. 2. Sed quod verba *da obsecro — loquatur* Leonidae tribuit, haud facile quemquam, opinor, inveniet approbatorem, siquidem argentum non Libano dandum erat, sed Leonidae, personam Saureae gerenti. Male locutus est Leonida, quum 452 dixit, usurpata ellipsi irato, qualem se fingit ille, valde convenienti, *Malo hercle iam magno tuo*, h. e., *M. h. i. m. t. facies*, *ni isti* etc. Libri parum iuvant, neque magna est eorum in his rebus auctoritas.

454. *Flag. hominis.* V. ad Amph. 341.

LIBANVS

Perii hercle! — Age, inpudice!

LEONIDA

Sceleste!

LIBANVS

Non audes mihi, sceleste, subvenire?

LEONIDA

Pergin' precari pessumo?

MERCATOR

Quae res? tun' libero homini
Male, servos, loquere?

LEONIDA

Vapula!

MERCATOR

Id tibi quidem hercle fiet,
Vt vapules, Demaenetum simulac conspexero hodie!
In ius voco te.

LEONIDA

Non eo.

456. Pall. 6; item MS. Barth. G M et pleraeque edd., in his Iunt., *percuties* (H, *pernities*), inepte quidem et cuntra metrum, ut mirer, hanc lectionem placere potuisse Lambino, qui etiam in obscoenum sensum male detorquebat. Vt *ciere* passim valet *clamare*, *appellare*, ita *perciere* h. l. nihil aliud est quam valde, h. e. clara voce, appellare, *per* praepositione significationem augente, velut quum dicimus haec et similia, *percolere*, *percrepare*, *perdiscere*, *perfrui*. Lucretius V, 567 sqq.: *Praeterea Edictum saepe unum perciet auris Omnibus in populo emissum praeconis ab ore.*

457. Vulg. nun mutata persona Libani: *Sceleste, non audes mihi scelesto subvenire?* in quo ne mica quidem salis. H noster utroque loco, *sceleste*, quod praeferunt etiam edd. Mediol. anni 1500, Iunt. Argent. 1514. Hac lectione visa illico me penetrabat, prius *Sceleste* tribuendum esse Leonidae, insusurranti id conservo suo pessimo, ut eo quoque convicio mercatorem percieat. Iudicet Lector aequus.

458. *Quae res?* Vox iratorum: vid. Parei lexic. Plaut. h. v. Sed non semper: cf. Mil. 1329.

459. *tibi quidem*) Ita G et H. Vulgo. *q. t*, τῷ *tibi* in thesi occultato. Terentius Phorm. 812: GE. *Vapula.* AN. *Id quidem tibi iam fiet*, etc.

461. Scripseram olim: ME. *Non is? memento.* LE. *Memini.* Male: nam Libano *Memento* dicit mercator, antestans illum, non Leo-

MERCATOR

Non is? — Memento.

LIBANVS

Memini.

MERCATOR

Dabitur pol supplicium mihi de tergo vostro.

LEONIDA

Vae te!

Tibi supplicium quidem de nobis, carnufex?

MERCATOR

Atque etiam.

Pro vostris dictis maledicis poenae pendentur mi hodie.

LEONIDA

Quid, verbero?

MERCATOR

Ain' tu?

LEONIDA

Furcifer, nosmet fugitare censes?

nidam scilicet. Respondet igitur Libanus *Memini*; sed gestu aliquo impudente irridet hospitem, neque se in ius cum secuturum esse significat. Hinc ad utrumque iam Chlamydatus, ut vocatur in libris, *Dabitur pol supplicium mihi de tergo vostro!* Nihil clarius.

462. *Vae te*) Vsitatius *Vae* adsciscit casum tertium; similiter tamen Claudius imperator apud Senecam Apocol. fere med., si locus sanus, *Vae me! concacavi me!* Langg. *Vae, vae:* G, *De te*, quae amplianda sunt. Fuit, quum reponendum arbitrarer *Valde* vel *Valide*, quod interdum affirmantis est cum irrisione: vid. Pseud. 334, 354.

463. Vulg. versu nimio: *T. q. s., carnufex, de nobis detur?* ME. *Atque et iam Pro* etc. *Detur* ab interprete profectum est. Formula *Atque etiam* (nam *etiam* fere libri vv.) vulgari potestate non est huius loci, quum nihil novi ad sententiam suam addat mercator. Sed scribendum est, ut nunc video: *Tibi supplicium quidem de nobis, carnufex?* ME. *Atque etiam. Atque* respondentis est, *etiam* affirmantis, sicut passim, quum τῷ *non* opponitur. Seorsim igitur accipienda sunt verba *Atque etiam*, non, ut vulgo fit, cum sequentibus coniungenda. G, *a. quae*, omisso *etiam*.

464. Vulgatae inconcinne, *maledictis*. Langg. *maledicis*. Tralatitius hic error: vid. nos ad Terent. Andr. prol. 7. G, *maleficis*.

465. Vulg. minus lepide, *Quid, verbero? ain' tu, furcifer?* quasi haec omnia a Leonida dicerentur. Notae

I nunc ïam ad herum!

MERCATOR

Quin vocas iamdudum?

LEONIDA

Quin volebam
Nunc demum.

MERCATOR

Tam nunquam hinc feres argenti numum, nisi me
Dare iusserit Demaenetus.

LEONIDA

Ita facito: age ambula ergo.
Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?
Tam ego homo sum, quam tu.

MERCATOR

Scilicet ita res est.

LEONIDA

Sequere hac ergo.
Praefiscini hoc nunc dixerim: nemo etiam me adcusavit
Merito meo, neque med Athenis alter hodie quisquam,
Cui credi recte aeque putent.

formulae illae Comicorum, *ain'? ain' vero? ain' tandem? siccine ais?* quae usurpantur, ubi alterius sermonem aut miramur aut contemnimus. Vid. ad Terent. Eun. 54. Fere autem in primis, non mediis, orationibus locum habent. Vulg. quoque, versu abundante, *herum nosmet f. c.?* In H omissum *censes*. Reizius, recepto Langianorum *nos* pro *nosmet*, transpositione verborum utendum esse sibi persuadebat, ut scriberetur, *fug. h. nos censes?* Sed *nosmet* gravissima vox, et ea, quam non facile ab interpolatore suffectam credas. Malae notae illud *herum*, quod sequens versus suppeditaverit. *Fugitare* absolute dictum, velut Capt. 141 legitur: *Nos fugiamus? quo fugiamus?* Reponendum igitur. LE. *Q., v.?* ME. *Ain'tu?* LE. *Furcifer, nosmet fugitare censes?*

466 sq. Vulg. sine omni gratia et lepore: *I nunc iam ad herum, quo vocas iamdudum, quo volebas.* ME. *Nunc demum? tamen nunquam* etc. G, *quin vocas*. Similis verborum lusus habetur Cas. 485 sqq. *Tam*, quod versum iuvat, pro *tamen* dixisse veteres, Festus auctor est.

472. Vulg. pravis numeris, *M. m. n. me A. est a. h. q.*

473. Vulg. *Fortassis*; sed facetius est, eodem hic semper verbo uti hominem: cf. 479, 482. Forte gemina-

MERCATOR

Fortasse; sed tamen me
Nunquam hodie induces, ut tibi credam hoc argentum ignoto.
Lupus est homo homini, non homo, quom, qualis sit, non novit.

LEONIDA

Iam nunc secundas mihi facis? scibam, huic te capitulo hodie
Facturum satis pro iniuria. Quamquam ego sum sordidatus,
Frugi tamen sum, nec potest peculium enumerari.

MERCATOR

Fortasse.

LEONIDA

Etiam nunc dico: Periphanes Rhodo mercator,
Absente hero, dives mihi talenti argentum solus
Soli adnumeravit, credidit mihi, neque in eo deceptus.

MERCATOR

Fortasse.

LEONIDA

Atque etiam tu quoque ipse, si esses percontatus
Me ex aliis, scio pol, crederes nunc, quod fers.

MERCATOR

Haud negassim.

ta esse videtur sequentis verbi litera initialis.

476. Vulg. *secunda*, τὰ δεύτερα. Sed fere *secundas*, non *secunda*, agere dicunt Latini. *Secundas facere* dixit itidem, sed loco subobscuro, Apollinaris epist. I, 2. Vidd. I. Lipsius Antiqq. Lectt. V, 13, Acidalius Diviuatt. in Asin. c. 6.

481. Vulg. inconcinne, *S. a. et mihi cred.*, *n. d. i. e.* Reizius tentabat, *S. a. credidit*, *neque est d. i. e.*, quod minime spernendum.

CLEAERETA. PHILENIVM.

CLEAERETA

Nequeon' ego ted interdictis facere mansuetam meis?
t. t. c. III, 1
An ita tu es animata, ut quae expers matris imperiis sies?

PHILENIVM

Vbi piem Pietatem, si istoc more moratam tibi
Postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis?

CLEAERETA

An decorum est advorsari meis te praeceptis quidem?
Hoccine est pietatem colere, matri imperium minuere?

PHILENIVM

Neque, quae recte faciunt, culpo; neque, quae delinquont, amo.

CLEAERETA

Satis dicacula es amatrix.

PHILENIVM

Mater, is quaestust mihi:

485. Vulg. *ut qui e. m. imperii sies. Qui* pro *Quae* usurpatum esse Plauti aevo, non probant Meursii et Lambini. Ex quo vero gemina *i* litera terminari coeperit genitivus nominum substantivorum in *ium* vel *ius* exeuntium, docuit Bentleius ad Terent. Andr. 292. Bene itaque Io. Brantius, *imperiis*, numero quoque haud paulo meliore. Ad quam faciem Lucretii V, 1004 repono: *Improba navigiis ratio tum caeca iacebat*. Vulgo ibi *navigii*, quod ab usu eius seculi abhorret.

488. Vulg. *A. d. e. a. m. t. praeceptis?* PHIL. *Quid est?* Gulielm. Quaest. in Asin. c. 6: «Langiani hic Philenii personam non interserunt: id mihi suspicionem iniecit, fortean verius scribi *A. d. e. a. m. t. praeceptis quidem? Hoccine* ..... Tralatitius error in perturbatione harum vocum *quid est* et *quidem*: apparetque sane haec omnia continuanda sub persona matris. *Quidem* ita saepe traducit Plautus. Capteiveis 791, *Vin' te faciam fortunatum?* HE. *Malim quam miserum quidem.*» Sic ille, quem sequor.

489. Vulg. *matris*, versu titubante, nisi reponas, *imperium m.*, ut factum in G Iunt. Argent., quod nolim, ne in thesi ponatur *matris*.

491. *Is quaestust mihi*, h. e, ipse

Lingua poscit, corpus quaerit, animus hortat, res monet.

CLEAERETA

Ego te volui castigare: tu mi adcusatrix ades.

PHILENIVM

Neque edepol te adcuso, neque me id facere fas existumo;
Verum ego meas queror fortunas, quom illo, quem amo, prohibeor.

CLEAERETA

Ergon' pars orationis de die dabitur mihi
Vna, aut et meam loquendi partem et tuam trado tibi,
Ad loquendum atque ad tacendum ut tute habeas portisculum?

PHILENIVM

Quin pol si reposivi remum sola ego in casteria,
Vbi quiesco, familiae omnis causa consistit tibi.

CLEAERETA

Quid ais tu, quam ego unam vidi mulierem audacissumam?

amor mihi quaestus est; praeterea nihil quaero.

492. *hortat*) Ita reponendum esse suspicabatur Acidalius. Sane prae hoc friget vulgatum *orat*, et facile fieri potuit, ut *ortat* pro *hortat* primum scriptum postea magis etiam degeneraret, quomodo *ortum* pro *hortum* praeferebant MSS. Epid. 643, et *odie* pro *hodie* ibid. 671, Pers. 279, et *aedi* pro *hoedi* Poen. prol. 31. — *Res;* quia tantum debemus Argyrippo.

496. Vulg. *Ergo una pars — mihi*, quo recepto haberemus unicum iambum inter trochaeos, quod haud committendum. V. C. *Egona pars*.

497 sq. Insulse libri: PH. *Et meam partem loquendi et tuam trado tibi. Ad loquendum atque ad tacendum tute habeas portisculum. Quin pol.* etc. Ista tam obnoxia *Et meam — portisculum*, et quae sequuntur audacissima *Quin pol — tibi* ut ab eadem persona pronuntientur? Non ego credulus, sed priora Cleaeretae sunt per irrisionem dicta, posteriora Philenii, amara matris ironia offensae. Excidit vero *aut* 497 et *ut* sequente versu, quod quam facile fieri potuerit, unusquisque, opinor, videt. De forma loquendi cf. Rud. 1026.

499. G, *deposui*.

Quotiens te vetui Argyrippum, filium Demaeneti,
Conpellare aut contrectare, conloquive aut contui?
Quid dedit? quid deportari iussit ad nos? an tibi
Verba blanda esse aurum rere? dicta docta pro datis?
Vltro amas, ultro expetessis, ultro ad te arcessi iubes.
Illos, qui dant, eos derides; qui deludunt, deperis.
An te id exspectare oportet, si quis promittat tibi,
Te facturum divitem, si mater moriatur sua?
Ecastor periclum magnum familiae portenditur,
Dum eius exspectamus mortem, ne nos moriamur fame.
Nunc adeo nisi huc mihi argenti adfert viginti minas,
Nae ille ecastor hinc trudetur largus lacrumarum foras.
Hic dies summa est apud med inopiae excusatio.

PHILENIVM

Patiar, si cibo carere me iubeas, mater mea.

CLEAERETA

Non veto te amare, qui dant, quad amentur gratia.

PHILENIVM

Quid, si hic animus occupatust, mater, quid faciam? mone.

CLEAERETA

Hem,
Meum caput contemples, si quidem ex re consutas tua.

PHILENIVM

Etiam opilio, qui pascit, mater, alienas oves,
Aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam:
Sine me amare unum Argyrippum animi caussa, quem volo.

502. *Quotiens*) Ita Langg. G H, prisce. Vulg. *quoties*.
508. *te id*) Langg. *ted*, fortasse verius.
510. Vulg. ex interpretatione, versu quidem nimio, *E. nobis p. m. et fam. p.*
514. MSS. fere *sume* vel *summa est*, unus Palat. *summust*, uti et Iunt. Sequor Gronov., qui confert Pers. 33.

CLEAERETA

Intro abi: nam te quidem edepol nihil est impudentius.

PHILENIVM

Audientem dicto, mater, produxisti filiam.

LEONIDA. LIBANVS.

LEONIDA

Perfidiae laudes gratiasque habemus merito magnas,
i. t. c. III, 2
Quom nostris sycophantiis, dolis astutiisque,
Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti,
Advorsum stimulos, laminas crucesque compedesque,
Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias,
Inductoresque acerrumos gnarosque nostri tergi,
(Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt)
Eas tunc legiones, copias, exercitusque forum

527. Vulg. *Qui advorsum* etc. Sed *qui* alienum est, quidquid moliatur Gronovius, putoque forte scriptum inter tot verba cum *que* coniuncta *fretique* pro *freti*, quomodo Aul. 98 *peiorque* pro *peior* legitur in G M, et hoc ipso versu *laminasque* pro *laminas* in H et M, locum dedisse depravationi. Abest autem vocula Iunt. Arg., probantibus Meursio Exercc. critt. I, 1 e Acidalio Divinat. pag. 53.

529. MSS. fere *Indoctoresque*, quod nihili. Lang. *Inductoresque*, quod aptissimum est sensu, quo vel tectorio paries, vel auro argentove aliquid inducitur, ut bene Gronovius. Et huc pertinent glossatoris ista (nam glossatoris esse, vel numeri produnt) vs. sequente, quem uncinis inclusi, *Qui saepe ante in nostras scapulas cicatrices indiderunt*, quod nihil aliud est quam tergum inducere potestate illa, quam dixi, eiusque gnaros esse, utpote quod saepe sic induxerint.

530. Vulg. *Eae* (vel *He*, *Hae*, *Hehe*, ut MS. Barth., *He me*, ut M) *n. l. copiae* etc., quod itidem male defensum ibat Gronovius, quem vide, si tanti est. Nos audimus Iunt. Argent. et, quod maximum est, rationem. *Forum*, φώρων, non *eorum*, ut v. legitur, omnes propemodum MSS., etiam nostri, nisi quod G, *exercitus furumque*, ut Gudianus apud Gronov. ad 525; ad quam faciem, suadente agnominatione, *forinum est forum* scripsi Pseud. 785. *Fur* commune convicium: vid. Parei lexic. Plaut. h. v., Terent. Eun. 720. De permutatione *F* et *E* literarum dico ad Cas. 245.

Vi, pugnando *ac* periuriis nostris, euoe! potiti.
Virtute id huius conlegae est meaque comitate
Factum.

LIBANVS

Qui me vir fortior ad subferendas plagas?

LEONIDA

Edepol virtutes qui tuas nunc possit conlaudare,
Sicut ego possum, quae domi duellique male fecisti?
Nae illa edepol pro merito tuo memorari multa possunt:
Fidentem ubi fraudaveris; ubi hero infidelis fueris;
Vbi verbis conceptis sciens lubenter periuraris;
Vbi parietes perfoderis; in furto ubi sis prehensus;
Vbi saepe causam dixeris pendens advorsus octo
Astutos, audacis viros, valentis virgatores.

LIBANVS

Fateor, profecto, ut praedicas, Leonida, esse vera;
Verum edepol nae etiam tua quoque malefacta iterari multa,
Et vero, possunt: ubi sciens fideli infidus fueris:
Vbi prensus in furto sies manufesto verberatus;
Vbi periuraris; ubi sacro manus sis admolitus;
Vbi heris damno et molestiae et dedecori saepe fueris;
Vbi, creditum quod sit, tibi datum esse pernegaris;
Vbi amicae, quam amico tuo, fueris magis infidelis;
Vbi saepe ad languorem tua duritia dederis octo

531. Vulg. *Vi pugnandó periuriis nostris eugé potiti.* Quae satis est indicasse. V. C. *Eug. ae.*

533. Vulg. *fortior est a. s. p.*, invitis plerisque MSS. et versu: vid. ad Amph. 889.

535. Vulg. frigidiuscule quidem, *possim.* Expressi Langg. G M.

536. Vulg. *N. i. e. p. m. nunc t. m. m. p.*, improbante etiam olim Reizio.

541. *Astutos.* G, *Assuetos.*

545. Vulg. ex interpretat. . . . *sies ea m. v.* Monet versus.

547. Vulg. *Vbi heris damno, mol.* etc.

548. Vulg. pravis numeris abnuentibusque MSS. Pall. 1, 2, 6, Langg. G et Mediol. anni 1500, *V. c. tibi quod sit, tibi d. e. p.* Posterius *tibi* abest H, M.

550. *Dare ad languorem, dare ad mortem* (Amph. 644) impróprie di-

Validos lictores, ulmeis adfectus lentis virgis.
Num male relata est gratia? ut conlegam conlaudavi?

LEONIDA

Vt meque teque maxume atque ingenio nostro decuit.

LIBANVS

Iam omitte ista, atque hoc, quod rogo, responde.

LEONIDA

Rogita quidvis.

LIBANVS

Argenti viginti minas habesne tu?

LEONIDA

Hariolare.
Edepol senem Demaenetum lepidum fuisse nobis!
Vt adsimulabat, Sauream med esse, quam facete!
Nimis aegre risum continid, ubi hospitem inclamavit,
Quod sese absente mihi fidem habere noluisset.
Vt memoriter me Sauream vocabat atriensem!

LIBANVS

Manedum.

LEONIDA

Quid est?

LIBANVS

Philenium estne haec, quae intus exit, atque
Vna Argyrippus?

LEONIDA

Opprime os! est: clam subauscultemus.

cnutur, ut haec et similia proprie: *dare ad pistores* (infra 685) *dare ad terram* (Capt. 729). Terentius Heaut. 754 sq., *Vel me haec deambulatio Quam non laboriosa! ad languorem dedit.*

551. *Adfectus*) Ita Bosius, recte. Vulg. *affectos*, ut passim *u* et *o* inter se permutantur. G, *lectis.*

554. Vulg. *quod vis.* Auctores habeo G H: conf. Amphit. 543.

555. Vulg. abest *tu* non sine detrimento versus. Praebuit Argent.

558. Vulg. turbatis numeris, *N. a. r. continui, u. h. i.* Dedi *contini*, quomodo haec et similia *tetinerim*, *tetinerit*, *tetinisse*, *attini* leguntur apud priscos: vid. Non. Mercer. p. 178, Meurs. Exercc. critt. p. 166.

562. Libri fere, ... *os. is etiam*

LIBANVS

Lacrumantem lacinia tenet lacrumans. Quidnam esse dicam?

LEONIDA

Tacite auscultemus.

LIBANVS

Attate, modo hercle in mentem venit:
Nimis vellem habere perticam.

LEONIDA

Quoi re?

LIBANVS

Quî verberarem
Asinos, si forte occeperint clamare hinc ex crumena.

ARGYRIPPVS. PHILENIVM. LIBANVS. LEONIDA.

ARGYRIPPVS

Cur me retentas?

PHILENIVM

Quia tuid amans abeuntis egeo. i. t.c. III, 3.

ARGYRIPPVS

Vale!

PHILENIVM

Ah, aliquantod amplius valerem, si hic maneres.

ARGYRIPPVS

Salve!

PHILENIVM

Salvere me iubes, quoi tu abiens adfers morbum?

s. versu nihili. Ortum *is etiam* ex *est-clam*: vid. Gruteri Suspicc. III, 7. *Clam subauscultemus*, ut mox *Tacite auscultemus.*

568. Vulg. AR. *Vale.* PH. *Aliquanto a.* ect. Sed Pal. 1 et M, *aih quanto*; Pal. 5, *ha q.*; Meursii vetus codex, item Iunt. Ald. Parm., *ah quanto. Ah* videtur interceptum ab *al* sequente.

569. V. C. Pal. 3, Langg. G, *offers.*

ARGYRIPPVS

Mater supremum tua mihi dixit: domum ire iussit.

PHILENIVM

Acerbum funus filiae faciet, si te carendum est.

LIBANVS

Homo hercle hinc exclusust foras.

LEONIDA

Ita res est.

ARGYRIPPVS

Mitte, quaeso.

PHILENIVM

Quo nunc abis? quin tu hic manes?

ARGYRIPPVS

Nox si voles, manebo.

LIBANVS

Audin' hunc, opera ut largus est nocturna? nunc enim inter-
dius negotiosus est (videlicet Solonem),
Leges ut conscribat, quibus se populus teneat — gerrae.
Qui sese parere adparent huius legibus, profecto
Nunquam bonae frugi sient, dies noctisque potent.

LEONIDA

Nae iste hercle ab ista non pedem discedat, si licessit,
Qui nunc festinat, atque ab hac minatur sese abire.

LIBANVS

Sermoni iam finem face tuo: huius sermonem accipiam.

ARGYRIPPVS

Vale!

PHILENIVM

Quo properas?

ARGYRIPPVS

Bene valed! apud Orcum te videbo:

573. Langg. *Q. n. a.? oho quin* etc. Non spreverim, *Q. n. a.? eho, quin manes?* Et sic fortasse Plautus in posteriore aliqua fabulae recensione.

Nam equidem me iam, quantum potest, a vita abiudicabo.

PHILENIVM

Cur tu, obsecro, inmerito meo me morti dedere optas?

ARGYRIPPVS

Ego te, quam si intellegam deficere vita, iam ipse
Vitam meam tibi largiar, et de mea ad tuam addam?

PHILENIVM

Cur ergo minitaris tibi, te vitam esse amissurum?
Nam quid me facturam putas, si istuc, quod dicis, faxis?
Mihi certum est ecficere omnia in me eadem, quae tu in te faxis.

ARGYRIPPVS

O melle dulci dulcior mihi tu es!

PHILENIVM

Certe enim tu vita es!

Conplectere.

ARGYRIPPVS

At facio lubens.

PHILENIVM

Vtinam sic ecferamur!

LEONIDA

O Libane, ut miser homo est, qui amat!

LIBANVS

Quid amat? Imo hercle vero

Caeterum libri, *mox*, corrigente Lipsio Antiqq. Lectt. II, 7, prout sequentia requirunt.

590 sq. Vulg. . . . . . *vita es Mihi. compl.* AR. *facio lubens* etc. *Mihi* numeris haud convenit. *At*, quod addidi, quum elegans eius usus sit in responsionibus, firmiorem reddit versum, qui vulgo debilioribus pedibus incedit. Offecerit particulae similis, quae antecedit, nota personae.

592. Vulg. semel legitur *Qui amat*, versu imperfecto. *Quid* pro *Qui* scriptum ex usu vetusti illius seculi: vid. ad Amph. prol. 149. Potest tamen etiam produci τοῦ *amat* secundo loco positi posterior syllaba, de quo loco egi ad Amph. 483. Camerarius τὸ *Libane* geminabat.

Qui pendet, multo est miserior.

LEONIDA

Scio, qui periclum feci.

LIBANVS

Circumsistamus; alter hinc, hinc alter adpellemus.
Here, salve! Sed num fumus est haec mulier, quam amplexare?

ARGYRIPPVS

Quidum?

LIBANVS

Quia oculi sunt tibi lacrumantes, eo rogavi.

ARGYRIPPVS

Patronus qui vobis fuit futurus, perdidistis.

LIBANVS

Equidem hercle nullum perdidid, eo, quia nunquam ullum habui.

LEONIDA

Philenium, salve!

PHILENIVM

Dabunt dî, quae velitis, vobis!

LEONIDA

Noctem tuam et vini cadum velim, si optata fiant.

ARGYRIPPVS

Verbum cave faxis, verbero!

LEONIDA

Tibi equidem, non mihi, opto.

ARGYRIPPVS

Tum tu igitur loquere, quod lubet.

593. H, *scio, quia p. f.*

598. Vulg. *E. h. n. perdidi ideo, quia* etc., ubi pyrrhichius quarti pedis duabus vocibus dividitur, quod inauditum. Ortum *perdidi ideo* ex *perdidid eo*, quod cuiusvis erat animadvertisse.

602. G, *quidlubet*, quod non deterius.

LEONIDA

Hunc hercle verberare.

LIBANVS

Quisnam istuc adcredat tibi, cinaede calamistrate?
Tun' verberes, qui pro cibo ted habeas verberari?

ARGYRIPPVS

Vt vostrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe!

LIBANVS

Quid?

ARGYRIPPVS

Hodie nunquam ad vesperum vivam!

LIBANVS

Quapropter, quaeso?

ARGYRIPPVS

Quia ego hanc amo, et med haec amat; huic quod dem, nusquam quidquam est:
Hinc med amantem ex aedibus delegit huius mater.
Argenti viginti minae me ad mortem adpulerunt,
Quas hodie adulescens Diabolus ipsi daturus dixit,
Vt hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se, hunc annum totum.
Videtin', viginti minae quid pollent, quidve possunt?
Ille, qui illas perdit, salvos est; ego, qui non perdo, pereo.

LIBANVS

Iam dedit argentum?

ARGYRIPPVS

Non dedit.

605 sq. Vulg. . . . . *longe, qui hodie* etc. corrupto numero, nisi reponas *Quid*, quod durius. *Quid*, Libano tributum, valet *Qui*, *Quomodo*, sicut Aul. 329.

607. Vulg. *Q. e. h. a. e. haec me amat: huic quod ego dem, n. q. e.*, versu horridiore. *Ego* abest Langg. 3 nostris et plerisque vv. edd.

608. Libri fere, *me clamantem*, proclivi lapsu. Cf. 660.

613. Langg. *perii*.

LIBANVS

Bono animo es, ne formida.

LEONIDA

Secede huc, Libane: te volo.

LIBANVS

Si quid vis.

ARGYRIPPVS

Obsecro vos,
Eadem istaec opera suaviust conplexos fabulari.

LIBANVS

Non omnia eadem aeque omnibus, here, suavia esse scito.
Vobis est suave amantibus conplexos fabulari;
Ego conplexum huius nil moror; meum autem hic adspernatur.
Proinde istuc facias ipse, quod faciamus nobis, suades.

ARGYRIPPVS

Ego vero, et quidem edepol lubens. Interea, si videtur,
Concedite istuc.

LEONIDA

Vin' herum deludi?

LIBANVS

Dignust sane.

LEONIDA

Vin' faciam, ut me Philenium praesente hoc amplexetur?

615. *Si quid vis*) Formula homini, qui rem nobiscum agere se velle significavit, honeste respondentis. Cf. Aul. 116, Epid. 435, Trin. 483.

616. Capita contulerant servi, seorsim collocuturi. Hinc iocus adolescentis, Philenium complexi, quasi itidem illi se amarent.

619. Vulg. *meum autem haec aspernatur*, et Leonidae fere haec tribuunt scripti atque edd. recentiores; sed H verba *E. c. h. n. m.* Argyrippo assignat, sequentia huius versus Libano. In edd. vv. nulla personarum distinctio comparet, et Iunt. Argent. Ald. Camerar. etc. *hic*, non *haec* (quod ex *heic* ortum fuerit); utrumque recte, quidquid obloquantur.

LIBANVS

Cupio hercle.

LEONIDA

Sequere hac.

ARGYRIPPVS

Ecquid est salutis? satis locuti?

LEONIDA

Auscultate, atque operam date, et mea dicta devorate.
Primum omnium, servos tuos nos esse, non negamus;
Sed si tibi argenti minae viginti proferentur,
Quo nos vocabis nomine?

ARGYRIPPVS

Libertos.

LEONIDA

Non patronos?

ARGYRIPPVS

Id potius.

LEONIDA

Viginti minaed hic insunt in crumena;
Has ego, si vis, tibi dabo.

ARGYRIPPVS

Dî te servassint semper,
Custos herilis, decus popli, thesaurus copiarum,
Salus interior corporis, amorisque imperator!

632. Pessime vulgatae, unum illae V. C. secutae, qui minus castigatus erat libro Camerarii decurtato, et editioni principi fere ubique posthabendus, teste Taubmanno ad Mercat. 408, Amph. 192, Bacch. 911: *S. interioris hominis a. i.*, qualem huius generis versum in toto Planto non invenias. Contra Pall., G H M, item vv. edd. et mediae, in his Iunt. Ald. *S. interioris corporis*, cuius glossema est istud veteris codicis *S. interioris hominis*. Scribendum vero numerorum causa, *interior*. Quod *τὸ corporis* insulsum vocat Taubmannus, non meminit locorum notissimorum, quales sunt Ovidii Met. III, 58; Virgilii Aen. II, 18, VI, 22 etc. Neque propterea contemnendi libri, quod scripturae sunt recentissimae, quales fuisse 6 Palatinos ait Taubmannus ad Amph. l. l.; sed ipsa lectionum exploranda est bonitas et fides, quibus quidem nullis aliis adhuc inspectis

Hic pone, hic istam conloca crumenam in collo plane!

LEONIDA

Nolo ego te, qui herus mihi sies, onus istuc sustinere.

ARGYRIPPVS

Quin tu labore liberas te, atque istam inponis in me?

LEONIDA

Ego baiulabo; tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.

ARGYRIPPVS

Quid nunc? quid est? quin tradis huc crumenam pressatum aerum?

concedunt isti libri et mei 3, in his simillimus hac ex parte Palatinis codex H.

634. Vulg. *sis mihi*, versu hiante. H, *sies*.

637. Vulg. *Q. n.? q. e.? q. t. h. c. pressatum* (aliquot Pall. et 3 nostri, *impressatum*) *herum*, satis inficeta nec probis numeris. Paulo melius Lang.: *pressatam aere* vel *aere*. Gruterus Suspicc. IV, 8: *praegnatem aere*, minime quidem male, sed iusto audacius, quem tamen in excudenda fabula sum secutus, ut aliquid certe haberent lectores, quod probabiliter explicari posset: nam quae alii commenti sunt, *aere pressatam*, hoc est effertam nummis et distentam, vel *aere impressatam*, h. est aere gravidam, vel *pressatum herum*, sicut vulgo, pro *pressantem herum*, vel denique *crumina herum pressandum*, quis probet? Quibus omnibus reiectis, et ab ipso etiam Grutero seorsim sentiens iam repono: *Quid nunc? quid est? quin tradis huc crumenam pressatum aerum?* — *Crumenam aerum*, h. e. crumenam aeribus plenam, per pleonasmum, quum satis esset *crumenam* dixisse, quomodo leguntur haec et similia, *cadus vini*, *olla pultis*, *puer boni ingenii*; verbo *pressatum* vero accepto pro supino, ut Argyrippus quaerat, cur non tradatur sibi *crumena pressanda*, h. e. digitis tentanda, an plena sit aeris, necne. Locus gemellus est Pers. 309 sq., ubi Toxilus, crumenam de collo Sagaristionis pendentem videns manumque ad eam tendens: *Quid hoc huc in collo tibi tumet?* Ad quae Sagaristio: *Vomica est: pressare parce: Nam ubi qui mala tetigit manu, dolores cooriuntur.* Pluralem τοῦ *aes* pro singulari usitatiore itidem usurpavit, alios ut taceam, Horatius in noto illo loco Epist. I, 7, 22 seqq.: *Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus, Nec tamen ignorat, quid distent aera lupinis.* Genitivum *aerum* ne quis miretur, facit Priscianus, qui sic Grammaticc. Putsch. p. 744: «*Maria*, *aera*, *vina*, *mella*, *hordea*, genitivos quidem et dativos plurales in usu raro habent, nisi apud vetustissimos, apud quos multa praeterea deficientia invenies.» *Aerum* etiam I. Scaligero in mentem venisse, ex Taubmanni ad h. l. annotatione intelligo, et huc ducit veteris lectio codicis,

LEONIDA

Hanc, quoi daturus hanc, iube petere atque orare mecum:
Nam istuc proclive est, quod iubes, me plane conlocare.

PHILENIVM

Da, meus ocellus, mea rosa! da, mi anime, mea voluptas,
Leonida, argentum mihi! ne nos deiunge amantis!

LEONIDA

Dic igitur tuom passerculum, gallinam, coturnicem!
Agnellum, hoedillum, me tuom dic esse, vel vitellum!
Prehende auriculis! conpara labella cum labellis!

ARGYRIPPVS

Ten' osculetur, verbero?

LEONIDA

Quam vero indignum visum est?
Atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.

ARGYRIPPVS

Quidvis egestas imperat: fricentur.

PHILENIVM

Dane quod oro!
Age, mi Leonida, obsecro, fer amanti hero salutem!

pressatum erum, quamquam nec vulgatorum multum divertit: vid. supra ad 24.

640. Vulg. *D. m. o., m. r., mi an., da m. v.* Sed posterius *da* libris abest, nisi quod H sequente versu, *Leonida, argentum da mihi*, ad quem locum τὸ *da* ea antecedentibus videtur aberrasse.

642. Vulg. *D. i me t. p.*, versu impingente. Facile *me* intelligitur; nec tamen improbarim, *Dic me igitur t. p.*

646. Langg. *At pol non feres, quin g. confringantur. Confringantur* etiam V. C. a m. 1. Pal. 1, *confrincantur.* Pall. 5, 6, et ex emendatione 3, *confricentur.*

647. Vulg. inconcinne, *Da nunc quod oro.* V. C. *dant*, unde Gruterus faciebat, *dane quod oro!* pro *dasne.* Sed reponendum potius, *dane* (pro *da*, ab antiquo *danere*) *q. o.* *Dane* degeneravit in *dant*, *danc*, *danc*, h. *da nunc.* Mirum quantum, in compendiis saepe verborum offenderint librarii, velut etiam apud Festum v. *Oratores* circa ista *qui cit acte* frustra trepidat Daccrius, quae

Redime istoc benefacto te ab hoc, et tibi eme hunc isto argento!

LEONIDA

Nimis bella es atque amabilis; et si hoc meum esset, hodie
Nunquam me orares, quin darem. Illunc te orare, meliust:
Ille hanc mihi servandam dedit. I sane, bella, belle! —
Cape hoc sis, Libane!

ARGYRIPPVS

Furcifer, etiamne delusisti?

LEONIDA

Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares. —
Age sis tu in partem nunc iam hunc delude, atque amplexare hanc.

LIBANVS

Taceas! me spectes!

ARGYRIPPVS

Quin ad hunc, Philenium, adgredimur,
Virum quidem pol optumum, et non similem furis huius?

LIBANVS

Inambulandum est. Nunc mihi vicissim supplicabunt.

ARGYRIPPVS

Quaeso hercle, Libane, sis herum tuis factis sospitari,
Da mi istas viginti minas: vides me amantem egere.

scripta olim puto per compendia *qd ēet actū*, h. e. *quid esset actum*. Vide etiam ad Aul. 16.

649. Vulg. *beneficio*; sed M, *benefacio*, h. e. *benefacto*. Hoc accipiam, ne dactylum sequatur anapaestus, quod invenustum, etsi talia nonnumquam sibi indulsit Sarsinas, velut supra 21, Aul. prol. 20, Capt. 41.

653. Vulg. *etiam me d.*, minus recte, siquidem non Argyrippum tantummodo, sed Philenium quoque, delusit servulus.

LIBANVS

Videbitur; factum volo; redito huc conticinio.
Nunc istanc tantisper iube petere atque orare mecum.

PHILENIVM

Amandone exorarier te vis, an osculando?

LIBANVS

Enimvero utrumque.

PHILENIVM

Ergo obsecro te, utrumque nostrum serva!

ARGYRIPPVS

O Libane, mihi, patrone mi, trade istuc!

LIBANVS

Mage decorum est,
Libertum potius, quam patronum, onus in via portare.

PHILENIVM

Mi Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris,
Amabo, faciam, quod voles: da istuc argentum nobis!

LIBANVS

Dic igitur me tuam anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.
Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam.
Circumdato me brachiis: meum collum circumplecte.

ARGYRIPPVS

Ten' conplectatur, carnufex?

662. Libri fere, *iubes*, unde Gulielmius Quaest. in Asin. c. 7 fecit *iube sis*, perperam in quartum locum iambi t. c. invecto anapaesto: vid. ad Amph. 889. Hoc tamen, tanquam certissimum, arripuerunt seriores. Sequor edd. medias, in his Iunt.

669. Vulg. imperfecto numero, *D. i. me anat.* Aliqui Langg.: *D. i. me tuam niticulam.*

672. Vulg. *Circumdatoque me b.*, laborante versu. Langianis aberat *me*, quod probarem equidem, nisi amplius quid adderetur simile iam dictorum, ex quo intelligas, non pro-

LIBANVS

Quam vero indignus videor?
Ne istuc nequidquam dixeris in me tam indignum dictum:
Vehes pol me hodie, si quidem hoc argentum ferre speres.

ARGYRIPPVS

Ten' ego veham?

LIBANVS

Tun' hoc feras argentum hinc aliter a me?

ARGYRIPPVS

Perii hercle! Sive herum quidem est decorum vehere servom,
Inscende.

LIBANVS

Sic isti solent superbi subdomari.
Adsta igitur, ut consuetus es puer olim. — Scin', ut dicam? —

nomen esse obliterandum, sed copulam. Atqui clare Iunt. Argent. Ald.: *Circumdato me b.*

677 Vulg. versu hypermetro atque inconcinno, *P. h. si verum quidem est* (*est* omittunt scripti) *dec. herum vehere servum.* Addideram *Sed*, absorptum id ratus a simili, quod sequitur, *si*, quomodo supra 627 *sed* aberat Pall., *si* Langianus; et *herum* mutatum esse in *verum* quum satis verisimile videretur, τῷ *herum* expuncto, scripseram olim, *P. h.! Sed si herum q. e. d. v. s.* Sed nunc video, potius reponendum esse, itidem deleto verbo *herum*: *Perii hercle! Sive herum quidem est decorum vehere servom, Inscende.* Argyrippus quum se periisse dicit, dolet vicem suam, seque indignum esse a servo sic inequitari significat; sed statim apud se reputans, haec tantilla ignominia quantum sibi boni sit allatura, recipit animum sedateque addit, *Sive* (h. e. *Vel si*) *decorum est, herum vehere servom, inscende!* Similiter Terentius Andr. 162: *Dehinc postulo, sive aequom est, te oro, Dave, ut redeat iam in viam*, de quo loco vid. Horatius Tursell. De Particc. v. *Sive.* Facile ex *siveerum* continue scripto exstitit *siverum*, mox *si verum.* Posterius *erum* (nam sic libri vv., non *herum*) ortum videtur ex *-orum*, quod antecedit. Caeterum post *Perii* quidam ista inserunt, quae tanquam Casinae laudat Nonius v. *Deflocare*: *Perii, illic habebit flocco ium homo lumbos meos.*

679. *Sc., ut d.*) Langg. *stabin', ut dico?*

Hem, sic! abi: laudo, nec te equo est equos mage ullus sapiens.

ARGYRIPPVS

Inscende actutum!

LIBANVS

Ego fecero. — Hem, quid istuc? ut tu incedis?
Demam hercle iam tuo de ordeo, tolutim ni badizas!

ARGYRIPPVS

Amabo, Libane, iam satist!

LIBANVS

Nunquam hercle hodie exorabis:
Namiam calcari quadrupedem agitabo advorsum clivom;
Postidea ad pistores dabod, ut ibi cruciere currens.
Adsta, ut descendam nunc iam in proclivi, quamquam nequam es.

ARGYRIPPVS

Quid nunc? quoniam ambo, amabo, nos, ut lubitum est, delusistis,
Datisne argentum?

680. V. C. et Pall., teste Pareo, *H. s. age*, minus quidem bene. Donatus ad Terentii Ad. 538, *Abi* addidit, quasi dicat, *Non est, quod iam te morer: perfectus es*. Cf. Trin. 796, Terentii Adelph. 739.

682. Vulg. *D. h. i. de ordeo, tol. n. b.*, hiante versu. Pal. 4 et H, *de ordeo tuo*, quibus libens obtemperavi.

684. H, *cliuon*; vulg. *clivum*.

685. Vulg. inconcinne, *Postea*.

687. Vulg. *Quid nunc? quoniam ambo, ut est libitum, nos ambo delusistis*, sententia inepta, versu horrido. Atqui V. C. et Pall. 1, 3, 6, a m. 1, item M noster, *Q. n. q. amobo* etc. Alterum *ombo* neque in V. C. et Pall. conspiciebatur, et abest edd. Mediol. anni 1500, Iunt. Arg. 1514, aliis, ut etiam MS. H. Membranae Langg. *Q. n.? quom* (solitus hic error in compendio) *delusistis nos, ut est lubitum. Amabo, datis argentum?* Intelligere mihi videbar, et *ambo* et *amabo* Plauti esse, quum praesertim blandimentum illud *Amabo* tam comici usus esset, quam quod maxime, sententiaeque apprime conveniret. Cf. 668, 683. Est autem transpositum, quum illo potius pertineret, ubi ponunt, sed ex correctione, ut opinor, Langg. quam figuram frequentasse Hunc al Afrum, docui ad Ampl. 378.

LIBANVS

Si quidem mihi statuam et aram statuis,
Atque, ut deo, mi hic inmolas bovem: nam ego tibi
Salus sum.

LEONIDA

Etiam tu, here, istum abs te amoves, ac me vicissim
adgredere,
Atque illa, sibi quae hic iusserat, mihi statuis, supplicasque?

ARGYRIPPVS

Quem te autem divom nominem?

LEONIDA

Fortunam, atque Obsequentem.

ARGYRIPPVS

Iam istoc es melior.

LIBANVS

An quid olim homini est salute melius?

ARGYRIPPVS

Licet laudem Fortunam, tamen, ut ne Salutem culpem.

PHILENIVM

Ecastor ambae sunt bonae.

ARGYRIPPVS

Sciam, ubi boni quid dederint.

Nam gravitatis plenum istud *Ambo* omittere cum Langianis, ut reponatur, vel non eliso *lubitum*, vel rescripto *uti* pro *ut*: *Quid nunc? quom delusistis nos, ut lubitum est amabo, Datisne argentum?* parum placet. Neque, prae hisce solis libris caeteros omnes contemnens, reposuerim, mutato verborum ordine, qui est in vulgatis, *Quid nunc? quom delusistis ambo, ut lubitum est, nos, amabo, Datisne argentum?* Sed de his iudicent peritiores.

690. Vulgo, *E. t. h. i. a. a. t. atque ipse me aggredire.* Sed τοῦ *ipse* nulla hic emphasis, ac ne usus quidem ullus, ut recte observat Acidalius Div. pag. 58; nec multo utilius, quod ipsi in mentem veniebat, *ipsum*. Forte exaratum *atqueuicipsim* pro *atque uicissim*, quomodo *substinere tempto* et similia leguntur in scriptis, ansam corruptionis praebuisse arbitror. Certe *vicissim* loco aptissimum: cf. 698. MSS. *aggredere*.

692. Vulg. inconcinne, *deum*. Trans-

LEONIDA

Opta id, quod contingat tibi vis.

ARGYRIPPVS

Quid, si optaro?

LEONIDA

Eveniet.

ARGYRIPPVS

Opto annum hunc perpetuom mihi huius operas.

LEONIDA

Inpetrasti.

ARGYRIPPVS

Ain' vero?

LEONIDA

Certe, inquam.

LIBANVS

Ad me adi vicissim, atque experire.
Exopta id, quod vis maxume tibi evenire: fiet.

ARGYRIPPVS

Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, quoius inopia est,
Viginti argenti commodas minas, huius quas dem matri?

LIBANVS

Dabuntur. Animo sis bono face: exoptata obtingent.

ARGYRIPPVS

Vt consuevere homines, Salus frustratur et Fortuna.

LEONIDA

Ego huiic argento caput fui hodie reperiundo.

LIBANVS

Ego pes fui.

positio *nominem deum*, quae est in G et edd. Argent. Camerar., correctorem sapit.

696. Vulgo versu impingente, *O. i. q. ut c. t. v.*

703. *Vt consuevere homines*) In-

ARGYRIPPVS

Quin nec caput nec pes sermonum adparet;
Nec, quid dicatis, nec, me cur ludatis, scire possum.

LIBANVS

Satis iam delusum censeo: nunc rem, ut est, eloquamur.
Animum, Argyrippe, advorte sis. Pater nos ferre iussit
Hoc argentum ad te.

ARGYRIPPVS

Vt tempore opportuneque attulistis!

LIBANVS

Hic inerunt viginti minae bonae, mala opera partae:
Has tibi nos pactis legibus dare iussit.

ARGYRIPPVS

Quid id est, quaeso?

LIBANVS

Noctem huius et coenam ut sibi dares.

ARGYRIPPVS

Iube advenire.
Meritissumo eius, quae volet, faciemus, qui hosce amores
Nostros dispulsos conpulit.

LEONIDA

Patieris, Argyrippe,
Patrem hanc amplexari tuom?

ARGYRIPPVS

Haec faciet, facile ut patiar,
Leonida. Curre, obsecro: patrem huc orato ut veniat.

LIBANVS

Iamdudum est intus.

ARGYRIPPVS

Hac quidem ne venit.

telli ge *frustrari*. Minus recte vulgatae: *Vt consuevere, homines S. f. e. F.* Seqnor M.

708. *rem* non liquescit: vid. ad Amph. 149.

712. Vulgo, *I. advenire, quaeso,* versu nimio. Aberrasse videtur *quaeso* a fine praecedentis.

717. *ne*) Ita H, antique. Vulgo, *non*. Vid. Parei lexic. Plaut. v. *Ne*.

LIBANVS

Angiporto
Illac per hortum circumit clam, ne quis se videret
Huc ire familiarium: ne uxor resciscat, metuit.
De argento si mater tua sciat factum ut sit . . . .

ARGYRIPPVS

Heia,
Benedicito!

LIBANVS

Ite intro cito!

LEONIDA

Valete et vos amate!

DIABOLVS. PARASITVS.

DIABOLVS

Agedum, istum ostende, quem conscripsti, syngraphum i s. III, 4.
Inter me et amicam et lenam. Leges perlege.
Nam tu poëta es prorsus ad eam rem unicus.

PARASITVS

Horrescet faxo lena, leges quom audiet.

DIABOLVS

Age quaeso, mi hercle, translege!

PARASITVS

Audin'?

720 seq. Vulgo, *Heia, Benedicite. ite intro cito. valete.* LE. *et vos amate.* G, *Benedicito*, recte: si quidem solus Libanus male ominatus erat. Nota personae abest H. Nulla autem causa erat, cur cito introirent servi, erat, cur Argyrippus et Philenium, quippe sene iamdudum eos intus apud Cleaeretam expectante. Codicum scripturae in hisce parva est auctoritas.

726. *Hercle* transpositum est. Vid. ad Amph. 378. Hoc non adverterunt mutatores.

DIABOLVS

Audio.

PARASITVS

Diabolus Glauci filius Cleaeretae
Lenae dedit dono argenti viginti minas,
Philenium ut secum esset noctis et dies
Hunc annum totum.

DIABOLVS

Neque cum quiquam alio quidem.

PARASITVS

Addone id?

DIABOLVS

Adde; et scribas vide plane et probe.

PARASITVS

Alienum hominem intromittat neminem.
Quod illa aut amicum aut patronum . . . .

DIABOLVS

Neminem.

PARASITVS

Aut quod illa amicae suae amatorem praedicet:
Fores occlusaed omnibus sint, nisi tibi;
In foribus scribat: Occupatam esse se.

731. Tò *id* abest vulgatis. Numeri eiusmodi quid sibi postulant, nisi haec ita velis dimetiri, acutis trium vocum extremis syllabis, contra ac fert ingenium latinae linguae, docente Bentleio Sched. de Metr. Terent. c. 9: *Addone? — Adde, et scribás vidé plane et probé.* Quod *vide* posteriorem syllabam corripit, audiendus idem vir doctus ibid. c. 8: « *Abi, domi, redi, dari, roga, iube, tace, vide*, et siqua id genus alia quae ultimam brevem habent, vix est ut *licenter* dicas, sed legitime corripi, quum veteres Epici idem ius usurpaverint. » Bene, nisi quod posteriores vocales in *domi* et *dari* similibusque corripiendas putat potius quam elidendas priores, de quo loco egi ad Amph. prol. 74.

732. Non liquescunt verba *Al.* et *hom.*, ut eo plenius exaudiantur, auresque auditorum personent. Saepius h. l. ea figura utitur poëta. Vide ad Amph. 341.

735. Vulgo *sient*, invitis scriptis. Scilicet ita haec scandi voluere: *Fores occlusae omnibus siént nisi tibi.*

736. *Occupatam esse se*) Nota for-

Aut quod illa dicat, peregre adlatam epistolam:
Ne epistola quidem ulla siet in aedibus,
Nec cerata adeo tabula; et si quae inutilis
Pictura sit, eam vendat. Ni quatriduo
Abalienarit, quo ex argentum acceperit,
Tuos arbitratus sit, conburas, si velis:
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.
Vocet convivam neminem illa, tu voces:
Ad eorum ne quemquam oculos adiiciat suos.
Si quem alium adspexit, caeca continuo siet.
Tecum una postea aeque pocula potitet,
Abs ted accipiat, tibi propinet, tum bibat:
Ne illa minus aut plus, quam tu, sapiat.

DIABOLVS

Satis placet.

PARASITVS

Suspiciones omnis abs se segreget:
Neque illaec ulli pede pedem homini premat,
Quom surgat; neque *illa* in lectum inscendat proxumum;

mula loquendi: cf. Cas. 428, Cist. 321, Mil. 252.

738. Vulgo *sit*, deficiente numero.

739. *si quae*) Vulgo *si qua*, quod quidem usitatius; sed illud magis ex analogia dictum in feminino singularis numeri, placebatque Reizio. Vid. G. I. Vossii Lat. gramm. pag. 89.

741. Vulg. *quo abs te arg. a.*, sed Pall. fere, *quo* (vel *quod*) *ex te a. a.* quomodo et noster M et edd. Mediol. Argent. Iunt. Illa vulgatarum lectio soloeca est; hanc, quae et ipsa vitio non caret, castigavit Acidalius, ut sit praepositionis ἀναστροφή pro *ex quo*, quem sequimur cum Pareo.

743. *possit fac.*) Ita M, faciliore quidem numero, quam vulgatarum, quae *f. p.*; sed hoc retinendum est: vid. ad Amph. 356.

745. *quemquam*) Vulgo, *quem*; sed G, *cuiquam*, unde feci *quemquam*, quod lectius vulgato. Cf. 753 sqq., 771, 774.

748. Ineptissime libri, *tu bibas*, quasi vinum bibere Philenium prorsus nolit amans adolescens, quum id potitare iubeatur illa praecedente versu. Imo compotricem quidem eam cupit, sed quae aeque secum bibat, h. e. eodem poculo, quo ipse, nec prior, sed postquam biberit Diabolus dimidiumque vini exhauserit, quo facto ab ipso poculum illam vult accipere at ipsi propinare, tum bibere reliquum, ne scilicet minus aut plus quam ipse sapiat, h. e. potet, sed aeque secum. Turbavit compendium, sicut Cas. 207.

752. *Illa*, quod addidimus, aufe-

Neque, quom descendat, inde det quoiquam manum.
Spectandum ne quoiquam anulum det, neque roget.
Talos ne quoiquam homini admoveat, nisi tibi;
Quom iaciat, Te ne dicat: nomen nominet.
Deam invocet sibi, quam lubebit, propitiam;
Deum nullum. Mage si religiosa fuverit,
Tibi dicat: tu pro illa ores, ut sit propitius.
Neque illa ulli hemoni nutet, nietet, adnuat.
Post /si lucerna extincta sit, ne quid sui
Membri commoveat quidquam in tenebris.

DIABOLVS

Optumum est,
Ita scilicet facturam; verum in cubiculo . . . .
Deme istuc: equidem illanc movere gestio.
Nolo illam habere causam, et vetitum dicere.

PARASITVS

Scio, captiones metuis.

DIABOLVS

Verum.

PARASITVS

Ergo, ut iubes,
Tollam?

DIABOLVS

Quidni?

PARASITVS

Audi reliqüa.

rendo est hiatui, nisi quis malit *neque indu*.

754. Vulgo, *ne cui a*, sed G, *neque cuiquam*, Argent. *cuiquam*, Iunt. *quoiquam*. Iuvat hoc etiam versum.

758. Vulgo *ἀμέτρως*, *fuerit*.

760. Vulgo, *homini*, quod et ipsum ferri potest.

761. *sit*) Vulgo *est*, versu impedito, nisi legere placeat, *extinctad est*. *Est* et *Sit* saepius confusa.

765. Vulgo *votitam*, solito errore librariorum, o pro e scribentium; nam qui *voto* pro *veto* priscis in usu fuisse contendunt, nugas agunt. *Vetitam* fere Pall., item G M, quod ideo tantum mutavi, ne ad causam male referretur. Vid. etiam ad Ba. 180, 885.

DIABOLVS

Eloquere: audio.

PARASITVS

Neque ullum verbum faciat perplexabile;
Neque ulla lingua sciat loqui, nisi Attica.
Fors si tussire occepsit, ne sic tussiat,
Vt quoiquam linguam in tussiendo proferat.
Quod illa autem simulet, quasi gravedo profluat,
Hoc ne sic faciat: tu labellum abstergeas
Potius, quam quoiquam savium faciat palam.
Nec mater lena ad vinum accedat interim,
Neque ulli verbo dicat male. Si dixerit,
Haec multa ei esto: vino viginti dies
Vt careat.

DIABOLVS

Pulcre scripsti! scitum syngraphum!

767. Vulg. *loquere*, flaccidioribus numeris. Facile elementum a praecedente fuerit interceptum.

770. Vulg. *Forte*, invecto cretico pro iambo, nisi quis *Fort'* pronuntiandum putet, abiecta e litera, quomodo *haec*, *illaec*, *istaec* pro *haece*, *illaece*, *istaece*, item *neu* pro *neve*, *seu* pro *sive*, in usu sunt; et interdum *Ill'*, *Ips'*, *Ind'*, *Nemp'*, *Quipp'*, *Redd'*, *Vnd'*, pro *Ille*, *Ipse*, *Inde*, *Nempe*, *Quippe*, *Redde*, *Vnde* legendum arbitror potius, quam priores horum verborum syllabas corripiam, quae est Bentleii ratio in Sched. de Metr. Terent. c. 8 proposita. Conf. Terentii Ph. IV, 3, 76, supra 52, Aul. 248, Ba. 154, Capt. 37, 60, Cas. 482, Cist. 286, Men. 486, Mil. 120, 337, 896, 912, Poen. prol. 2, 72, 109, Poen. 54, 534, 771, Pseud. 346, 434, 585, 1188, Rud. 256, 1298, Stich. 739, Trin. 197, 294 (qui versus sic se habet: *Bene volo ego illi facere, si tu non nevis.* — *Nempe de tuo*, ubi ne ipse quidem Bentleius, credo, *Nem-* in *Nempe* corripi iussisset, non magis quam Cas. 482), Trin. 392, nos ad Amph. prol. 84, et Chr. Wasii Senar. cap. 13, ubi de Apocope agit. Medias quoque vocales passim elidi, demonstratum ivimus ad Amph. 74.

771. V. C. et Pal. 4, *proserat*, quod placebat Grutero et Scioppio Suspp. Lect. V, 19.

773. Τὸ *sic*, οὕτως, gestu adiuvandum est; h. e. ore savium faciente. Vid. Donat. ad Terent. Andr. I, 2, 4.

774. *Savium facere* non est *basiare*, quod fieri non poterat praesente atque inspiciente amatore, sed significat ita os comparare, quasi basiaturus sis, ut fere explicat Turneb. Advers. I, 15, et IV, 13. Hoc id erat, quod nec facile a quoquam caveri nec fraudi

PARASITVS

Tum si coronas, serta, unguenta iusserit
Ancillam ferre Venerid aut Cupidini,
Tuos servos servet, Venerine eas det, an viro.
Si forte pure velle habere dixerit,
Tot noctis reddat spurcas, quot pure habuerit.
Haec sunt non nugae: non enim mortualia.

DIABOLVS

Placent profecto leges. Sequere intro.

PARASITVS

Sequor.

esse posset mulieri, quum melius abstergendi labelli causa factum esse videretur.

781. Langg. et H, *ea*, non male.

782. *pure habere*, ἁγνῶς ἔχειν. Non cogitandum h. l. de Casto seu Pervigilio Isidis, cuius cultum primus Sulla introduxit in Italiam, ut monet clar. C. A. Boettiger Sabin. p. 199, sed de noctibus, quibus pure velle se habere vel valetudinis causa, vel superstitione aliqua inducta, puella significaverit.

783. Vulgo nullis numeris, *quot puras h.* Male Camer. omisit *noctis*.

784. *Mortualia* extrito *u* legendum est; vid. ad Amph. prol. 74. Lang. *mortalia*.

DIABOLVS. PARASITVS.

DIABOLVS

Sequere hac. Egon' haec patiar, aut taceam? Emori
i. s. IV, 1
Me malim, quam haec non eius uxori indicem!
Ain' tu? apud amicam munus adulescentuli
Fungare, uxori excuses te, et dicas senem?
Praeripias scortum amanti, atque argentum obicias
Lenae? suppiles clam domi uxorem tuam?
Suspendam potius me, quam tacita haec auferas!
Iam quidem ad illam hercle hinc ibo, quam tu propediem,
Ni quidem illa anteoccupassit te, ecfl'ges scio,
Luxuriae sumtus suppeditare ut possies.

PARASITVS

Ego sic faciundum censeo: me honestiust,
Quam te, palam hanc rem facere, ne illa existumet,
Amoris causa percitum id fecisse te
Mage, quam sua causa.

DIABOLVS

At pol quin dixti rectius.

786. Hoc versu incipere actum quartum, quem vulgo 722 ordiuntur, res ipsa docet, siquidem aliquantulum intus apud Cleaeretam manendum fuit Diabolo et parasito, dum scirent, quid rei esset.

792. Vulgatum *tu* post *tacita*, quod versum onerat, natumque procul dubio est ex *ta* syllaba praecedente, recte abest edd. Iunt. Argent. anni 1514. Haud melius Langg. *S. p. tu me* etc.

794. Vulg. *Nisi*, numero quidem duriore. Guelferbytano abest *te*, minime male. V. C. *occupas si te e.*

796. Vulgo *faciendum.* Sequor MSS., in his G M, item edd. Mediol. Iunt. Argent.

799. *At pol quin d. r.*) Cf. Amph. 540. Male vulg. *A. p. qui*, sicut utrobique V. C. Expressimus nos Pall.

Tu ergo face, ut illi turbas, litis concias:
Cum suo sibi gnato unam ad amicam de die
Potare; illam expilare clam.

PARASITVS

Ne me mone:
Ego istuc curabo.

DIABOLVS

At ego te opperiar domi.

ARGYRIPPVS. DEMAENETVS.

ARGYRIPPVS

Age, decumbamus, sis, pater.

DEMAENETVS

Vt iusseris, i. s. IV, 2
Mi gnate, ita fiat.

ARGYRIPPVS

Pueri, mensam adponite.

G H M et plerasque omnes vett. editiones.

800. *face*) Ita G et vetus codex Meursii. Vulg. *fac*.

802. Perperam vulgatae *expilare iam*, quod correxit Gulielm. Quaest. in As. c. 7, collato supra 791. Poterat et laudare Men. 459, 705. Scilicet praecedens e litera simile traxit *c* in *clam*, quo facto mox *lam* ἀκέφαλον in *iam* est mutatum. Caeterum G et M. *Ne me mone*, ut bene edidit Camerarius. *Iam emone* V. C. Pall. 4 et H noster. Caeteri Palatini *Iam emore*.

804. Vulgo, invito iambico senario, *Agedum acc.* V. C. et plerique Pall. item Langg. atque Iunt., ut edidimus; H et Mediol. *Agedum cubamus*; Sarracen. *Agedum cumbamus*; Pal. 5, *Aggedum accubamus*. Malim autem *iusseras*, h. e. *iussisti*; vid. ad Amph. prol. 81. Nam de solo *decumbendo* agitur. Si generatim loqueretur senex, vel diceret *Vt quidque iusseris* etc., vel *Vt iusseris, ita quidque fiat.* — De producenda *-ter* syllaba vid. ad Amph. prol. 38.

805. *fiat*) Ita Langg. M, *fidet*, quod eodem redit. Vulgatae indecore *fiet*. Donatus ad Terentii Eun. III, 2, 47: « *Faciam* vel *Fiet* diceret servus; liber vero *Fiat*, tanquam et ipse iubeat sibi. » Cf. Aul. 217.

DEMAENETVS

Numquidnam tibi molestum est, gnate mi, si mecum haec adcubat? i. t.

ARGYRIPPVS

Pietas, pater, dolorem prohibet oculis: quamquam istanc amo:
Possum equidem inducere animum, ne aegre patiar, quia tecum adcubat.

DEMAENETVS

Decet verecundum esse adulescentem, Argyrippe.

ARGYRIPPVS

Edepol, pater,
Merito tuo facere possum.

DEMAENETVS

Age ergo, agitemus hoc convivium
Vino et sermone suavi! nolo ego metui, amari mavolo,
Mi gnate, me abs te.

ARGYRIPPVS

Pol ego utrumque facio, ut aequom est filium.

DEMAENETVS

Credam istuc, si ego te hilarum videro.

ARGYRIPPVS

An tu me tristem putas?

DEMAENETVS

Putem ego, quem aeque esse moestum videam, ut quasi dies si dicta sit.

806. Vulg. *si haec nunc mecum a.*, invitis Pall. praeterquam V. C., qui τὸ *nunc* praeferebat, teste Grutero ad h. l., item Langg. 3 nostris et edd. vett. Langg. *si haec mecum una a.*; sed *una* ortum videtur ex vocibus vicinis.

807. Vulg. *q. ego istanc amo*; G, *q. istanc ego a.*, pronomine migrante. Scires addititium a nescio quo, qui istam invenisset, versus sarciendi causa.

813. Vulg. *C. i. si esse te h. v. — A. t. esse m. t. p.?* Sed M, *si ego te es-*

ARGYRIPPVS

Ne dixis istuc.

DEMAENETVS

Ne sic fueris: eloco ego non dixero.

ARGYRIPPVS

Hem, adspecta: rideo.

DEMAENETVS

Vtinam, male qui mihi volunt, sic rideant!

ARGYRIPPVS

Scio equidem, quamobrem me, parens, tu tristem credas nunc tibi:
Quia istaec est tecum. Atque ego quidem, hercle, ut verum tibi dicam, patri:
Ea res male habet; ac non eo, quia tibi non cupiam, quae velis:
Verum istam amo. Aliam tecum esse, equidem facile possim perpeti.

DEMAENETVS

At ego hanc volo.

ARGYRIPPVS

Ergo sunt, quae exoptas. Mihique, quae exoptem, volo.

se h. v. Vagatur prius *esse*, ut solent glossemata. Posterius vix est ut versus ferat. Vtrumque igitur delevi.

817. *parens*) Ita M. Vulg. ex interpretatione, *pater*.

818. *ego quidem*) H, *equidem*, non male. — *patri*. Ita G, perbene, h. e. utpote qui sis pater meus. Vulg. putide, *pater*, quum modo elegantius verbum fuerit illatum, *parens*.

819. MSS. et edd. vett. fere, *Ea res me male h.*, versu horrido. Sequor G M. V. etiam *quin*, vel *qui*, ut est in H. Illud soloecum est sequente *non*, nisi quis negationem putet geminatam graeco more, de quo vidd. Vechner. Hellenolex. I, 2, 35, Par. lexic. Mantiss. h. v., quod merito improbat corrector Acidalius. Similiter peccatum in codice orationis Ciceronianae pro Milone 22, impingentibus Graevio et Ernestio.

820. Libri fere, *possum*, et hoc melius vulgato *possim*, quod Camerarium habet auctorem.

821. Vulg. *Mihi quae ego ex. v.*, sententia male coniuncta cum praecedentibus. *Mihique* valet *Mihi quo-*

DEMAENETVS

Vnum hunc diem perpetere: quoniam tibi potestatem dedi,
Cum hac annum ut esses, atque amanti argenti feci copiam.

ARGYRIPPVS

Hem, istoc me facto tibi devinxti!

DEMAENETVS

Quin te ergo hilarum das mihi?

ARTEMONA. PARASITVS. DEMAENETVS. ARGYRIPPVS. PHILENIVM.

ARTEMONA

Ain' tu, meum virum potare hic, obsecro, cum filio, t. t. c. V.
Et ad amicam detulisse argenti viginti minas,
Meoque filio sciente id facere flagitium patrem?

PARASITVS

Neque divini neque mi humani posthac quidquam adcreduas,
Artemona, si huius re me mendacem esse inveneris.

ARTEMONA

At scelesta ego praeter alios meum virum fuvi rata
Siccum, frugi, continentem, amantem uxoris maxume.

PARASITVS

At nunc dehinc scito, illum ante omnis minumi mortalem preti,

que; vid. supra ad 191. *ego* abest H.
825. Transpositum *Obsecro*; vid. ad Amph. 378.

826. *Et*) M, *Etiam*. Ferri posset *Etiam*; sed nihil muto.
830. Vulg. *fui*, imbecilliore nume-

Madidum, nihili, incontinentem atque osorem uxoris suae.

ARTEMONA

Pol ni vera ista essent, nunquam faceret ea, quae nunc facit.

PARASITVS

Ego quoque hercle illum antehac hominem semper sum frugi ratus;
Verum hoc facto sese ostendit, qui quidem cum filio
Potet una, atque una amicam ductet, decrepitus senex.

ARTEMONA

Hoc ecastor est, ad coenam quod illic it cotidie;
Ait, sese ire ad Archidemum, Chaeream, Chaerestratum,
Cliniam, Chremem, Cratinum, Diniam, Demosthenem:
Is apud scortum corruptelae, et liberis lustris studet.

PARASITVS

Quin tu illunc iubes ancillas rapere sublimem domum?

ARTEMONA

Tace modo. Nae illunc ecastor miserum habebo!

PARASITVS

Istuc scio
Ita fore illi, dum quidem cum illo nupta eris.

ARTEMONA

Ego censeo
Eum etiam hominem aut in senatu dare operam, aut clientibus;

ro; vid. supra ad Amphitruon. 355.

838. Vulgo *H. e. e. quod ille it ad coenam q.*, pravo accentu verbi *coenam*. G; *quod ille ait*. Fuerit hoc, *quod illic it*.

842. Cf. Cas. 293, Men. 564, 669 seq. 744, 745, 882, Merc. 269, 990 sq. Magna dotatarum auctoritas.

843. Vulgo *T. m. N. illum e. m. h. — Ego i. s.*, versu nihili. Temere vel addi vel omitti solent a librariis pronomina. Vide nos passim ad Terentium, item Aul. 14, Ba. 812.

845. Prius *aut* non conspicitur in vetustis libris, sed inculcatum est a Camerario, ad versum, puto, sar-

Ibi labore delassatum noctem totam stertere:
Ille foris opere faciundo lassus noctud advenit;
Fundum arat alienum, incultum familiarem deserit.
Is etiam, corruptus, porro suom corrumpit filium.

PARASITVS

Sequere hac me modo: iam faxo ipsum hominem manufesto opprimas.

ARTEMONA

Nihil ecastor est, quod facere mavelim.

PARASITVS

Manedum.

ARTEMONA

Quid est?

PARASITVS

Possis, si forte adcubantem tuom virum conspexeris
Cum corona, amplexum amicam si videas, cognoscere?

ARTEMONA

Possum ecastor.

PARASITVS

Hem tibi hominem!

ARTEMONA

Perii!

PARASITVS

Paulisper mane:
Aucupemus ex insidiis clanculum, quam rem gerant.

ARGYRIPPVS

Quid modi, pater, amplexando facies?

DEMAENETVS

Fateor, gnate mi. . . .

ciendum. Et enm quidem non elidendo *hominem* expediveris, de qua figura dixi ad Amph. 341; nisi etiam elegans est hoc additamentum, et id, quod facile omissum fuerit, tanquam ad sententiam nihil conferens, ut captus est librariorum.

851. *Manedum*) Vid. ad Amph. 600.

856. Vulgo *amplexandi*, minus bene, quum sic modus amplexandus dici videatur. Cf. supra 153, Mil. 1296. Correxit Acidal. Divinat. in Asin. ς. 3.

ARGYRIPPVS

Quid fateris?

DEMAENETVS

Ex amore me huius corruptum oppido.

PARASITVS

Audin', quid ait?

ARTEMONA

Audio.

DEMAENETVS

Egon' ut non domo uxori meae
Subripiam in deliciis pallam quam habet, atque ad te deferam?
Non edepol conduci possum vita uxoris annua.

PARASITVS

Censen' tu illunc hodie primum ire esse adsuetum in ganeum?

ARTEMONA

Ille ecastor suppilabat me, quod ancillas meas
Suspicabar, atque insontis miseras cruciabam.

ARGYRIPPVS

Pater,
Iube dari vinum: iamdudum factum est, quom primum bibi.

DEMAENETVS

Da, puere, ab summo. Age, tu interibi ab infumo da savium.

ARTEMONA

Perii, misera, ut osculatur carnufex, capuli decus!

DEMAENETVS

Edepol animam suaviorem aliquanto, quam uxoris meae!

864. *dari*) Sic G, ut legendum viderat Acidal. Vulgo soloece et inconciune *dare*. *Iube* pyrrichius est; vide supra ad 731.

865. *savium*) Ita V. C. et membranae Langg. Vulgo *suavium*, quod quidem a *suavis* derivant, sed falso, ut opinor, Nonius et apud eum Var-

PHILENIVM

Dic, amabod, an tuae foetet anima uxoris?

DEMAENETVS

Nanteam
Bibere malim, si necessum est, quam illanc oscularier.

ARTEMONA

Ain' tandem? Edepol nae tute istuc cum malo magno tuo
In me dixisti! Sine: venias modo domum: faxo, ut scias,
Quid pericli sit dotatae uxori vitium dicere.

PHILENIVM

Miser ecastor es.

ARTEMONA

Ecastor dignus est.

ARGYRIPPVS

Quid ais, pater?
Ecquid matrem amas?

DEMAENETVS

Egone illam? nunc amo, quia non adest.

ARGYRIPPVS

Quid, quom adest?

DEMAENETVS

Periisse cupio.

ro Non. V, n. 11. Certe *savium* fere exhibent probatiores libri. Vid. tamen ad Bacch. 82.

869–874 vulgo disponuntur personisque dividuntur in hunc modum: *Bibere* — ART. *Miser* e. e. PA. *Mecastor d. e.* AR. *Q. a. d.?* ART. *Ain' tandem* — *Dixisti* — *Quid* — AR. *Ecquid.* Vitium statim prodit, quod iuramento *Mecastor* utitur parasitus, quod mulierum tantum est. Sed omnino haec est arena sine calce, nisi ita ordines, ut nos fecimus, Acidalium secuti; nam scripti hic parum iuvant. Versu 873 Camer. et Taubm., nescio qua freti auctoritate, *Mecastor d.* e. Lang. et nostri H M, puto etiam Pall., quum Pareus nihil moneat, item Iunt. *Ecastor*, bene, ut verbum repetatur, quo usa est Philenium.

870. Vulg. *tu*, quod inconcinnum.

871. Ita vulgatae, producta verbi *modo* posteriore syllaba, ut supra prolog. 5. Malim tamen nunc, *In me dixisti!* ..... pro *Dixisti in me!* quod ante dederam.

PARASITVS

Te amat homo hic, ut praedicat.

ARTEMONA

Nae illa ecastor foenerato funditat: nam si domum
Redierit hodie, osculando ulciscar ego potissumum.

ARGYRIPPVS

Iace, pater, talos, ut porro nos iaciamus.

DEMAENETVS

Maxume.
Te, Philenium, mihi, atque uxoris mortem. — Hoc Venerium est!
Pueri, plaudite, et mi ob iactum cantharo mulsum date.

ARTEMONA

Non nequeo durare.

PARASITVS

Si non didicisti fulloniam,
Non mirandum est. In oculos invadi nunc est optumum.

ARTEMONA

Ego pol vivam, et tu istanc hodie cum tuo magno malo
Invocavisti.

PARASITVS

Ecquis currit pollinctorem arcessere?

ARGYRIPPVS

Mater, salve!

ARTEMONA

Sat salutist.

876. Tò *haec* quod scripseram post *foenerato*, scriptis abest, sed apte id inseruit ex nescio quo veteri libro Acidalius Divin. in Asin. c. 10. Praeferam tamen nunc, *Nae illa ecastor foenerato funditat* etc., secundum Dousam Centur. I, 8.

879. Vulgo *uxori*, minus quidem ἐμφατικῶς atque invitis V. C. plerisque Pall. Lang. G H M.

881. *fulloniam*) Sic latina quam graeca forma maluit modo l. l. I. Dousa; vulgo enim *fullonicam*.

883. Vulg. *istaec*. Recte Acidal. *istanc*, Philenium, quam 879 invocavit senex.

885. *Sat salutis*) Ita V. C. et Lang. Sed Pall. 6, nostri 3 MS. Barth. item vett. quaedam edd., in his Mediol.

PARASITVS

Mortuost Demaenetus!

Tempus est subducere hinc me: pulcre hoc gliscit proelium!

Ibo ad Diabolum; mandata dicam facta, ut voluerit;

Atque interea, ut decumbamus, suadebo, hi dum litigant;

Post eum demum huc cras adducam ad lenam, ut viginti minas

Ei det, in partem hac amanti ut liceat ei potirier.

Argyrippus exorari, spero, poterit, ut sinat

Sese alternas cum illo noctis hac frui: nam ni inpetro,

Regem perdidi: ex amore tantum est homini incendium.

ARTEMONA

Quid tibi huc receptio ad te est meum virum?

PHILENIVM

Pol me haec quidem

Miseram odio enicabit hodie!

ARTEMONA

Surge, amator; i domum.

DEMAENETVS

Nullus sum.

ARTEMONA

Imo es (ne nega) pol omnium nequissumus.

At etiam cubat cuculus. Surge, amator; i domum.

DEMAENETVS

Vae mihi!

ARTEMONA

Vera hariolare. Surge, amator; i domum.

Iunt. Arg. *Sic salutas?* Nihil definio.

890. Vulg. *in parte.* *In partem* dedit Lambinus, quod sane usitatius; et sic plane G. Idem codex, *hanc* pro *hac*, haud male.

895. Vulg. *M. od. enicavit.* — *S. a. i. d.* versu imperfecto. Pall. 2, 5, G H M, item Colon. liber, teste Acidalio, et Iunt. *M. hodie e.* Vtrumque et *odio* et *hodie* genuinum recte indicans valentissimus ille Valens locum sanavit, non persanavit; nam legendum quoque erat *enicabit*, secundum V. C. Lang. M. et edit. M-

DEMAENETVS

Abscede ergo paululum istuc.

ARTEMONA

Surge, amator; i domum.

DEMAENETVS

Iam, obsecro, uxor. . . .

ARTEMONA

Nunc uxorem me esse meministi tuam?
Modo quom dicta in me ingerebas, odium, non uxor, eram.

DEMAENETVS

Totus perii!

ARTEMONA

Quid tandem? anima foetetne uxoris tuae?

DEMAENETVS

Murrham olet.

ARTEMONA

Iam subripuisti pallam, quam scorto dares?
Ecastor. . . .

ARGYRIPPVS

Quam subrepturum pallam promisit tibi. . .

DEMAENETVS

Non taces?

ARGYRIPPVS

Ego dissuadebam, mater.

ARTEMONA

Bellum filium!
Istoscine aequom est patrem mores liberis largirier?
Nilne te pudet?

DEMAENETVS

Pol, si aliud nil sit, tui me, uxor, pudet.

diol. anni 1500. Etiam II, *enicabat*, quod eodem recidit.

904. Pessime edd. AR. *Ecastor quin s. p. p. t.*, quasi per Castorem

ARTEMONA

Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit!

DEMAENETVS

Non licet manere (coena coquitur), dum coenem modo?

ARTEMONA

Ecastor coenabis hodie, ut dignus es, magnum malum!

DEMAENETVS

Male cubandum est: iudicatum me uxor abducit domum.

AEGYRIPPVS

Dicebamne, pater, tibi, ne matri consuleres male?

PHILENIVM

De palla memento, amabo!

DEMAENETVS

Iuben' hanc hinc abscedere?

PHILENIVM

Imo potius intus sequere hac me, mi anime!

AEGYRIPPVS

Ego vero sequor.

ARTEMONA

I domum.

PHILENIVM

Da savium etiam, priusquam abis!

DEMAENETVS

In' in crucem?

iurare deceret virum. V. C. Pall. Langg. H M et aliquot vett. edd. *E. qui*.

910. Vulg. *ut te dignum est*. Tò *te* nullus liber vetustus, neque calamo exaratus, neque typis descriptus, exhibet. Male intellectum *dignust*, h. e. *dignus est*, quod haud dubie scriptum fuit pro *dignus es*, has turbas dedit. Verum divinavit Taubm.

915. Vulgo *i in crucem*, claudicante versu.

GREX.

Hic senex si quid, clam uxorem, suo animo fecit volup',
Neque novom neque mirum fecit, nec secus, quam alii solent;
Nec quisquam est tam ingenio duro, neque tam firmo pectore,
Quin, ubi quidquam occasionis sit, sibi faciat bene.
Nunc si voltis deprecarier huic seni, ne vapulet,
Remur inpetrari posse, plausum si clarum datis.

921. Vulg. *si plausum sic* (V. C. a m. 2, *si*) *c. d.*, numeris turbatis. Guelferbytano abest *posse*, unde legendum coniicias: *Remur impetrarier*, *si plausum sic clarum datis.* *Impetrarier* pro *impetratum iri*, sicut passim infinitivus usurpatur; sic δειϰτιϰῶς.

AVLVLARIA

DRAMATIS PERSONAE

LAR, *prologus*
EVCLIO, *senex*
STAPHYLA, *anus*
EVNOMIA, *mulier*
MEGADORVS, *senex*
STROBILVS, *geminus servus*
ANTHRAX, } *coci*
CONGRIO, }
PYTHODICVS, *servus*
LYCONIDES, *adolescens*
PHAEDRA, *puella*

ARGVMENTVM

Senex avarus, sibi vix credens, Euclio
Defossam multis cum opibus domi suae
Aulam invenit, rursumque penitus conditam,
Exsanguis, amens, servat. Eius filiam
Lyconides vitiarat. Interea senex
Megadorus, a sorore suasus ducere
Vxorem, avari gnatam deposcit sibi.
Senex durus vix promittit, atque, aulae timens,
Domo sublatam variis abstrudit locis.
Insidias servus huius facit Lyconidis,
Qui virginem vitiarat; atque ipse obsecrat
Avunculum Megadorum sibimet cedere
Vxorem amanti. Per dolum mox Euclio
Quum perdidisset aulam, insperato invenit,
Laetusque natam collocat Lyconidi

Vs. 8. *Senex* elisa e litera priore legendum est; vid. ad Amph. prol. 74. Minus bene vulgatae, *Durus senex*, ictum excipiente verbo leviore.

ALIVD ARGVMENTVM

Aulam repertam avarus plenam auri Euclio
Vi summa servat, miseris affectus modis.
Lyconides istius vitiat filiam.
Volt hanc Megadorus indotatam ducere,
Lubensque ut faciat, dat coquos cum obsonio.
Auro formidat Euclio: abstrudit foras;
Reque omni inspecta, compressoris servulus
Id surpit. Illic Euclioni rem refert:
Ab eo donatur auro, uxore et filio.

Vs. 1. Vulgo, *Aulam repertam auri plenam Euclio*, non elidendis duabus vocibus *repertam* et *plenam*, quod durius mihi videbatur in scriptore sequioris aevi, quumque in G invenissem *auari* pro *auri*, alterum verbum alteri offecisse ratus, retraxi fugitivum.

Vs. 6. *foras*) Ita Langg. et G. quod vividius vulgato *foris*. Caeteri fere scripti, *fores*.

PROLOGVS

Lar Familiaris

Ne quis miretur qui sim, paucis eloquar.
Ego Lar sum familiaris ex hac familia,
Vnde exeuntem me adspexistis. Hanc domum
Iam multos annos est quom possideo et colo
Patrique avoque iam huius, qui nunc hic habet.
Sed avos mihi huius obsecrans concredidit
Auri thesaurum clam omnis; in medio foco
Defodit, venerans me, ut id servarem sibi.
Is quoniam moritur, ita avido ingenio fuit,
Nunquam indicare id filio voluit suo,
Inopemque optavit potius eum relinquere,
Quam eum thesaurum conmonstraret filio.
Agri reliquit eii non magnum modum,
Qui cum labore magno et misere viveret.
Vbi is obiit mortem, qui id mihi aurum credidit,
Coepi observare, ecqui maiorem filius

9. *quoniam*) Langianorum alii *quom*, alii *quando*; Pall. 5, item Mediol. Iunt. Argent. *quando*. Vel fefellit librarios compendium, vel mutarunt, quod non intelligerent. Donatus ad Terentii Adelph. prol. 1: « *Postquam poëta sensit*) *Postquam* pro *Quoniam*; cuius reciprocum *Quoniam* pro *Postquam*. Plautus in Aul. *Quoniam is moritur* etc. » Sic passim Plautus; cf. Capt. 864, Trin. prol. 14, Trin. 128.

14. *Qui*) Ita Langg. Vulg. *Quo*, ex interpretatione.

16. *ecqui*) Sic V. C. qui tamen et alterum praefert (*etqui*: *Ecquid*; secundum Pareum), Pall. 2, 3. Vulgo *ecquid*. Gulielm. Quaest. in Aul. c.

Mi honorem haberet, quam eius habuisset pater.
Atque ille vero minus minusque inpendio
Curare, minusque me inpartire honoribus.
Item a me contra factum est. Nam item obiit diem. Is
Ex se hunc reliquit, qui hic nunc habitat, filium
Pariter moratum, ut pater avosque huius fuit.
Huic filia una est; ea mihi cotidie
Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat;
Dat mihi coronas. Eius honoris gratia
Feci, thesaurum ut hic reperiret Euclio,
Quo illam facilius nuptam, si vellet, daret:
Namque eam conpressit de summo adulescens loco;
Is scit, adulescens, quae sit, quam conpresserit;
Illa illum nescit, neque conpressam autem pater.
Eam ego hodie faciam, ut hic senex de proxumo
Sibi uxorem poscat: id ea faciam gratia,
Quo ille eam facilius ducat, qui conpresserat:
Etenim, qui poscet eam sibi uxorem, senex
Is adulescentis illius est avonculus,

1: « Credo, *inquit*, rectius scribi *ecqui*, sequitur enim inferius paulo: — *ea mihi cotidie Aut ture, aut vino, aut aliqui semper supplicat*. Pusillum hoc, fateor; sed meas ad aures etiam perpusilla elegantia iucunda et suavis accidit. »

17. G, *huius*.

19. Langg. *impertire*. Vide ad Amph. 64.

20. Vid. ad Asin. 649.

27. Vulgo, *Quo eam*. V. C. *Q. illam*; Pall. 1, 2, *Q. ille eam*. *Ei*, *eum*, *eam*, *eos*, *iis*, praeterquam extremis versibus, fere monosyllaba sunt apud Comicos.

28. Vulgo pravis numeris, *Nam compressit eam d. s. a. l.* Quod scriptum *Namque*, vid. praecedens annotatio. Feram tamen et hanc lectionem: *Nam eam* (vel *illanc*) *compressit de summo adulescens loco*.

29. H, *compresserat* pro *compressit*, sicut 33, haud male. Vid. ad Amph. prol. 81.

32. *Sibi* pronuntiandum ut *S'bi*; vid. Amph. prol. 74.

34. Vulgo *Et*. Acidalius Divv. in Aul. c. 1: « Nescio, si rectius *Enim hic qui poscet*. Melius quidem oratio cohaereat, et praecedentium sensus magis explicetur. Nam haec veluti ratio sunt, esse certe debent, illorum: — *id ea faciam gratia, Quo ille eam facilius ducat, quam compresserat*. » Sic *ille* valde probabiliter. Malim tamen, praesertim quia *hic* et *is* pronomina non recte con-

Qui illanc stupravit noctu, Cereris vigiliis.
Sed hic senex iam clamat intus, ut solet;
Anum foras extrudit, ne sit conscia.
Credo, aurum inspicere volt, ne subreptum siet.

EVCLIO. STAPHYLA.

EVCLIO

Exi, inquam! age, exi! exeundum hercle hinc tibi est foras, i. s. I.
Circumspectatrix cum oculis emissitiis!

STAPHYLA

Nam cur me miseram verberas?

EVCLIO

Vt misera sis,
Atque ut te dignam, mala, malam aetatem exigas.

STAPHYLA

Nam qua me nunc causa extrusisti ex aedibus?

EVCLIO

Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges?
Illuc regredere ab ostio! illuc, sis! Vide, ut
Incedit! At scin', quomodo tibi res se habet?
Si hodie hercle fustem cepero aut stimulum in manum,
Testudineum istum tibi ego grandibo gradum!

STAPHYLA

Vtinam me divi adaxint ad suspendium

iunguntur: *Etenim, qui poscet eam sibi uxorem, senex Is* etc. *Etenim* quam facile in *Ethio* mutari potuerit, norunt ii, qui veteres codices versarunt.

39. *ne subreptum siet*) Vidd. Guilelmii Quaest. in Aul. c. 1, Pareani lexici Mantissa vv. Anastrophe et Metathesis, nos ad Ba. 142.

Vs. 8. *At scin', quomodo tibi res se habet?* Vide de hac formula loquendi Amph. 200.

Potius quidem, quam hoc pacto apud te serviam!

EVCLIO

At ut scelesta sola secum murmurat!
Oculos hercle istos, inproba, ecfodiam tibi,
Ne me observare possis, quid rerum geram.
Abscede! — etiam nunc! — etiam nunc!

STAPHYLA

Etiamne?

EVCLIO

Ohe,
Istuc adesto! si hercle tu ex istoc loco
Digitum transvorsum aut unguem latum excesseris,
Aut si respexis, donicum ego te iussero,
Continuo hercle ego te dedam discipulam cruci.
Scelestiorem me hac anu certe scio
Vidisse nunquam, nimisque ego hanc metuo male,
Ne mi ex insidiis verba inprudenti duit,
Neu persentiscat, aurum ubi est absconditum,
Quae in occipitio quoque habet oculos, pessuma.
Nunc ibo uti visam, estne ita aurum, ut condidi,
Quod me sollicitat plurimis miserum modis.

STAPHYLA

Ne nunc mecastor, quid hero ego dicam meo

14. Vulgo, asperiore numero, *O. h. ego istos* etc. Vid. ad Asin. 843.

16. Vulg. continue, *A. e. n. e. n. etiam ohe* etc., versu μειούρῳ. Atqui Langg. *etiam nunc* pro *etiam ohe*, ex quo legendum intellexi *Etiamne*, quod tribueretur Staphylae. Cf. Asin. 28 nosque ibid. ad 647.

17. *Istuc adesto*) Ita G, quum vulgo legatur *Istic c.* Vid. ad Amph. 545. *Adesto* quoque omnes Pall. H M Iunt. Argent., Mediol. *adest.* Sed V. C. *atasto*, Langg. *at asta*, unde fecerunt *adstato.* Sane etiam sic loquuntur, nisi verisimile est, *atasto* vel *atasta* exstitisse ex *atesto*, *atesta*, ut saepius *d* et *t* literae inter se permutantur.

26. Vulg. *ut visam*, versu impedito, nisi quis *visam* non elidendum putet.

27. Hunc versum inter et sequentem Gulielmius Quaest. in Aul. c. 1, ista inculcabat, quae tanquam ad hanc fabulam pertinentia laudantur Nonio, et fragmentis a me inserta sunt: *Nec nocte nec diu quietus unquam eam* (l. *eram*); *nunc dormiam.* Huius ea loci non esse, vel metrum est indicio.

28. Vulg. *Nec nunc m.*, secundum Pall. 3, 5; nam tres alii, *Nec numen*

Malae rei evenisse, quamve insaniam,
Queo comminisci: ita me miseram ad hunc modum
Decies die uno saepe extrudit aedibus.
Nescio pol, quae illunc hominem intemperiae tenent:
Pervigilat noctis totas; tum autem interdius
Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.
Neque iam, quo pacto celem herilis filiae
Probrum, propinqua partitudo quam adpetit,
Queo comminisci; neque quidquam est melius mihi,
Vt opinor, quam ex me ut unam faciam literam
Longam, meum laqueo collum quando obstrinxero. —

EVCLIO

Nunc defecato demum animo egredior domo,
Postquam perspexi, salva esse intus omnia.
Redi nunc iam intro, atque intus serva.

STAPHYLA

Quippe nil
Ego intus servem! An, ne quis aedis auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus:
Ita inaniis sunt oppletae atque araneis.

EVCLIO

Mirum, quin tua me causa faciat Iupiter
Philippum regem aut Darium, trivenefica!
Araneas mihi ego illas servari volo.

ecastor. Sed V. C., *Noe num. m.*, superscriptumque erat voci primae, pro *Non*. Dubium igitur non est, *Ne* voluisse scribam, et sic plane G et H a m. 1. Langg. *Non enim m.*

30. Vulg. *miseram me*, quod commentum puto metricorum, *a* in *ita* porrigi nonnunquam apud priscos nescientium; vid. ad Amph. 475. Recte Langg. et H, *me miseram*.

31. G et M, *extrusit*.

42. Vulg. *quippini Ego intus servem?* quasi servare intus velit Staphyla, quum nolit. Egregie nostri codd. *Quippe nil*, et sic etiam Mediol. Argent., quas saepe laudo. Servem, φυλάττοιμ᾽ ἄν, modo potentiali. Cf. Ba. 120, 636, 1006, Cas. 419, Mil. 496, Stich. 449, 486, 667, Trin. 707, G. I. Vossii grammat. p. 94.

46. Vulg. *M. q. t. nunc me c. f. I.*, abundante syllaba. Atqui Helmstadiensi abest *nunc*, quod pridem

Pauper sum, fateor; patior. Quod dî dant, fero.
Abi intro! occlude ianuam! Iam ego hic ero.
Cave quemquam alienum in aedis intromiseris.
Quod quispiam ignem quaerat, extingui volo,
Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet.
Nam si ignis vivet, tu extinguere extempulo.
Tum aquam aufugisse dicito, si quis petet.
Cultrum, securim, pistillum aut mortarium,
Quae utenda vasa semper vicini rogant,
Fures venisse atque abstulisse dicito.
Profecto in aedis meas me absente neminem
Volo intromitti, atque etiam (hoc praedico tibi)
Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

STAPHYLA

Pol eapse, credo, ne intromittatur, cavet:
Nam ad aedis nostras nunquam adit quaquam prope.

sustulerat Lambinus. Male *me* omissum in Argent.

51. MS. Barth. et G, in aedibus, quomodo etiam 59 praeferunt iidem libri et H, M. Vide ad Amph. prolog. 87.

52. Sic V. C.; sed Pall. 6 et H, *Quodsi q. i. quaerit*, Langg. G M et vetuste cusi, *Qudsi q. i. quaerit*; et Anui fere haec tribuuntur in istis libris, verba vero *Extingui volo* rursus Euclioni; G etiam *quisquam* pro *quispiam*. Facile igitur reposueris: ST. *Quid, si quisquam ignem quaerit?* EV. *Extingui volo* etc. Sed non deterior est lectio vulgata.

56. Vulg. pravo numero: — *pistillum mort*. *Pistillum* iam sequente vocali retrahit accentum.

61. G, *veniet*; M, *venerit*.

63. V. C. *quamquam prope est* (Pal. 6 et noster M, *q. p. sit*); sed verisimile est, verbum ortum esse ex sequente nota persona *se.* (senex); certe abest reliquis Palatinis, uti et G H et editionibus vetustis. Pro *quamquam* vero, G, *quoquam*; Pal. 1, teste Gronovio, item edd. Iunt. Argent. *quaquam*; Lang., *nunquam adit quaquam propet*, prope verum; id quod vidit etiam Gronovius, scribendum censens: *N. a. a. n. nunquam adiit quaquam prope*. *Nam*, ut nunc habet locus, soloecus est verborum *nusquam* et *quaquam* altero alterum excludente, mirorque eorum coniunctionem probari potuisse Nicolao Angelio editori Argentoratensi et ipsi Camerario in annotatione ad h. l. Legendum autem arbitror, numero venustiore: *Nam ad aedis nostras nunquam adit quaquam prope*. Adverbium *quaquam* quod attinet, usurpavit id etiam Lucretius I, 429, et apud Charisium Putsch. 192 Pomponius, comprobaturque, observante

EVCLIO

Tace, atque abi intro!

STAPHYLA

Taceo, atque abeo.

EVCLIO

Occlude, sis,
Foris ambobis pessulis. Iam ego hic ero. —
Discrucior animi, quia ab domo abeundum est mihi.
Nimis hercle invitus abeo; sed, quid agam, scio:
Nam noster nostrae qui est magister curiae,
Dividere argenti dixit numos in viros:
Id si relinquo ac non peto, omnes eloco
Me suspicentur, credo, habere aurum domi:
Nam verisimile non est, hominem pauperem
Pauxillum parvi facere quin numum petat:
Nam nunc, quom celo sedulo omnis, ne sciant,
Omnes videntur scire, et me benignius
Omnes salutant, quam salutabant prius;
Adeunt, consistunt, copulantur dexteras;
Rogitant me, ut valeam, quid agam, quid rerum geram.
Nunc, quo profectus sum, ibo; postidea domum
Me rursus, quantum potero, tantum recipiam.

Gronovio ad h. l., compositis *Haudquaquam* et *Nequaquam*.

64. *Occlude sis*) Vel hoc loco intelligitur, imperativis addita *Sis*, vel *Si vis*, *Si velis* (Rud. 736), *Sultis*, non semper ad minuendam eorum contumeliam pertinere, quod vult Donatus ad Terent. Eun. IV, 7, 29. Cf. Capt. 386, 588, Most. 1, Rud. 722, 730. Et similiter Mil. 1392 herus ad servos suos: *Vbi lubet, distennite hominem* etc. Nam de εἰρωνείᾳ in talibus cogitare, longius repetitum foret.

66. *Quia* extrita *i* litera legendum; vid. ad Amph. prol. 74.

69. *numos*) Ita G H; et 73, *numum*. Vulg. *nummos*, *nummum*.

79. *postidea*) Scripti et velt. edd. *post idem*, *post item*, *post itidem*, recte corrigentibus viris doctis.

EVNOMIA. MEGADORVS.

EVNOMIA

Velim te arbitrari, med haec verba, frater, b. t. II, 1
Meae fidei tuaeque hic rei causa facere,
Vt aequom est germanam sororem. b. tr.
Quamquam haud falsa sum, nos odiosas haberi: b. t.
Nam multum loquaces merito omnes habemur,
Nec mutam profecto repertam ullam dicunt
Hodie mulierem ullo esse in seclo. b. tr.
Verum hoc, frater, unum tamen cogitato, b. t.
Tibi proxumam me, mihique esse item te:
Ita aequom est, quod in rem esse utrique arbitremur,
Et mihi te, et tibi me, consulere et monere,
Neque occultum id haberi, neque per metum mussari,
as. ex b. d. et i. d. c.
Quin participem pariter ego te, et tu me facias.
Eo nunc ego secreto ted huc foras seduxi,
Vti tuam rem ego tecum hic loquerer familiarem.

MEGADORVS

Da mihi, optuma femina, manum.

EVNOMIA

Vbi est ea? quis ea est nam optuma? t. t. c.

82. Vulg. *M. f. t. rei hoc c. f.* Sed V. C. *haec* pro *hoc*; Pal. 1 a m. 1, *hac*. Fuerit hoc initio *heic*. *Hoc* alienum.

92. G et M, *Neque id o. h.*, quod fere praetulerim, ionico translato ad pedem primum, ubi regnant eiusmodi licentiae: nam licentia est, sed usitatissima Sarsinati, et ingenio priscae Latinorum poëseos consentanea, usurpare ionicum a minore pro baccheo.

93. Vulg. soloece, *Q. p. p. e. t. e. t. me ut f.* *Pariter* ultimam producit ante vocalem; vid. ad Amph. prol. 38. Versus eiusmodi asynartetos, quos primus ego nunc perfero in notitiam eruditorum, praeterquam hoc loco et Pseud. 1126, Plautus non usurpavit, quod sciam, sed similes pas-

MEGADORVS

Tu.

EVNOMIA

Tune ais?

MEGADORVS

Si negas, nego.

EVNOMIA

Decet quidem vera proloqui. i. t.
Nam optuma nulla eligi potest; alia alia peior, frater, est.

MEGADORVS

Idem ego arbitror, nec tibi advorsari as. ex 2 i. h.
Certum est de istac re, soror, unquam. Quid vis?

EVNOMIA

Da mi operam, amabo.

MEGADORVS

Tua est: utere, atque impera, si quid vis.
i. h. claus.

sim, velut compositos ex baccheo dimetro et iambo hypercatalecto, de quibus monui ad Amph. 422; item syllaba his longiores Most. 316, Rud. 129, 580; et syllaba breviores Most. 110, 872, Pers. 800 seq., Pseud. 249, 1262, 1276 seq.

97. Si serves vulgatam lectionem *Decet te quidem vera proloqui*, Eunomia hoc versu affirmabit, quod negat sequente: nam si vera locutus est, ut *decet* eum scilicet, Megadorus, erit eius soror optima femina, qualem tamen nullam eligi posse, h. e. nullam esse, dicit modesta mulier. Vt nunc vero locus a me est constitutus, decere se ait Eunomia, ut ipsa verum proloquatur fateaturque, optimam feminam eligi posse nullam. Sane hoc voluit poëta. Et eo quidem ducunt etiam codicum scripturae paulo divertentium, velut quorundam Langianorum, Palatinorum 5 6, et libri M, *Decet equidem v. p.*, Palatini 1, *Dedecet equidem v. p.*; nam Pal. 3 et nostri G M dilucide, *decet quidem v. p.*, ut legendum esse contendimus.

99–103. Etsi olim satis probabiliter haec ita digesseram: *Idem ego arbitro; advorsari certum est de istac re nunquam, soror.* — Ev. *Da mi operam, amabo te.* MEG. *Est tua: utere: loquere atque impera, sis.* (i. t. c.) — Ev. *Id, quod tuam in rem esse optumum arbitro, id te monitum advento.* — MEG. *Facis more tuo.* Ev. *Factum volo.* MEG. *Quid id est, soror?* (i. s.) — Ev. *Quod tibi sempiternum salutare sit!* (c. t.): — tamen aliam nunc viam insisto, quam rectiorem puto propterea, quod multo minus abducit a vulgata lectione. Sic igitur, ut dedi, locum legendum censeo,

EVNOMIA

Id, quod in rem tuam optumum arbitro esse, ted admonitum advento. t. t.

MEGADORVS

Soror, more tuo facï.

EVNOMIA

Facta volo. a. d.

MEGADORVS

Quid est id, soror?

EVNOMIA

Quod tibi sempiternum b. t.
Salutare sit liberis procreandis!

MEGADORVS

Ita dî faxint!

EVNOMIA

Volo, te uxorem
Domum ducere.

MEGADORVS

Eheu, occidi!

EVNOMIA

Quid ita?

veriverbium (ut cum Hoc loquar) expertus proverbium de secundis curis. — Vs. 99, metri genus, de quo dixi ad Amph. 422. Verba *nec tibi* deleveram auctoritate codicis G; sed iam eo nihil opus. — Vs. 100, verba *Quid vis?* absunt quidem a V. C. et Langianis, sed extant in Palatinis omnibus, nostris 3, item vett. edd., in his Mediol. Iunt. Argent., metroque pulcre comprobantur. — Vs. 101, Codices G H, *a. impera sis*; M, *impetrassis*, quos secutus eram; nec per se mala est ea lectio, nisi quod metro adversatur. Formula offerendorum officiorum *Impera, si quid vis*, recurrit Mil. 1018; cf. Poen. 895, Par. lexic. v. *Impera, si quid opus est.* *Imper'i*: vid. ad Asin. 731. — Vs. 102, *monitum* quidem, non *admonitum*, V. C. Pall. 1, 2, 4, 6, nostri 3; sed quum Helmstadiensi absit *id*, et M praeferat *id te*, ut vagari solent interpretamenta, inducor ad credendum, *te id* natum esse ex *ted*, legendumque, *ted admonitum a.* Agnominationem, qualis inest verbis *admonitum advento*, amat Noster, ut passim videre est. De singulis eiusmodi trochaicis inter alios versus venientibus monui ad Amph. 596. — Vs. 103. *Soror* μονοσυλλάβως legendum: vid. ad Amph. prol. 74. — Vs. 105. *Saluture sit lib. procr.* Ita G et H, non, ut alibi, *pro-*

MEGADORVS

Quia mihi misero cerebrum excutiunt
Tua dicta, soror: lapides loqueris.

EVNOMIA

Heia, hoc face, quod te iubet soror.

MEGADORVS

Si lubeat, faciam. i. tr. c.

EVNOMIA

In rem hoc tuam est.

MEGADORVS

Vt emorar quidem, priusquam ducam.
Quae cras venat, perendie foras, soror, feratur: 111
His legibus si quam vis dare, cedo, nuptias adorna.

creandis liberis, quod inconcinnum. Deleveram haec verba, quia ineptum videbatur, eiusmodi votum comprobari a sene exclamatione *Ita di faxint*, nomen vero uxoris tantum ei horrorem incutere, ut audito eo se occidisse dicat. Nam verba *Ita di faxint* tribuenda esse Megadoro, secus ac vulgo fit, dubitare nos non sinunt loci similes, velut infra 211, et inprimis 743; neque fugit hoc Lambinum. Verum enimvero, ut taceam, fieri posse, ut iocetur senex εἴρων, quod facit 97, 99, 107 seq., 111 sq. 114, 117 sqq., non tam ab re uxoria generatim abhorret vir optimus, quam ab uxore dotata, qualem intelligere sororem, longa eius consuetudine edoctus praenoscit; id quod ex sequentibus colligitur.

109. Posterior syllaba τοῦ *face* producitur vi sequentis *qu*, quod pro consona duplici est. Sic Bacch. 551, *malē crux*, Cas. 660, *Casinā procul*, nisi legendum sit ex V. C. *Casinus*, Pers. 479, *Dordalē*. — *Credo*, Poen. 822, *Cret* profecto est, Pseud. 124, *Pubē praesenti*, et ibidem 554, *facinorā promittere*, et scenae extremae 15, *ordinē scio*, Truc. 428, *auā clam*, 429, *avarā probrum*. Cf. Taubm. ad Mercat. I, 1, 26. Nec tamen improbaverim, *Heia hocce face*; vid. ad Amph. 138. Pall. G M et pleraeque edd., *Si iubeat, faciam*, solito errore. Non ita obnoxius hic senex, neque cum ista lectione vel antecedentia vel sequentia concinunt.

110. *Emorar* pro *emoriar* scripsi, ut mox *venat* pro *veniat*, et Ba. 313 *convenam* pro *conveniam*, pravis accentibus vocum *émoriár*, *veniát*, *conveniám*, admonitus. Sic etiam *evenat* passim est legendum, velut Ba. 111, et omnino misceri solent declinationes verborum apud veteres; vid. Scaliger ad Festum p. 104 edit. Dacer., G. I. Vossii gramm. lat. p. 139 sq., nos ad Capt. 611, Cas. 41, 415. Post hunc versum vulg. talia leguntur, *Sed his legibus, si quam dare vis, ducam*, inconcinna illa quidem, et versum 112 manifesto interpretantia, quae absunt G H et edd. Mediol. Iunt. Argent.

112. Tò *si* retraxi ex interpreta-

EVNOMIA

Quam maxuma possum tibi, frater, dare dote.

MEGADORVS

Sed grandior est natu?

EVNOMIA

Media est mulieri aetas.
Eam si iubes, frater, tibi me poscere, poscam.

MEGADORVS

Num nunc vis me interrogare te?

EVNOMIA

Imo, si quid vis, roga. t. t. c.

MEGADORVS

Post mediam aetatem qui media ducit uxorem domum,
Si eam senex anum praegnatem fortuitu fecerit,
Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Postumus?
Nunc istum ego, soror, laborem degam et deminuam tibi.
Ego virtute deum et maiorum nostrum dives sum satis:

mento, de quo modo dixi, quum eiusmodi verbum sententiae plane necessarium esse intelligerem. Pyrrichium *dare* pro iambo non est quod mireris; vid. ad Amph. 1.

114. Vulgo *Sed est grandior natu: media est mulieris aetas*, quasi haec ab Eunomia dicantur omnia, herique igitur possit, ut idem grandior natu sit et *media aetate*, quod absurdum. Quin illa *Sed grandior est natu* verba sunt Megadori, mentem sororis divinare sibi visi, nec sine εἰρωνείᾳ, qua abundat senius, pronuntiata. Vid. supra ad 103 sq. *Grandior* extremam syllabam producit; vid. ad Amph. prol. 38. Scripsi autem *mulieri*, ne dactylum sequeretur anspaestus; vid. ad Asin. 649.

116. Vulg. *Num non vis* etc. fortius quam pro re. *Nunc*, *num*, *non* saepissime confunduntur in codicibus. M, *Non nam*; sed *nam* est a correctore. Libenter ferrem, *Numnam vis* etc.

117. Vulgo *qui mediam*, quomodo 113 *maxumam – dotem* 5 Psll. et partim nostri, item nonnullae edd. vett. — *Media* V. C. Langg. et H.

118. Vulgo *praegnantem* tritiore forma. *Praegnas* passim Hic et prisci.

120. Vulgo *demam*, sed edd. primae et Pal. 3 a m. 1, item 1 et 4 a secunda, et M, *degam*, sicut Nonius, h. e. *deagam*, *diminuam*, recte; nam si *demam* dixisset Megadorus, locus non erat τῷ *diminuam*, quod minus est; sed *degere* et *diminuere* fere συνώνυμα sunt, quae coniungi possunt.

Istas magnas factiones, animos, dotis dapsilis,
Clamores, imperia, eburata vehicla, pallas, purpuram,
Nil moror, quae in servitutem sumtibus redigunt viros.

EVNOMIA

Dic mihi, sodes, quis ea est, quam vis ducere uxorem?

MEGADORVS

Eloquar.
Nostin' hunc senem Euclionem ex proxumo pauperculum? 126

EVNOMIA

Novi, hominem haud malum mecastor.

MEGADORVS

Eius cupio filiam
Virginem mihi desponderi. Verba ne facias, soror.
Scio, quid dictura es: hanc esse pauperem. Haec pauper placet.

EVNOMIA

Dî bene vortant!

MEGADORVS

Idem ego spero.

EVNOMIA

Quidni? — Numquid vis?

MEGADORVS

Vale.

122. Nonius v. *Factio: dapsilas*, veluste. Conf. Pseudol. 389 et ibi Dousa.

130. Vulgo — *spero*. Ev. *quid! me nunc quid* (G. Mediol. Iunt. Argent. *q. m. nunc vis?* procul dubio ex correctione) *vis?* Me. *vale;* quasi mirandum sit, bene sperare senem de his suis nuptiis, de quarum eventu bono vel verbo dubitasse, malum omen fuisset, prudentis atque benevolentis Eunomiae persona indignissimum. Nec melius habent sequentia *me nunc quid vis?* etiam si *numquid* reposueris, ut sane faciendum est, cum viris doctis: nam formulae, quales hae sunt abeuntium, *Numquid vis?* (Aul. 217, Merc. 318) *Numquid me vis?* (Cist. 116, 118) *Nisi quid vis* (Asin. 93), *Numquid aliud me morare?* (Poen. 779) quum aut nulla aut levissima animi commotione pronuntiari soleant, causa non est, cur a consueto verborum ordine recedatur, id quod alias saepe fieri apud Comicos, monui ad Amph. 378. Nemo igitur unquam dixit, *Me numquid vis* pro *Numquid me vis?* Quo posito consta-

EVNOMIA

Et tu, frater.

MEGADORVS

Ergo conveniam Euclionem, si domi
Est. Sed eccum nescio unde sese homo recipit domum.

EVCLIO. MEGADORVS.

EVCLIO

Praesagibat mi animus, frustra me ire, quom exibam domo: t. t. c. II, 2
Itaque abibam invitus: nam neque quisquam curialium
Venit, neque magister, quem dividere argentum oportuit.
Nunc domum properare propero: nam egomet sum hic, animus domi est.

MEGADORVS

Salvos atque fortunatus, Euclio, semper sies!

EVCLIO

Dî te ament, Megadore!

MEGADORVS

Quid tu? recten' atque ut vis, vales?

bit de corruptione loci. Sive autem totum eius indolem consideres personasque colloquentes, sive apices literarum secteris, nihil profecto aptius rei, nihil similius vulgatae lectioni reperies, quam id, quod excudi iussi, *Quidni?* quo spem fratris soror approbat. Caeterum *Vale*, vel *Valeas*, vel *Vt valeas* respondere solent eiusmodi formula ab abeuntibus compellati; vid. Merc. 318, Poen. 779, Cist. 118. *Nunc quid vis?* pro *Numquid vis?* itidem male exaratum Pseud. 656, neque erat quod in illo haererent editores.

131. *Ergo*) Vulgo *Ego*, frequente confusione. Certe *Ergo* et sententiae et versui apprime convenit, *Ego* ne versui quidem, nisi non eliso *conveniam*.

132. *Est*) Hoc in V. C. Pall. H item edd. Mediol. Argent. Iunt. antecedenti versui annumeratur, librariis miratis, ut arbitror, verbum distrahi, praesertim in extrema sententia, quum percommodus ei iuxta domi se praeberet locus. Sane ibi perbene collocari posset, modo sequens versus id fieri pateretur. Cf. infra 620, Men. 461, ubi similiter impegere scribae, Pseud. 934.

138. *Quid tu? Quid tu autem?*

EVCLIO

Non temerarium est, ubi dives blande adpellat pauperem:
Iam illic homo aurum scit me habere: eo me salutat blandius.

MEGADORVS

Ain' tu, te valere?

EVCLIO

Pol ego haud perbene a pecunia.

MEGADORVS

Pol si est animus aequos tibi, habes sat, qui bene vitam colas.

EVCLIO

Anus hercle huic indicium fecit de auro; perspicue palam est;
Quoi ego iam linguam praecidam, atque oculos ecfodiam domi!

MEGADORVS

Quid tu solus tecum loquere?

EVCLIO

Meam pauperiem conqueror:
Virginem habeo grandem, dote cassam atque inlocabilem;
Neque eam quo locare quoiquam. . . .

MEGADORVS

Tace; bonum habe animum, Euclio:
Dabitur: adiuvabere a me. Dic, si quid opust; impera.

Quid ille? Quid vos? Quid hic ipsus? —quid divitiae? —quid pater? ut legitur Capt. 210–213, notae sunt formulae loquendi, in quibus intelligendum *agis*, *agitis*, *agit*, *agunt*. Cf. Ba. 1006, Cist. 51, Capt. 478, Cas. 364, Epid. 7, 19, 141, 565, 625, Men. 101, Mil. 1097, Trin. 175, Terent. Eun. 366. Vtuntur illis vel sermonem ordientes, vel latius serere cupientes, praesertim in transitibus.

141. Vulgo inconcinne, *P. e. haud a pecunia perbene.* Langianorum *P. e. h. a p. bene* correctorem sapit.

146 sq. Edd. ταυτολογικῶς, —*inlocabilem*, *Neque eum quo locare*

EVCLIO

Nunc petit, quom pollicetur! inhiat aurum, ut devoret!
Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera!
Nemini credo, qui large blandust dives pauperi:
Vbi manum iniicit benigne, ibi onerat aliquam zamiam.
Polypos ego istos novi, qui, ubi quid tetigerunt, tenent.

MEGADORVS

Da mi operam parumper: paucis, Euclio, est quod te volo
De communi re adpellare mea et tua.

EVCLIO

Hei misero mihi!
Aurum mi intus harpagatum est: nunc hic eam rem volt, scio,
Mecum adire ad pactionem: verum intervisam domum.

quoiquam. Scripsi *quo locare*, quomodo infra legitur 441, *Quo illae nubent* etc. ibid. 443, *Quo lubeat, nubant*, Cist. 299, *Quo illanc dedisset* (nam sic MSS. et vett. edd.) Stich. 57, *alio nubere*, et ibid. 130, *quo dedisti nuptum*, et 128, *ad virum nuptum datur.* Interrumpitur autem Euclionis oratio, tale quid addituri; id durum est.

153. Vulgo secundum Gruterum Suspp. V, 5, *Ego istos novi polypos, qui sibi quidquid tetigerint, tenent.* MSS. et vett. edd., *qui uibi*, *quin ibi* (sic etiam H et M), *quin ubi*, *nunc ibi*, ut G noster, denique, *qui qu.* omisso verbo medio, ut Pal. 5, quod admisissem, si pluribus suffragiis probaretur; omnes, *quidquid.* Sed iam pridem iotellexerat Camerarius, *quid* perperam geminatum esse, nec male reposuerat, *ubi quid tetigerint, tenent*, nisi quod melius Langg. et H, *tetigerunt*, sicut ante, *Vbi manum iniicit.* Nam commentum Gruterianum vel versu refellitur, siquidem vox *polypus* primam syllabam porrectam habet apud Latinos. Mutavi autem ordinem verborum *E. i. n. p.*, tum ut, prima versus regione posita, gravius ad aures accideret ponderosior caeteris huius sententiae vox *polypos*, tum autem ut faciliores apertioresque redderentur numeri, etsi haud nesciam, *Vbi* etiam pro iambo interdum esse apud poëtas, velut infra 459, 652, Capt. 429, Cist. 460, Epid. 157, Men. 196, Most. 308, 318, Pseud. 207, Rud. 1136, Horat. Od. III, 27, 69, neque semper observari incisionem huiusmodi trochaicorum post pedem quartum, cuius rei pas im videre est exempla, velut infra 362 seq., 541 seq., 562, 594, 596, 605, 768, Asin. 867, 871 seq., 877, 879, 882, Bacch. 343, 357 etc.; verum licentiis, quales hae sunt, boni poetae utuntur rarius, praesertim ubi nullo negotio vitantur.

157. Manuscriptus Meursii, editio-

MEGADORVS

Quo abis?

EVCLIO

Iamiam ad te revortar: namque est, quod visam domum.

MEGADORVS

Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia,
Mi ut despondeat, sese a me derideri rebitur;
Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior.

EVCLIO

Dî me servant: salva res est: salvom est, si quid non perit.
Nimis male timui, priusquam intro redii! exanimatus fui!
Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.

MEGADORVS

Habeo gratiam.
Quaeso, quod te percontabor, ne id te pigeat proloqui.

EVCLIO

Dum quidem ne quid perconteris, quod non lubeat proloqui.

MEGADORVS

Dic mihi: quali me arbitrare genere prognatum?

EVCLIO

Bono.

MEGADORVS

Quid fide?

EVCLIO

Bona.

nes Mediolan. Iunt. Argent.: *domi.*
158. *Iamiam*) Vulg. *Iam*, versu manco. Acidalius tentabat: *Quoniam abis? Quo* non liquescit: vid. ad Amph. 149.
159. G et M carent τῷ *ego*, nec male. Langg. soloece, *fecerim.*
166. Vulg. *quod mihi non l. p.*, ex interpretatione, invito quidem versu.
167. M, *arbitraris*, quod recipien-

MEGADORVS

Quid factis?

EVCLIO

Neque malis, neque inprobis.

MEGADORVS

Scis meam aetatem?

EVCLIO

Scio esse grandem, itidem ut pecuniam.

MEGADORVS

Certe edepol equidem te civem sine mala omni malitia
Semper sum arbitratus, et nunc arbitror.

EVCLIO

Aurum huic olet.
Quid nunc me vis?

MEGADORVS

Quoniam tu me, et ego te, qualis sis, scio:
Quae res recte vortat mihique tibique tuaeque filiae,
Filiam tuam mi uxorem posco. Promitte, hoc fore.

EVCLIO

Heia, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis,
Vt inopem atque innoxium abs te atque abs tuis me inrideas:
Nam de te neque re, neque verbis merui, ut faceres, quod facis.

MEGADORVS

Neque edepol ego te derisum venio neque derideo,
Neque dignum arbitror.

EVCLIO

Cur igitur poscis meam gnatam tibi?

MEGADORVS

Vt me propter tibi sit melius, mihique propter te et tuos.

dum in ordinem, ne continue sequantur tres voces e litera terminatae.

171. *arbitror*) V. ad Amph. prol. 38.
180. Vulg. *Vt propter me*, quod

EVCLIO

Venit hoc mihi, Megadore, in mentem, ted esse hominem divitem,
Factiosum; me item esse hominem pauperum paupcrrumum:
Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,
Te bovem esse, et med asellum: ubi tecum coniunctus siem,
Vbi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego asinus in luto;
Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siem;
Et ted utar iniquiore, et meus med ordo inrideat;
Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortî fuat:
Asini me mordicibus scindant, cornibus insursent boves.
Hoc magnum est periclum, ab asinis me ad boves transcendere.

MEGADORVS

Quam ad probos propinquitate proxume te adiunxeris,
Tam optumum est. Tu conditionem hanc accipe (ausculta mihi),
Atque eam mihi desponde.

tulissem, si *me* h. l. esset ἐγκλητικὸν ut pronuntiaretur *proptér me*: vide nos ad Terent. Andr. 667. Nunc vel numeri sunt indicio, legendum esse *me propter* per anastrophen. Vid. lexic. Par. Mantissa vocc. Anastrophe et Metathesis.

182. *me* non liquescit, sed corripitur: vid. ad Amph. 149. *Esse* exhibent omnes libri MSS., quod male omiserunt Gronovius Ernestiusque.

184. Vulg. *me esse as.*, liquescente et vix audito pronomine ὀρθοτόνουμένῳ. Langg. *me as.*

189. MSS. *mordicus*, *mordibus*, ut G, *morsibus*, ut Pall. 1, 2, 6, et M. Nonius et edd. Iunt. Argent. Ald. Camer.: *mordicibus*, h. e. dentibus, quomodo etiam Capt. 527, Pal. 4, teste Pareo, et edd. Iunt. Argent. Ald. Basil. Brix. Vocem rariorem usitatissimae cessisse, consentaneum. Ceterum vulg. *boves incursent cornibus*, τῷ *bovés* in unam syllabam contracto, sicut *Iovem* Amph. prol. 90, ubi vide quae annotamus. Sed praestat plene exaudiri vocem gravem.

193. Libri, *A. eam desponde mihi*, recte, modo reponatur *mi* pro *mihi*.

EVCLIO

At nihil est dotis quod dem.

MEGADORVS

Ne duas:

Dummodo morata recte veniat, dotata est satis.

EVCLIO

Eo dico, *ut* ne me thesauros reperisse censeas.

MEGADORVS

Novi: ne doceas. Desponde.

EVCLIO

Fiat. — Sed proh Iupiter!

Num ego disperii?

MEGADORVS

Quid tibi est?

EVCLIO

Quid crepuit quasi ferrum modo?

MEGADORVS

Hic apud me hortum confodere iussi. Sed ubi hinc est homo?
Abiit, neque me certiorem fecit: fastidit mei.
Quia videt me suam amicitiam velle, more hominum facit:
Nam si opulentus it petitum pauperioris gratiam,
Pauper metuit congrediri; per metum male rem gerit;
Idem, quando occasio illaec periit, post sero cupit.

195. Edd. pravo numero, *Eo dicó, ne* etc.

196. *Novi: ne doceas*) Formula loquendi, ubi molestum colloquium finiri cupimus. Cf. infra 386, Truc. 750, et nos ad Terent. Eun. 229. Cognata huic est formula despicientis: *Non ego te novi?* et saepe recurrens illud *Scio*. Vid. Capt. 436, Cas. 602, Rud. 898.

197. Vulg. versu impingente, *Non e. d.?* Langg. *Num*, V. C. et Pal. 3, *Nun*. Vid. supra ad 116.

198. Forte exaratum *hinc* pro *hic*, quae est librorum omnium, praeterquam Langianorum, lectio.

200. G, *vidit*.

202. Vulg. inconcinne, *congredi*. Sensit Acid.

EVCLIO

Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus,
Imperoque auctorque sum, ut me quoivis castrandum loces.

MEGADORVS

Video hercle ego ted arbitrari me, Euclio, hominem idoneum,
Quem senecta aetate ludos facias, haud merito meo.

EVCLIO

Neque edepol, Megadore, facio, neque, si cupiam, copia est.

MEGADORVS

Quid nunc? etiam mihi despondes filiam?

EVCLIO

Illis legibus,
Cum illa dote, quam tibi dixi.

MEGADORVS

Sponden' ergo?

EVCLIO

Spondeo.

MEGADORVS

Dî bene vortant!

EVCLIO

Ita dî faxint! illud facito ut memineris
Convenisse, ut ne quid dotis mea ad te adferret filia.

205. Libri nullo numero, *Impero auct. s., ut tu me c. c. l.* Ferrem quoque, *Imperod. auct. s.:* vid. ad Amph. prol. 149. Non enim huc pertinent ista Epicorum: *Chloreaquē Sybarimque Daretaque Thersilochumque*, et *Sarculaquē rastrique*, et *Taxiquē pinusque*, de quibus adi, sis, Wasii Senarium cap. 5. *Tu* abest Langg. G M lunt. etc.

211. Vulg. *Istuc di b. v.*, versu novenario, quo nihil opus. Notae formulae vel sibimet vel aliis fausta precantium *Di bene vertant*, *Quae res bene* vel *recte vertat:* cf. supra 130, 173, infra 226, 742 sqq., Pseud. 637. Trin. 466, 468, 538 sqq. Quibus respondent *Ita di faxint*, *Ita dī faciant*: cf. infra 743 sqq. Tò *istuc* ab interprete adscriptum censeo. Si quis

MEGADORVS

Memini.

EVCLIO

At scio, quo vos soleatis pacto perplexarier:
Pactum non pactum est, non pactum pactum est, quod vobis lubet.

MEGADORVS

Nulla controversia mihi tecum erit. Sed nuptias.
Hodie quin faciamus, num quae causa?

EVCLIO

Imo edepol optuma.

MEGADORVS

Ibo igitur; parabo. Numquid vis?

EVCLIO

Istuc.

MEGADORVS

Fiat. Vale.
Heus, Strobile, sequere propere me ad macellum strenue.

EVCLIO

Ille hinc abiit. Dî inmortales, obsecro, aurum quid valet!
Credo ego illunc iam inaudisse, mi esse thesaurum domi:
Id inhiat; ea adfinitatem hanc obstinavit gratia.

tamen est, qui id mordicus retineat, is antecedenti versiculo apponet: vid. ad Amph. 596.

216 sqq. Inconcinne vulgatae: *causa est? — numquid me vis?* Vulg. quoque: *Fiet*. Sequor Langianos: vid. ad Asin. 805.

221. G, *obfirmavit*.

EVCLIO. STAPHYLA.

EVCLIO

Vbi tu es, quae deblaterasti iam vicinis omnibus, t. t. c. II, 3
Meae me filiae daturum dotem? Heus, Staphyla, te voco:
Ecquid audis? Vascula intus pura propere atque elue.
Filiam despondi ego; hodie nuptum huic Megadoro dabo.

STAPHYLA

Dî bene vortant! Verum ecastor non potest: subitum est nimis.

EVCLIO

Tace atque abi! Curata fac sint, quom a foro redeam domum,
Atque occludito aedis: iam ego hic adero.

STAPHYLA

Quid ego nunc agam?
Nunc prope adest nobis exitium, mi atque herili filiae:
Nam probrum atque partitudo prope adest ut fiat palam;
Quod celatum atque occultatum est usque adhuc, nunc non potest.
Ibo intro, ut herus quae imperavit, facta, quom veniat, sient.
Nam ecastor malum moerore metuo ne mistum bibam.

224 Insulse libri, *pure* (H, *para*) *propera a. e.* Nihil melius Palmerii commento, quod expressi.

227. *Tace*) Addideram *tu*, ut versus hic efficeretur trochaicus, quales sunt reliqui huius scenae. Sed nihil opus: apte enim iambus usurpatur ad declarandum senis animum commotiorem.

228. Vulg. *occlude*, quod ferri potest, modo legas *A. aedis obclude*, prout est in G M. H, *obclude*.

232. G, *veniet*, H, *venient*.

233. Vulg. *malum moerorem metuo*

STROBILVS. ANTHRAX. CONGRIO.

STROBILVS

Postquam obsonavit herus et conduxit cocos i. s. III, 1
Tibicinasque hasce apud forum, edixit mihi,
Vt dispartirem obsonium hinc bifariam.

ANTHRAX

Me tu quidem hercle (edico palam) non divides;
Si quo tu totum me ire vis, operam dabo.

CONGRIO

Bellum et pudicum vero prostibulum popli!
Post, si quis vellet, te haud non velles dividi.

STROBILVS

Atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram,
Non istuc, quo tu insimulas. Sed herus nuptias

ne m. b., quod alii aliter emendant. Recte I. F. Gronovius: «Scribe: *Malum moerore metuo ne mistum bibam*: Malum cui additus sit moeror, ut vinum bibitur mistum aqua». Comparat Acidalius Cas. 752, Rud. 786, Most. 342.

236. Vulg. *hic*, minus bene. *Hinc*, ex emta copia: cf. 245.

237. Haec vulgo Congrioni tribuuntur, ut propemodum per totam hanc scenam confusa coquorum nomina. Haec Anthracis esse, liquet e Strobili excusatione 241, animadvertente etiam Acidalio. Et sic M. Vulg. autem nullis numeris: *Me quidem h.*, *dicam palam*, *n. d.* *Tu* a Lipsio est Epist. Quaest. V, 14. *Dicam palam* scriptum puto sicut supra 232, *venient*, *sient*, et *Omnia mala* Men. 619, oculis librarii a prioris verbi fine ad posterioris aberrantibus. Certe *dicam* versum impedit, et *edico*, tanquam praetor vel ipse Megadorus (vid. 235), elegantissimi usus est neque a consuetudine Nostri alienum: vid. Parei lexic. Plaut. h. v. Acidalium et codicem M fere sequor in ordinandis h. l. personis colloquentibus.

239. *Bellum et pudicum*) Componuntur haec verba tanquam ex formula: cf. Amph. 193, Capt. 925: nam bene idem τῷ *belle*, quod contractum, quum proprie esset *benule* a *benulus*, h. e. *benus*, quomodo pro bonus dixisse veteres notum est. Vero, ἐτὸν, vel iram saepe exprimit, vel ironiam: vide nos ad Terent. Andr. 599.

242. Vulg. soloece, *quod tu ins.* Respondent sibi *aliovorsum*, *istuc*, *quo*. Sed ad coniunctionem tantum valet: vid. ad Amph. 938.

Meus hodie faciet.

ANTHRAX

Quoius ducet filiam?

STROBILVS

Vicinid Euclionis huius e proximo.
Ei adeo obsonî hinc iussit dimidium dari,
Cocum alterum, itidemque alteram tibicinam.

ANTHRAX

Nempe huc dimidium dicis, dimidium domum?

STROBILVS

Nempe, sicut dicis.

ANTHRAX

Quid? hic non poterat de suo
Senex obsonari filiai in nuptiis?

STROBILVS

Vah!

ANTHRAX

Quid negotî est?

STROBILVS

Quid negotî sit, rogas?
Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex.

ANTHRAX

Ain' tandem, ita esse, ut dicis?

STROBILVS

Tute existuma.

243. *ducet*) Ita Langg., sicut modo dictum *faciet*. Vulg. *ducit*.

244. *Vicini huius E. hinc e pr.*) Ita versum fulciebat Reizius, nec male. Praestat tamen legi absque ullo additamento: *Vicinid Euclionis huius e proximo*. De *d* ephelcystico vid. ad Amph. prol. 149. *Huius*, *Eius*, *Cuius* sexcenties pro monosyllabis sunt ap. Comicos: vid. Acidalii Div. pag. 452, Bentleii Schediasma de metr. Terent. cap. 8.

247. Pall. 6 et Lambini nescio qui codd., item Merulae editio prima, *ducis*, πέμπεις, quod placebat Dousae, Acidalio, aliis, Bacch. 80, Cas. 582, Truc. 520, conferentibus. Ceterum vulg.: *N. huic d. d. d. domi*. Sed Langg.: *domui*, h. e. haud dubie domum, ut reponendum esse vidit Acidalius. *Huic* saepe permutatur cum *Huc*, quod τῷ *domum* longe melius convenit, quam illud.

248. *Nempe* h. l. pronuntiandum ut *Nemp'*, ne creticus invehatur pro iambo: vid. ad Asin. 770.

249. Vulg. *filia*, labante versu. *Fi-*

Quin divom atque hominum clamat continuo fidem,
Suam rem periisse, seque eradicarier,
De suo tigillo fumus si qua exit foras.
Quin, quom it dormitum, follem obstringit ob gulam.

ANTHRAX

Cur?

STROBILVS

Ne quid animae forte amittat dormiens.

ANTHRAX

Etiamne obturat inferiorem gutturem?

STROBILVS

Haec mihi ted, ut tibi med, aequom est credere.

ANTHRAX

Credo imo equidem, credo.

STROBILVS

At scin' etiam quomodo?
Aquam hercle plorat, quom lavat, profundere.

ANTHRAX

Censen', talentum magnum exorari potis

liai iam aliis in mentem venit.

254. G, *S. r. p. atque ipsum er.*

256. Gronovius et eius asseclae, pessumdato versu, *follem sibi o. o. g.* Istud *sibi* in solo M reperi.

259. Pessime libri post hunc versum repetunt: *Ne quid animae forte amittat dormiens*, quae recte absunt G.

260. *Haec mihi ted, ut tibi med aequom est credere*) Bene Acidalius Divinat. in Aul. cap. 3: «Quod ait Strobilus, in eo tacite ioci quiddam est, sed civilioris. Neutri enim innuit ab altero credendum. Similiter Poenulo 359, quum miles Anthemonides post narratam hominum volaticorum caedem interrogat: *An haec mihi non credis?* urbane leno Lycus respondet: *Credo, ut mihi aequum est credier*, quo tecte, quamquam aperte satis, indicat, habere se tantundem militi fidei, quantum sibi, utpote lenoni, aequum ab aliis sit haberi». Cf. etiam Epid. 121. Caeterum V. C, Pall. 3–6, H, et vett. edd., in his Colon. Iunt.: — *credere credo.* Hoc *credo* in *crede* mutatum sequenti versui praeponebat Acidalius. Sed praestat, verbum Anthraci tribuere in hunc modum: AN. *Credo imo equidem, credo.* ST. *At* etc. *Imo* postpositum haud concoquebant, ut opinor, scribae, de quo vid. inprimis I. F. Gronov. ad Capt. 284. Cf. infra 720, ubi ipse similiter impegi cum Nicol. Angelio.

262. Vulg. *exorari potesse.* Sed *potesse* Pal. tantum 6, et, ut videtur,

Ab istoc sene ut det, qui fiamus liberi?

STROBILVS

Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.
Quin ipsi pridem tonsor unguis demserat:
Conlegit, omnia abstulit, praesegmina.

ANTHRAX

Edepol mortalem parce parcum praedicas.

CONGRIO

Censen' vero, adeo parcum et misere vivere?

STROBILVS

Pulmentum pridem eii eripuit miliios:
Homo ad praetorem deplorabundus venit;
Infit ibi postulare, plorans, eiulans,
Vt sibi liceret miliiom vadarier.
Sexcenta sunt, quae memorem, si sit otium.
Sed uter vostrorum est celerior? memora mihi.

CONGRIO

Ego, ut multo melior.

STROBILVS

Cocum ego, non furem, rogo.

Langg.; 4 alii Pall. et V. C., *potest*; 5, *posse*. G, *te exorari*. — *Potis* pro *potis esse*, sicut passim subaudiri *Esse* monui ad Amph. 168. Nam durum foret ita scribere distracta voce: AN. *Censen' talentum magnum exorari potesse ab istoc* etc. Olim infinitivum *exorarier* accipiebam pro supino *exoratum iri*, quomodo, alios locos ut taceam, Capt. 3 *dicere* valet *dictum iri*; quem usum miratos *potest* vel *posse* vel *potesse* interpretandi causa addidisse et pro *exorarier* metri gratia *exorari* scripsisse librarios arbitrabar. Sed abstinendum, ubicunque fieri potest, medicinis asperioribus.

268. Vulg. ex mala interpretatione, nec salvis numeris, *adeo esse parcum*. Haec vulgo continuantur sub Anthracis persona. Sed is se ista omnia credere Strobilo, iam 260 affirmavit, nec denuo dubitandi nunc est locus. Imo quia non videtur dubitare Anthrax, ideo mirabundus alter coquus: *Censen' vero* etc.

269. Libri, *P. p. ei eripuit m.*, versu imperfecto. Vett. quaedam edd., *eidem* pro *ei*, quod *etiam* fuisse suspicabar. Sed legendum non elisa voce *pridem*: — *Pulmentum pridem eii eripuit miluos*.

275. Langg. minus bene: *Ego multo melior*. Propterea celeriorem se esse ait Congrio, quia multo melior sit,

CONGRIO

Cocum ergo dico.

STROBILVS

Quid tu ais?

ANTHRAX

Sic sum, ut vides. 276

CONGRIO

Cocus ille nundinalist: in nonum diem
Solet ire coctum.

ANTHRAX

Tun', trium literarum homo,
Me vituperas?

CONGRIO

Fur? Etiam fur trifurcifer. . . .

STROBILVS

Tace nunc iam tu, atque agnum hinc uter est pinguior, . . .

CONGRIO

Licet. . .?

STROBILVS

Tu sume.

CONGRIO

At qui?

h. e. artem suam longe melius calleat, quam Anthrax.

276. *ergo*) Debetur hoc Acidalio. Vulg. inconcinne, *ego*, proclivi quidem lapsu. *Sic sum ut vides*, Τοιόσδ', οἷος ὁρᾷς, ut ait Theocritus XXII, 59. Gruterus Susp. V, 9: «Sermo est hominis nec laudantis se, nec vituperantis, et existimaverim fuisse formulam, qua utebantur vulgo, quum oculis suis quemque credere iuberent, ita ut sui nihil praeterea praestarent», Confert Amph. 446, Rud. prol. 3, Terent. Phorm. 489, quibus addas licet Bacch. 1136.

279. Vulg. Grutero et Acidalio auctoribus haec uni tribuuntur Anthraci, ut eandem is rem et figurate dicat et proprie, quod inficetum. In libris fere verba *Me vituperas*, *fur* continuantur sub persona Congrionis, reliquis huius versus Anthraci adscriptis. Sed hoc parum est, audiendique sane aliqui Langianorum, orationem alterius coqui voce *vituperas* finientium. Ceterum nove dictum *trium literarum homo* miratus Congrio, quaerit: *Fur?* h. e. Num fur est, quem dicis? alteroque ad id renidente, statim subiicit iratissimus: *Etiam fur trifurcifer* .... (h. e. *Fur etiam trifurcifer*, per transpositionem: vid. ad Amph. 378) additurus hoc vel quiddam simile: *tu ipse es*; sed interpellatur a Strobilo.

281. Vulg. Co. *Licet*. St. *tu Con-*

STROBILVS

Abi intro huc. Vos eum sequimini.
Vos ceteri illuc ad nos.

CONGRIO

Hercle iniuria
Dispartivisti: pinguiorem agnum isti habent.

STROBILVS

At tibi nunc dabitur pinguior tibicina.
I sane cum illo, Phrygia. Tu autem, Eleusium,
Huc intro abidum ad nos.

CONGRIO

O Strobile subdole,
Huccine detrusti me ad senem parcissumum,

grio eum sume, *atque* (Langg. *Atque*) *abi Intro illuc*, *et* (*et* abest M) *vos illum* (nostri 3, *eum*) *sequimini*: *Vos ceteri illuc ad nos*, quasi pinguior agnus daretur Congrioni, quum Anthrax eum acceperit, ut versu 283 intelligitur. Deinde non *illuc* dicendum erat priore loco, ne de Megadori domo cogitaremus, quae hic quidem ita designatur, sed *huc*, Euclionis domum, ante quam stabant homines, quamque digito monstrat servus. Nam quod mox itidem de illa dicitur *Huc*, *Hic*, in causa est aedium vicinitas, neque ibi altera alteri domui tam opponitur, quam h. l. Sublato igitur Congrionis nomine, perperam inculcato (nam Anthraci Strobilus dicit: *Tu sume*), priore *illuc* in *huc* mutato deletisque otiosis nonnullis voculis, haec sanaveram, sed non persanaveram: nam restabat ulcus foedissimum, quod nescio quo pacto non animadverti, ubi Anthrax iubetur abire *huc*, i.e. Euclionis domum, quum Megadori dicat Strobilus. Non de nihilo est, opinor, quod Langiani: *Atque*, non, *atque*. Hinc colligere mihi videor, ea voce novam alterius incipere orationem, proinde totum locum sic, ut nunc legitur, emendavi et in numeros suos restitui. — Vs. 281, Congrio: *Licet* ..... h. e.: Licet eum mihi sumere? Ad quae Strobilus, Anthracem alloquens: *Tu sume*; causamque iniustae divisionis sciscitanti Congrioni, de illa quidem etiam verbum facere dedignatus, imperiose respondet: *Abi intro huc* etc. *At qui?* sicut infra 291: *Qui vero?* Cf. Parei lexic. verb. *Qui*. Personarum notas in scriptoribus dramaticis temere addi, omitti, mutari denique solere a librariis, nemo nescit.

283. *Dispartivisti*) Sic H; vulg. *Dispertivisti*. Vid. ad Amph. 64.

286. *abidum*) Ita Iunt. Ald., quod non spernendum duxi: nam sic passim Comicus *Memoradum*, *Iubedum*, *Tangedum*, etc.: vid. Parei lexic. v. *Dum*. Vulg. *abi*.

287. ἀμέτρως, *detrusisti*. Correxit Acid.

Vbi, si quid poscam, usque ad ravim poscam prius
Quam quidquam detur?

STROBILVS

Stultius et sine gratia est,
Te ibi recte facere, quando, quod facias, perit.

CONGRIO

Qui vero?

STROBILVS

Rogitas? Iam principio in aedibus
Turba istic nulla tibi erit; si qui uti voles,
Domo abs te adferto, ne operam perdas poscere.
Hic autem apud nos magna turba ac familia est,
Supellex, aurum, vestes, vasa argentea:
Ibi si perierit quidpiam (quod te scio
Facile abstinere posse, si nihil obviam est),
Dicant: Coci abstulerunt: comprehendite,
Vincite, verberate, in puteum condite!
Horunc tibi istic nihil eveniet: quippe qui,

289. *Stultius*) Vulg. *Stultum*, ex interpretatione, puto. V. C. Pall. 4 et 3 nostri, item vett. edd., *Stultus*, et *es* pro *est*, solito quidem hoc errore. Notus graecissans hic usus comparativi pro positivo, cuius usus exemplis, a Vechnero prolatis Hellenolex I, 1, 5, addo Amph. prol. 56, Ba. 42, Capt. 621, Men. 985, Merc. 264, Most. 1020, Poen. 223, 228, 743, 1139, Rud. 372, 774, 1106, Trin. 830, 891, 1022, quo pertinent etiam *minus* pro *non* adhibitum, et formula illa iuris *Melius Aequius*, de qua vid. Cic. de Off. III, 15.

290. *Te ibi*) Sic Acid. pro vulgato *Tibi*, quomodo passim secunda persona usurpatur more etiam Graecorum. Cf. Cas. 168 etc.

292. *qui*) Vulg. *quod*; sed libri fere, etiam nostri, *quid*. Vtrumque inconcinnum. Sensit Gruterus, non sensere Gronovius Ernestiusque.

294. Vulg. abest *autem*, quod praebent Langg., 3 nostri, et quaedam vett. edd. In iisdem, quum a Langianis discesseris, item in V. C. et Pall., alterum *magna* non conspicitur.

296. Vulg. *Ibi si perierit q.* Haec transposueram: *quidp. si perierit*, ut vox *perierit* eum accentum haberet, quem Plauti aevo accipere solebant eiusmodi verba quadrisyllaba: vid. ad Amph. 203. Verum quum restent tamen multa poëtarum loca, eaque sanissima, in quibus ista lex migratur, praestat naturalem verborum ordinem servare in scriptore Comico.

* 300 sqq. *quippe qui*, *Vbi quid subripias*, *nihil est.* Sic legendus atque interpungendus locus: nam nescio

Vbi quid subripias, nihil est. Sequere hac me.

ANTHRAX

Sequor.

STROBILVS. STAPHYLA. CONGRIO.

STROBILVS

Heus, Staphyla, prodi atque ostium aperi!

STAPHYLA

Qui vocat? i. s. III, 2

STROBILVS

Strobilus.

STAPHYLA

Quid vis?

STROBILVS

Hos ut accipias cocos
Tibicinamque obsoniumque in nuptias.
Megadorus iussit Euclioni haec mittere.

STAPHYLA

Cererin' facturi has, mi Strobile, nuptias?

STROBILVS

Qui?

STAPHYLA

Quia temeti nihil adlatum intellego.

STROBILVS

At iam adferetur, si a foro ipsus redierit.

STAPHYLA

Ligna hic apud nos nulla sunt.

quo casu *quod* pro *quid* exaratum est in prima editione. Ἀνακόλουθον autem hoc est, simile illi Pseud. 465 sqq. *Hercle qui, ut tu praedicas, Cavendum est mi abs te irato.* Cf. ibid. 640 sqq., Terent. Heaut. 486, ubi male *Quippe qui* pro *Quippe* accipit Faërnus, nosque ad Terent. Hec. 428–431. Aliorum exempla ἀνακολούθων habes Cas. 79 sqq. Mil. 140 sqq. Pseud. 519 sqq.

306. Vulg. abest *mi*, quod praebet Macrob. Saturn. III, 11, itaque versum sanat.

CONGRIO

Sunt asseres?

STAPHYLA

Sunt pol.

CONGRIO

Sunt igitur ligna: ne quaeras foris.

STAPHYLA

Quid, inpurate? quamquam Volcano studes,
Coenaene causa, aut tuae mercedis gratia,
Nos nostras aedis postulas conburere?

CONGRIO

Haud postulo.

STROBILVS

Duc istos intro.

STAPHYLA

Sequimini.

PYTHODICVS

Curate; ego intervisam, quid faciant coci, i. s. III, 3
Quos pol ego ut hodie servem, cura maxuma est.
Nisi unum hoc faciam, in puteo uti coenam coquant;
Inde coctam sursum subducemus corbulis;
Sin autem deorsum comedant, si quid coxerint,
Superi incoenati sint, et coenati inferi.
Sed verba hic facio, quasi negotî nil siet,
Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus.

319. V. *Si*, hiante vs. Opp. *deorsum comesa coena sursum subductae in corbulis.*

EVCLIO. CONGRIO.

EVCLIO

Volui animum tandem confirmare hodie meum, i. s. III, 4
Vt bene me haberem filiai in nuptiis:
Venio ad macellum, rogito piscis; indicant
Caros, agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia;
Atque eo fuerunt cariora, aes non erat.
Abeo inde iratus, quoniam nihil est, quid emam:
Ita illis inpuris omnibus adivi manum.
Deinde egomet mecum cogitare inter vias
Occepi; Festo die si quid prodegeris,
Profesto egere liceat, nisi peperceris.
Postquam hanc rationem cordi ventrique edidi,
Accessit animus ad meam sententiam:
Quam minumo sumtu filiam ut nuptum darem.
Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas;
Haec inponentur in foco nostro Lari,
Vt fortunatas gnatae faciat nuptias.
Sed quid ego apertas aedis nostras conspicor?
Et strepitus intust! Numnam ego conpilor miser?

CONGRIO

Aulam maiorem, si potest, viciniam

324. Vulg. abest *me*, quod inter lineas ante filiae praebebat V. C. Vulg. *quoque*, itidem inconcinne: *filiae nuptiis*. Iunt. et Argent. 1514: *fil. me in n*. Sequor Vossium. Conf. 248, 492, 751.

329. Vulg. nullis numeris, *A. iratus illinc, q. n. e. qui e.*

337. Ita Priscianus lib. III, p. 611 Putsch., quem emendatiores Plauti codices versasse constat, quam qui nunc habentur. Vulg. *N. t. e. atque hasce cor. f.*

342. *si potest*, h. e.: si fieri potest, ut passim loquuntur: cf. Merc. 766, ubi τὸ *dari* deleri versus iubet, Most. 734, Pseud. 624, Terent. Phorm. 269. Vulg. *si potes*, prorsus inusitate

Pete: haec est parva; capere non quit.

EVCLIO

Hei mihi!
Perii hercle hodie! aurum rapitur! aula quaeritur!
Nimirum occidor, ni intro huc propero currere!
Apollo, quaeso, subveni mi atque adiuva,
Quoi *tu* in re tali iam subvenisti antidhac!
Confige sagittis fures thesaurarios!
Sed cesso prius, quam prorsus perii, currere?

ANTHRAX

Dromo, desquama piscis. Tu, Machaerio, i. s. III, 5
Congrum, muraenam exdorsua, quantum potest.
Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto
A Congrione. Tu istum gallum, si sapis,

in hoc genere. Vid. Dousa ad 350 vel Centur. I, 13. *Viciniam* fere scripti, in his H. Vulg. soloece, *vicinia*.

344. Vulg. *P. hercle! aurum* etc. versu manco, nisi legas *hercule*, minus quidem ex usu Comicorum. Editio vetustissima Brixiensis, teste Gulielmio Quaest. in Aul. cap. 4, *Perii, hodie aurum* etc. Verborum *hercle* et *hodie* alterum alteri fraudi fuisse suspicabar, ut non semel factum. Similiter Poen. 1004: *Opino hercle hodie, quod ego* etc.; et sic saepius ista componuntur.

345. Vulg. perverso numero: *N. o., n. ego intro huc propere propero currere.* Abest *propere* Pall., nostris 3, et aliquot edd. vett.

347. Vulg. *tu* desideratur, horridiore versu.

351. Pro hoc uno versiculo duo veniunt in vulgatis huiusmodi: *Congrum, muraenam exdorsua quantum potes: Atque omnia, dum absum hinc, exossata fac sient.* Et prior quidem versus et a Nonio laudatur 1 n. 61, et exstat in nonnullis bonae notae MSS. velut Pal. 3, (vel 4 secundum Taubmannum) et nostris G H. Posterioris nec vola nec vestigium in iisdem libris et edd. vett.; Palatini vero et V. C., quibuscum facit noster M, pro istis omnibus haec tantummodo exhibent: *Congrum muraenam exossata fac sient.* Recte Gruterus ad h. l. «Optimus ille vir (Camerarius) quum secundum versum (*Congrum* etc.) videret extare in Marcello ac vett. edd., noluit eum eiicere, sed potius quum videret extare in MS. suo *exossata fac sient*, de suo versum supplevit. Verum aut omnia me fallunt, aut *exossata fac sient* est a glossa scribarum ad illud *exdorsua;*

Glabriorem reddes mihi, quam volsus ludiust.
Sed quid hoc clamoris oritur hinc ex proxumo?
Coci hercle, credo, faciunt officium suom.
Fugiam intro, ne quid turbai hic itidem fuat.

CONGRIO

Obdati cives, populares, incolae, adcolae, advenae omnes, t. t. III, 6
Date viam, qua fugere liceat! facite totae plateae pateant!
Neque ego unquam, nisi hodie, ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum:
Ita me miserum et meos discipulos fustibus male contuderunt.
Totus doleo, atque oppido perii: ita me iste habuit senex gymnasium.
Neque ligna usquam ego gentium praeberi vidi pulcrius. t.t. c.

itaque qui versum cum rursum exturbaret, nihil peccaret in antiquitatem, nisi Pareauam».

356. *Coci h. c. faciunt officium suom*) Hoc est, furantur, ut recte meliores interpretes, siquidem harpagones passim audiunt *coqui* apud Nostrum. Pseud. 791 sqq.: *Forum coquinum qui vocant, stulte vocant: Nam non coquinum est, verum forinum est forum* etc. Cf. ibid. 852 sqq., 948 sqq., supra 275 et 397, ubi ridicule coquus Congrio iurat per Lavernam, Cas. 583 sqq.

357. Vulg. pessimis numeris: *F. i. ne quid hic turbae fiat itidem.* MSS. et edd. vett. fere: *F. i. ne quid turbae hic itidem fiat.*

358. Vulg. *Optati*, quod exponunt *vocati* et *implorati*. Haec significatio verbi dum probetur, interim scripsi *Obdati*, h. e. obviam dati vel facti, sicut passim valet *Ob* praepositio, praesertim apud priscos. Certe nihil ineptius, quam optatos consueta vocis potestate dici eos, quos de via sibi decedere vult Congrio, quibus passim etiam malum minitantur, tantum abest ut eos desiderent: vid. Amph. 819 sqq., Capt. 723 sqq., Curc. 278 sqq., Merc. 114 sqq., Stich. 270 sqq.

360. Festus: *Coquitare* pro *Coctitare*, i. e. frequenter coquere, Plautus posuit. Monet Meursius Exerce. crit. in Aul. cap. 2, nec tamen inficiatur, veteres etiam haec et similia usurpasse *Coquino*, *Natino*, *Negino*.

Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos fustibus. i. t.
Attat, perii hercle ego miser! aperit, adest, sequitur! i. tr. h.
Scio, quam rem geram: hoc ipsus me magister docuit.

EVCLIO. CONGRIO.

EVCLIO

Redi! quo fugis nunc? tene, tene!

CONGRIO

Quid, stolide, clamas? i. tr. h. III, 7

EVCLIO

Quia ad Trisviros iam ego deferam tuom nomen.

CONGRIO

Quamobrem?

EVCLIO

Quia cultrum habes.

CONGRIO

Cocum decet.

EVCLIO

Quia comminatus
Mihi.

CONGRIO

Istuc malefactum arbitror, quia non latus fodi.

EVCLIO

Homo nullust te scelestior qui vivat hodie,
Neque quoi de industria ego amplius male lubens faxim!

365. Vulg. ex interpretatione, quae versui officit, *aperit Bacchanal*, adest.
368. Langg., *perfero*.
369. Minus vivide libri: *Quid comminatus*. Facillime olim *a* et *d* literae miscebantur.

372. Vulg. versu monstroso: *Neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim*. Mal feci, quum τὸ *lubens* sustuli, tanquam glossema verborum *de industria*. *Plus* eo nomine tollendum est legendumque: *Neque*

CONGRIO

Pol etsi taceas, palam id quidem est: res ipsa testis:
Ita fustibus sum miser mollior mage, quam ullus cinaedus. 374
Sed quid tibi nos, homo mendice, est tactio? quae res?

EVCLIO

Etiam rogas? an quia minus, quam erat aequom, feci?
Sine!

CONGRIO

At hercle cum magno malo tuo, si occiput sentit.

EVCLIO

Pol ego haud scio, quid post fuat: tuom sinciput sentit.
Sed in aedibus quid tibi meis nam erat negotî
Me absente, nisi ego iusseram? volo scire.

quoi de industria ego amplius male lubens faxim. Mali pro *male* nescio quis repererit, sicut equidem reperi in G (H, *mulis*), iamque cum eo coniunctum *amplius* τῷ *plus* explicandum sibi sumserit.

376. Vulg. *Etiam rogitas*, quod trochaici est initium, non iambi. *Rogare* et *rogitare* saepius confusa. Sic itidem peccatum 389.

377. *Sine*) Hoc v. Congrioni tribuitur, quasi is seni minetur, quum, contra esse, ex sequentibus Congrionis *At – sentit* liquide appareat. Caeterum v.: *At hercle cum malo magno tuo, si hoc caput sentit.* Ev. *Pol ego haud scio quid post fiat, tuum nunc caput sentit.* In quibus ne mica quidem salis: nam quid hoc sibi vult, quod senem dicentem faciunt, se nescire, *quid post fiat*, hoc est (sed pene soloece), quid post futurum sit? Non futurum aliquod malum est, sed praesentissimum, quod coquo minatur senex iratior. Momento temporis ab hoc ille vapulavit vapulaturusque est, ut vix discrimen harum actionum detur, quamobrem alteram nunc fieri, alteram post futuram esse dicas. Quid multa? Corruptus est locus, et ita, nisi fallor, ut in hac editione factum est, emendandus. Scilicet primum Congrioni in oculos involaverat Euclio, hominique, quod Hic ait Most. 600, os verberaverat fuste, non argento. Iam vero postquam coquus se in pedes dedit, non amplius *sincipiti* erat timendum, sed *occipiti*; quamobrem scripsi: *At hercle cum magno malo tuo, si occiput sentit.* Ad quae senex: *Pol ego haud scio, quid post* (h. e. in posteriori parte capitis, sive occipite tuo) *fuat*; (sed) *tuom sinciput* (quidem) *sentit.* Quod verba attinet, *hoc caput* non longe distat ab *occiput* (vid. ad Asin. 24), neque in *sinciput* pro *nunc caput* a me reposito quidquam est, quod reprehendas, praeter unius literae dissimilitudinem; *fuat* iam aliis in mentem venerat: vid. Pareus ad h. l. et G. Hermannus De metris pag. 171.

CONGRIO

Tace ergo:
Quia venimus coctum ad nuptias.

EVCLIO

Quid tu, malum, curas,
Vtrumne ego crudum an coctum edim, nisi tu mi es tutor?

CONGRIO

Volo scire, sinas, an non sinas, nos coquere hic coenam?

EVCLIO

Volo scire item ego, meaen' domi mea salva futura?

CONGRIO

Vtinam mea, quae attuli, modo auferam mihi salva!
Mei haud poenitet: tuane expetam?

EVCLIO

Scio: ne doce, novi.

CONGRIO

Quid est, qua nunc prohibes gratia nos coquere hic coenam?
Quid fecimus, quid tibi diximus, secus quam velles?

382. Vulg. inconcinne, *Vtrum o. a. c. edim.* Tò *ego* praebuerunt Langiani.

383. Vulg. itidem inconcinne: *meae domi meane s. f.* MSS. fere, *mea*, non *meane*.

386. Vulg. *Me h. p.* Sed cuiusnam rei hominem non poeniteret, id dictum oportuit. Camerarius suspicabatur legendum *meum* pro *meorum*. Vicinius τοῦ *Me Mei*, praesertim *h* litera sequente, quam verisimile est τὸ i obsorpsisse. Sic *meum* etiam infra 715.

387. Vulg. difficiliore numero, *Q. e. q. prohibeas nunc gratia* etc.

388. *secus*) Sic Pall., 3 nostri et vett. edd., in his Mediol. anni 1500, Argent. Iunt.; Langg. *seu cuiquã nõ velles*, in quo itidem latere mihi videtur *secus*. Solus V. C. Camerarii, *sequi usquam*, quod primitus fuisse puto caeca scriptura, cuius non ita rara sunt exempla in codd., *sequus quam* pro *secus quam*. Vid. ad Ba. 358. Nihil usitatius formulis *Secus ac*, *Secus quam*, pro *aliter ac*, *aliter quam*; contra *Sequs quam* eodem sensu nove dictum est, cui fidem nondum fecerunt VV. DD.

EVCLIO

Etiam rogas, sceleste homo? quia anglos omnis
Mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis.
Id ubi tibi erat negotium, ad focum si adesses, 391

389. *rogas*) Vulg. *rogitas*. Vid. ad 376. Vulg. quoque, *qui a. o.*, impingente versu, nisi quis rescribat *quid*, quod ambiguitatis causa nolim, quum aliud supersit longeque id melius remedium. Scilicet legendum: *quine anglos omnis M. a. e. c. mihi perviam facitis?* h. e. repetita sententia praecedente, *Rogatisne qui anglos* etc. Sic passim Noster. Epid. 696 sqq.: *Adserva istum, Apoecides!* Ad quae Apoecides: *Quemne hodie per urbem uterque sumus defessi quaerere?* h. e. Illumne ut ego non adservem, quem hodie etc. Most. 714 sqq.: *Sed, Simo, ita ventus navem deserit nunc* ... St. *Quid est? Quo modo?* Tr. *Pessumo.* St. *Quaene subducta erat tuto in terram?* h. e. Illamne ut ventus deserat, quae subducta erat tuto in terram? Et ibid. 1083: *Verbero, etiam inrides?* Tr. *Quian' me pro te ire ad coenam autumo?* h. e. Proptereane inrideo, quia me etc. Conf. Amph. 532, Mil. 13, Pers. 842, Rud. 187, 919 et inprimis 763, corrigentibus Gulielmio Quaest. in Amph. cap. 6, in Rud. 1 et Dousa Centur. pag. 498: — — — *Rogas? Quine arrhabonem a me accepisti ob mulierem Et eam hinc avexti?* Terentius Andr. 738: *Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi?* Gulielmius Quaest. in Amphitr. l. l.: «*Quine* affirmat venustissimo sermonis genere. Terentius Adelphis (236: *Illius opera nunc, Syre, vivo! Festivom caput!* Quin' *omnia sibi postputavit esse prae meo commodo?* .... Et de Rudentis 763: *Quin arrabonem* etc. Apostrophum adde *Quin' arrabonem*: et sentis, opinor, iam quanto haec efferantur suavius; nam quod diligentissimus Lambinus corrigit *qui*, Musis omnibus invitis facit». Haec scripseram, quum sero vidi, unius literae dispendio rem confici, ut corrigatur: *quia anglos o. M. a. e. c. m. p. facitis.* Tà *a*, quum bis perscribendum esset, semel posuerunt, more suo, scribae. Poen. 133 sqq.: — *Eho, amabo, quid illo nunc properas?* An. *Rogas? Qua herus nos apud aedem Veneris mantat.* Conf. ibid. 602 seqq. Et sic passim Noster. Vid. etiam ad Bacchidem 671.

389. *perviam*) Sic libri, vel *pervia*, forte omissa virgula, ut opinor, supra *a* literam ponenda, praeter V. C. et Langg., qui *pervium*. Cf. Pseud. 764. Turnebus Advers. 417, ubi de hoc loco agit: «*qui angulos hic omnes mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis* e reconditis pluteorum libris lego potius quam *pervios*, quod concelebrant omnes editiones: ut enim *obviam* adverbium est, sic et *perviam*». Cui adstipulantur Gruterus et Meursius ad Pseudoli modo l. l. Confirmat usum vocis Charisius, qui sic voc. *Obiter* pag. 187 Putsch.: «Divus Augustus reprehendens Tib. Claudium ita loquitur: *Scribis enim perviam* ἀντὶ τοῦ *Obiter*. Sed Divus Hadrianus (Sermonum primo): *Tametsi*, inquit, *Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium ex usu potius quam ratione protulerit*».

Non fissiled haberes caput. Merito id tibi factum est.
Adeo ut tu meam sententiam iam noscere possis:
Si ad ianuam huc accesseris, nisi iusso, propius,
Ego faciam te, miserrumus mortalis uti sis.
Scis iam meam sententiam?

CONGRIO

Quo abis? redi rursum!
Ita me bene amet Laverna, te iam, nisi si reddi
Mihi vasa iubeas, piplo differam hic ante aedis!
Quid ego nunc agam? Nae ego edepol veni huc auspicio malo: t. t. c.
Numo sum conductus; plus iam medico mercede est opus.

EVCLIO

Hoc quidem hercle, quoquod ibo, mecum erit, mecum feram,
Neque istuc in tantis periclis unquam conmittam ut siet.
Ite sane nunc iam intro omnes, et coci, et tibicinae.

392. Vulg. *fissile*, impingente versu. Langg. addebant *tuo* post *fissile*, quod *tuum* primitus fuisse arbitror et ab interprete adscriptum. H, *N. fissilea nb.*, h. e. *N. fissiled h.*, quomodo passim *d* et *a* literae miscentur sibique invicem fraudi sunt, velut apud Festum v. *Rutabulum* τὸ *ae* in *quae* offecit simili, quod sequebatur, *de* in *desperat*, siquidem sic emendandus est ibi laudatus locus Naevii: *Vel quae desperat nupturam se viro adulescentulo, Ea licet senile tractet retritum rutabulum.* De *d* illo ephelcystico vid ad Amph. prol. 149.

393. Inconcinne et contra fidem veterum librorum edd. quaedam, in his Gronovii: *A. ut tu m. s. iam iam n. p.*

394. Vulg. *iussero*. Praetuli *iusso*, quo et Hic et alii utuntur, maxime propterea quod o finale verborum ac nominum produci solet apud priscos: vid. ad Amph. 136.

396. *Quo abis? r. r.*) Haec vulg. Euclioni tribuuntur perquam absurde, siquidem is modo malam rem minatus est coquo, si ad ianuam suam accesserit, neque causa excogitari potest, quamobrem homo revocetur. Imo senem ad se introëuntem sic compellat coquus, ut vasa sibi reddi iubeat. Nihil planius.

397. Vulg. *nisi reddi*, porrecta *in* syllaba in *sibi*, quod minus usitatum: vid. ad Amph. 124.

398. Vulg. *M. v. iubes, pipulo h. d. a. a.*, versu vix et ne vix quidem extricando.

401. Vulg. *quoquo*, imperfecto numero: vid. ad Amph. prol. 149.

Etiam tu introduce, si vis, vel gregem venalium.
Coquite, facite, festinate nunc iam, quantum lubet.

CONGRIO

Tempori: postquam implevisti fusti fissorum caput.

EVCLIO

Intro abi: opera huc est conducta vostra, non oratio.

CONGRIO

Heus, senex, pro vapulando hercle abs te ego mercedem petam:
Coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui.

EVCLIO

Lege agito mecum, molestus ne sis: aut coenam coque,
Aut abi in malum cruciatum ab aedibus.

CONGRIO

Abi tu modo.

EVCLIO

Ille hinc abiit. Dî inmortales, facinus audax incipit,
Qui cum opulento pauper coepit rem habere aut negotium!
Veluti me Megadorus tentat omnibus miserum modis,
Qui simulavit, mei *se* honoris mittere huc causa cocos;
Is ea causa misit, hoc qui surperent misero mihi.
Condigne etiam meus med intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissume:
Vbi erat haec defossa, occoepit scalpturire ibi ungulis
Circumcirca. Quid opust verbis? ita mihi pectus peracuit:

404. *gregem venalium*) Cf. Cist. 458 (IV, 2, 87) et ibi interp.

406. *postquam — caput*) Horum nihil Pall., mei 3 et edd. vett., sed praebuit ea margo veteris codicis Camer., ab eadem manu, qua priora, scripta. Pro *Tempori* Pall. et nostri et edd. *Hem perii*. De formula cf. Cas. 296.

408. Vulg. *Heu*, cui locus hic non est. Intro abiturus Congrio, quem id facere non amplius prohibet senex, postquam aulam suam abstulit: *Heus, senex* etc.

410. *Aut*) Sic Langg. H et M; G, *tu*; vulg. *i*, *et*.

413. Vulg. *Q. c. o. p. homine c. r. h. a. n.*, versu ὑπερμέτρῳ. Abest ho-

Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.
Credo edepol ego illi mercedem gallo pollicitos cocos,
Si id palam fecisset: exemi e manu manubrium.
Quid opust verbis? facta est pugna in gallo gallinaceo.
Sed Megadorus, meus adfinis, eccum incedit a foro.
Iam hunc non ausim praeterire, quin consistam et conloquar.

MEGADORVS. EVCLIO.

MEGADORVS

Narravi amicis multis consilium meum i. s. III, 8
De conditione hac Euclionis filiae.
Laudant; sapienter factum et consilio bono.
Nam, meo quidem animo, si idem faciant ceteri
Opulentiores, pauperiorum filias
Vt indotatas ducant uxores domum:
Et multo fiat civitas concordior,
Et invidia nos minore utamur, quam utimur;

mine aliquibus Langian. et Aldin.

422. *edepol ego*) Sic MSS. versu congruente. Vulg. *ego ed.*

423. *Exemi e* (V. C. et Pall. et H, *ex manu manubrium*. Proverbium, ut videtur, « translatum ab eo, cui iam vibrato gladio percussuro repente capulus excutitur e manibus » ut ait Erasmus Adagg. IV, 1, 36.

428. Libri fere, *filium* : sed Pal. 5, et a correctoris manu 1 (secundum Pareum 3 quoque): *De c. ac Euclionis filia*, unde, nisi fallor, Rittershusius apud Sciop. Susp. Lect. IV, 3: *De c. hac E. filiae*, quo nihil melius invenio: nam quod Gruterus non improbabat lectionem 3 istorum Pall., non tam eius bonitate pellectus fecit, credo, quam pravitate offensus vulgatae: *De conditione hac. Euclionis filiam Laudant: sapienter factum et consilio bono*, in quibus illa *Eu. fil. laud.* quomodo pertineant ad sequentia *Sap. f. et c. b.*, divinari potest, intelligi ex ipsis verbis non potest; id quod sensisse videtur Rittershusius, quum aliquid in hac oratione desideraret, teste Scioppio, quod minus nimirum latine cohaereret. Cui quanto melius erat obtemperare quam hanc suam ipsius coniecturam in medium proferre Scioppium: *Euclionis filia laudant sapienter factum*, quasi hoc ita diceretur ut: *Quid tuo factum est pallio? quid me fiet?* In nostra, h. e. Rittershusii, lectione, *Laudant* refertur ad conditionem istam, quam quod quaesiverit Megadorus, visum

Et illae malam rem metuant, quam metuont, magis;
Et nos minore sumtu simus, quam sumus.
In maxumam illuc populi partem est optumum;
In pauciores avidos altercatio est,
Quorum animis invidis atque insatiatibus
Neque lex neque tutor capere est qui possit modum.
Namque hoc qui dicat: Quo illae nubent divites
Dotatae, si istud ius pauperibus ponitur?
Quo lubeat, nubant, dum ne dos fiat comes.
Hoc si ita fiat, mores meliores sibi
Parent, pro dote quos ferant, quam nunc ferunt.
Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sint viliores Gallicis cantheriis.

EVCLIO

Ita me dî amabunt, ut ego hunc ausculto lubens:
Nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.

MEGADORVS.

Nulla igitur dicat: Equidem dotem ad te attuli
Maiorem multo, tibi quam erat pecunia:
Enim mihi quidem aequom est purpuram atque aurum dari,
Ancillas, mulos, muliones, pedisequos,

est amicis eius sapienter factum et consilio bono. Atque hoc haud dubie voluit Plautus.

439. Vulg. *Q. a. avidis atque insatietatibus*, quae lectio non modo τῷ *avidis* statim post *avidos* illato offendit, sed etiam ταυτολογίαν sapit, siquidem avidi non longe distant ab insatiabilibus. Duplex, me iudice, hominum genus carpitur h. l., primum invidi, praesertim patres familiae, qui nollent puellas pauperes opulentis nubere, ne dotatae negligerentur (vid. 441 sqq.); dein viri avari dotibus inhiantes. Voces *iuidi* et *auidi* quam facile misceantur, norunt, qui scriptos codices versarunt. Et alibi quoque haec iunguntur, velut Pers. 406, Trin. 255 sqq. *Insatias*, idem quod *insatietas*, iam numerorum causa arcessendum erat, etsi alibi non lectum. G, *insatiabilibus*.

440. Synchysis: vid. ad Amph. 378.

441–43. *Quo illae nubent — Quo lubeat, nubant.* Vid. supra ad 146 sqq.

449. V. C. et Pall. *parsimoniam*, forma tritiore.

Salutigerulos pueros, vehicla, qui vehar.

EVCLIO

Vt matronarum hic facta pernovit probe!
Moribus praefectum mulierum hunc factum velim!

MEGADORVS

Nunc, quoquo venias, plus plaustrorum in aedibus
Videas, quam ruri, quando ad villam veneris.
Sed hoc etiam pulcrum est, prae quam ubi sumtus petunt:
Stat fullo, phrygiod, aurifex, lanarius,
Caupones patagiarii, indusiarii,
Flammearii, violarii, coriarii,
Aut manulearii, aut murobrecharii;
Propolae linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii,
Solearii adstant, adstant molochinarii;
Petunt ciniflones, sarcinatores petunt;

454. *qui* positum h. l. pro *quibus*, sicut *quicum* pro *quibuscum* Capt. 936. Langg., *quo ferar*, quod exquisitius.

462. Codd. praeter G, *Flammarii. Coriarii* Nonius, quum v. legatur *carinarii*, h. e. secundum Turnebum, qui cerino colore pannum inficiunt, vel eo tincta vestimenta vendunt, quae *cerina* dicuntur a κηρὸς Epid. 224. Ovidius Art. Amat. III, 184: — *sua velleribus nomina cera dedit.* Retinuissem *carinarii*, nisi obstare mihi visa esset prosodia, quae prima verbi syllaba producenda est; nam priorem *i* literam elidi facile ferrem in latina voce, in graeca vix permiserim. Potest tamen servari vox contrahendo τῷ *violarii* in τετρασύλλαβον, de qua figura vid. ad Amph. prol. 74. G, *carnarii*.

463. Scripti fere, *murobatharii* vel *murobatarii*, sicut G, Langianorum alii *murobanarii*, alii *cinobatrarii*, vett. edd., *mirobrecarii*, *merobrecarii*, *murobrecharii*, codex Meurs. et ed. Argent., quam saepe laudo, *myrobrecharii*, merito probante Meursio, ut quod non intelligi solum possit a graece scientibus, verum etiam sensum habeat aptissimum versuique satisfaciat, quem mancum destituit vulgata.

464. Male edd.: *Propolae, linteones.* Accipienda haec ὑφ' ἓν ut intelligantur ii, qui lintea Aegyptiaca praemercabantur a Carthaginiensibus. Vid. Heerenii liber germanice scriptus de πολιτικῇ et commercio vett. populorum vol. I, pag. 451, Bottigeri Sabina pag. 438.

467. Vulg. *Petunt fullones*) sed iam 460 habuimus *fullonem*, et vix recte absint hinc *ciniflones*, quae matronas solebant comitari: Vid. Horat.

Strophiarii stant, stant semizonarii.
Iam hosce absolutos censeas: cedunt, petunt
Treceni, constant, *stant* phylacistae in atriis,
Textores, limbularii, arcularii.
Ducuntur; datur aes. Iam absolutos censeas,
Quom incedit infector crocotularius,
Aut aliqua mala crux semper est, quae aliquid petat.

EVCLIO

Conpellem ego illum, ni metuam, ne desinat
Memorare mores mulierum: nunc sic sinam.

MEGADORVS

Vbi nugigerulis res soluta est omnibus
Pro illis crocotis, strophiis, sumtu uxorio,
Ibi ad postremum cedit miles, aes petit.

Sat. I, 2, 97. Syllabas *cini* a praecedentibus literis forte absorptas ansam corruptionis praebuisse puto, verbumque ἀκέφαλον et ἄμετρον *flones* cito degenerasse in *fullones*.

468. Volg. *S. astant*, *astant sem.*, versu refragante.

469–473. Vulg. nec sententiis apertis nec metro salvo: *Iam hosce absolutos censeas : cedunt, petunt. Treceni cum stant phylacistae in atriis, Textores, limbolarii, arcularii ducuntur: datur Aes: iam hosce absolutos censeas, Cum incedunt infectores crocotarii* etc. Vs. 470, Pall. 2, 3, *constat*, Acidalio placebat: *petunt Treceni*, *circumstant ph. in aed.* Vs. 471, scripti fere *limbuarii*. Vs. 472, G, *hosce iam*. Scires, glossema esse *hosce*, ex antecedentibus petitum: nam vagari solent interpretamenta. Certe voculam versus non admittit. Deinque vs. 473 Iunt. Ald., *crocotulari*, Pall. 1, 3, 5, *crocotarum*, *crototarum*, *crocatarum*. Verbum *crocotarii* syllaba secunda longa extremus iambus respuit. *Infectores* scriptum pro *infector* sicut Amph. 67, *imperatores* pro *imperator*, et *Obhaerentes* pro *Obhaerens* altero Militis argumento, vs. 8, qualibus mendis scatent scripta vetera.

475. Vulg. *Compellarem ego illum ni metuam* etc. Soloecismum dudum correxerat Acidalius. Vid. ad Amph. 332.

477. Codex G, sicut olim ex correctione Pal. 4, item edd. Sarrac. Iunt. Ald., *nugivendis*.

478. Adsumsi hunc versum a Nonio v. *Strophium*, tanquam huius fabulae laudatum, Acidalio potius obsecutus quam Gulielmio, qui haec inserebat post 482, Quaest. in Aul. cap. 5: «Hic quidem, *inquit Acidalius Div. pag.* 77, si non aptior locus, at aeque aptus usque eo, ut ambiguam faciat alterius possessionem. Quid, quod nihil ad argentarium, quibus pro rebus illi debeatur? ad *nugigerulos* autem facit valide, quod ita contemtim ait *Pro illis crocotis* ».

479. Intelligendus miles aliquis,

Itur, putatur ratio cum argentario;
Inpransus miles adstat, aes censet dari.
Vbi disputata est ratio cum argentario,
Etiam ipsus ultro debet argentario:
Spes prorogatur militi in alium diem.
Haec sunt, atque aliae multae in magnis dotibus
Incommoditates sumtusque intolerabiles:
Nam quae indotata est, ea in potestate est viri;
Dotatae mactant et malo et damno viros.
Sed eccum adfinem ante aedis! Quid agis, Euclio?

EVCLIO

Nimium lubenter edi sermonem tuom.

MEGADORVS

Ain'? audivistin'?

EVCLIO

Vsque a principio omnia.

MEGADORVS

Tamen meo quidem animo aliquanto facias rectius,

missus a tribuno aerarii petitum aes militare. Varro de L. L. 4 sub finem v. *Tributum*: « Tributum dictum a tribubus, quod ea pecunia, quae a populo imperata erat, tributim a singulis pro proportione census exigebatur. Ab hoc ea, quae adsignata erat, *adtributum* dictum. Ab eo quoque, quibus adtributa erat pecunia, ut militi redderent, Tribuni aerarii dicti; id, quod adtributum erat, aes militare. Hoc est, quod ait Plautus, *Cedit miles, aes petit* ». Bene Comicus rem solvi fingit omnibus istis nugatoribus; ubi vero ad tributum ventum est, reipublicae pendendum, haesitare bonos viros, dotatarum maritos, et spem prorogare flagitatoribus; quomodo etiam Epidico dicit II, 2, 43 sqq., ut monet Taubmannus: — *Tributus quom imperatus est, negant pendi potesse; Illis, quibus tributus maior penditur, pendi potest.* Cf. Dousae Centur. I, 13.

483. Vulg. ὑπερμέτρως: *E. plus i. u. d. a.* Delevit Lambinus *plus* voculam, cui praecedentia verba originem dedisse verisimile est. Edd. aliquot, in his Iunt. et Argent., temere excludunt *ultro*.

489. *Q. agis?* Ita V. C. Pall. H, M. Vell. edd., *q. agitur*. Vulg. *Q. ais*, solito errore.

490. V. C. teste Pareo, *N. libenter di audivi*, unde quis fecit, *lib. edi*, i. e. *audivi*; sed postea τὸ *audivi* lineola subduxit. Caeteri libri, *N. l. audivi*.

491. Vulg. inconcinne, *audivisti?*

492. Vulg. *Tamen e meo quidem animo*; sed non solent praepositione

Si nitidior sis filiai in nuptiis.

EVCLIO

Pro re nitorem, et gloriam pro copia;
Qui habent, meminerint sese, unde oriundi sient;
Neque pol, Megadore, mihi, nec quoiquam pauperi,
Opinione melius res structa est domi.

MEGADORVS

Imo est.

EVCLIO

Est?

MEGADORVS

Est, et divi faciant, ut siet,
Plus plusque istucce sospitent, quod nunc habes!

EVCLIO

Illuc mihi verbum non placet: Quod nunc habes. —
Tam hic scit, me habere, quam egomet: anus fecit palam.

MEGADORVS

Quid tu te solus e senatu sevocas?

EVCLIO

Pol ego, ut te adcusem, merito meditabar.

MEGADORVS

Quid est?

EVCLIO

Quid sit, me rogitas, qui mihi omnis angulos
Furum inplevisti in aedibus miserrumo?

hic uti Latini, ut observat I. Gulielm. Qu. in Aul. cap. 5. Sequor Langg. et H.

493. *filiai in n.*) Sic Dousa Centur. I, 13. Vulg. inconcinne et omnino male, *filiae n.* Vid. ad 324.

495. Restitue veterem lectionem: *Q. h., meminerint sese, u. o. s.*, etsi *meminerint* minus ex more istius seculi acuatur: vid. ad Amph. 203.

498. Vulg. mancis numeris: ME. *Imo est, et dii faciant uti* (scripti et vetuste cusi fere, *ut*) *siet. Est* repetere obliti sunt scribae.

499. Vulg. inconcinne, *istuc.*

501. *hic*) Ita Sarrac. Iunt. Ald. Vulg. minus significanter, *hoc.*

502. Langg. *solum e. s. evocas.* G. *a. sen.*

505. V. *misero mihi*, bis illato pron.

MEGADORVS

Qui?

EVCLIO

Intromisisti in aedis quingentos cocos
Cum sen s manibus, genere Geryonaceo,
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit,
Is nunquam servet: praeterea tibicinam,
Quae mi interbibere sola, si vino scatet,
Corinthiensem fontem Pirenen potest.
Tum obsonium autem . . .

MEGADORVS

Pol vel legioni sat est.
Etiam agnum misi.

EVCLIO

Quo quidem agno sat scio
Mage curionem nusquam esse ullam beluam.

MEGADORVS

Volo ego ex te scire, qui sit agnus curio.

EVCLIO

Quia ossa ac pellis totust: ita cura macet;
Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet, quasi laterna Punica.

MEGADORVS

Caedundum illum ego conduxi.

EVCLIO

Tum tu idem (optumum est)
Loca ecferundum: nam iam, credo, mortuost.

506. Vulg. *Qui intr. in aedibus q. e.*, quasi haec ab Euclione omnia dicerentur. Quod correxi *in aedis*, vid. ad Amph. prol. 87.

517. Vulg. *Qui* invitis V. C. et Pall. praeter unum 3. Nullus codex, *atque*, quod vulgatae praeferunt. Langg. et G, *et*.

521. *Loca*) Ita Argent. Iunt. Ald., prout requirit versus. Vulg. *Loces*.

MEGADORVS

Potare ego hoc die, Euclio, tecum volo.

EVCLIO

Non potem ego quidem hoc die.

MEGADORVS

At ego iussero
Cadum unum vini veteris a me adferrier.

EVCLIO

Nolo hercle: nam mihi bibere decretum est aquam.

MEGADORVS

Ego te hodie reddam madidum, si vivo, probe,
Tibi quoi decretum est bibere aquam!

EVCLIO

Scio, quam rem agat:
Vt me deponat vino, eam adfectat viam:
Post hoc, quod habeo, ut conmutet coloniam.
Ego id cavebo: nam alicubi abstrudam foras.
Ego faxo et operam et vinum perdiderit simul.

MEGADORVS

Ego, nisi quid me vis, eo lavatum, ut sacruficem. —

522. Vulg. *hodie*, minus expedito metro: nam prima syllaba τοῦ *hodie* solet corripi.

523. Vulg. *N. p. e. q. hercle.* Ms. *A.* e. *i.*, manco quidem versu, sed cui potius reponendo *hercule* mediceris.

526. *si vivo*) Ita Pall. et a m. 2 V. C., item 3 nostri et pleraeque vett. edd., in his Iunt., formula notissima, de qua vid. Parei Lexicon Plaut. Laugg. τῷ *si* omisso, *madidum vino*; edd. Pii Paris. et vulgatae, *sed vino*, perquam inficete, siquidem, ubi madidus quis reddendus est, vino id fieri, non aqua, per se intelligitur.

527. *Tibi quoi*) Sic omnes propemodum libri scripti, pleonasmo Huic satis usitato: vid. Parei lexic. v. *Tibi*. Gronov. ad h. l.: «Est idem, *inquit*, sermo Epidico III, 1, 8, praecisus, qui foret integer: *Tibi dico, cui decretum est bibere aquam.* Vt altero loco: *qui, tibi dico, quoi divitiae domi maximae sunt, is nummum nullum habes.* Truculento act. 5: *Mihi, homo, cave faxis volnus, tibi iam cui sunt dentes ferrei*». Quamquam Truculenti locum alio pertinere arbitror, ut ibi pluribus demonstrabo. Frustra vulgatae, *Te cui.*

529. *ut conmutet coloniam*) Cf. 616.

EVCLIO

Edepol nae tu, aula, multos inimicos habes,
Atque istuc aurum, quod tibi concreditum est!
Nunc hoc mihi factu est optumum, ut ted auferam,
Aula, in Fideii fanum: ibi abstrudam probe.
Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi,
Ne tu inmutassis nomen, si hoc concreduo!
Ibo ad te, fretus tua, Fides, fiducia.

STROBILVS.

Hoc est servi facinus frugi facere, quod ego persequor;
t. t. c. IV, 1
Nec morae molestiaeque imperium herile habeat sibi.
Nam qui hero ex sententia servire servos postulat,
In herum matura, in se sera, condecet capessere.
Sin dormitet, ita dormitet, servom sese ut cogitet.
Nam qui amanti servitutem servit, quasi ego servio,
Si videt superare amorem, hoc servi esse officium reor:
Retinere ad salutem; non, quo incumbat, illoimpellere.
Pueris quasi, qui nare discunt, scirpea induitur ratis,
Toleret, ne pessum abeant, et uti facilius moveant manus:

535 sqq. Vulg. *factum* (Langg. *facto*) — *te* — *Aulam*. Recte *factu* — *ted* — *Aula* Meursius Exerc. crit. in Aul. cap. 4.

536. M, *Ibi te a. p.*

538. Vulg. numeris innumeris, *N. t. in me mutassis*. Vidit Acidal.

545 sqq. Male librarii, de metro securi: *N. q. a. hero s. s., q. e. s. Si herum videt — — non eum, quo incumbat, eo impellere*. Postremo horum versuum Langg.: *enim* pro *eum*; Pall. 1, 2, et 3 nostri, *incubat*. Potest utcunque servari eius lectio vulgata. Sed in duobus praecedentibus *hero* et *herum* interpretibus debentur.

548. Vulg. *pueri*; Pall. 3 et 5, *pueris*. Hoc recepto, anacolutho perincommodo carebimus.

549 et 551. Vulg. — — — *ratis*, *Qui laborent minus, facilius ut nent et moveant manus*: .... *Vt toleret, ne pessum abeat, tanquam* * * *Herile imperium* etc. Haec mera fraus est et libido glossatorum editorumque. Nam fac Plautum reliquisse: *Qui la-*

Modo eodem servom ratem esse amanti hero aequom censeo;
Tamque imperium ediscat, ut, quod frons velit, oculi sciant;
Quod iubeat, citis quadrigis citius properet persequi.
Qui ea curabit, abstinebit censione bubula;
Neque opera sua in splendorem rediget unquam compedes.
Nunc herus meus amat huius filiam Euclionis pauperis;
Eam hero nunc renunciatum est nuptum huic Megadoro dari:
Id speculatum huc misit me, ut, quae fierent, fieret particeps.
Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra:
Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier.

borent minus, cur, quaeso, addiderit, eadem sententia: *facilius ut nent?* Et hoc si dedit, quid opus erat istis: *et moveant manus*, quae descriptio est nandi? Scilicet verbis *uti facilius moveant manus* alius explicandi causa appinxit: *ut facilius nent*, alius: *quo minus laborent*, quae quidem in ordinem recepta et versificata, ut fieri solet, ansam praebuere exturbandorum suo loco verborum genuinorum *Toleret*, *ne pessum abeant*, quae postquam proximae viciniae posita essent post 550, *abeant* sedulo mutatum est, ut τῷ *hero* conveniret, quum ad *pueris* referendum esset, et ut figurate de servo dici viderentur, quae proprie dicta essent longeque aptius de rate. Itaque exortus est dimidius versus, post quem etsi lacuna in scriptis comparebat nulla (scio Camerarium loqui de lacuna, quae fuerit h. l. in libro eius MS.; sed tacet de ea Pareus, cui plus tribuo in istis rebus) tamen nullam explebat optimus Lambinus suo catapirates maris vel catapirateria. Haec, qui vult, tueatur. Equidem disiecta mihi visa membra poëtae collegi, et quum in Iuntina reperissem, quod etiam Salmasio in mentem venit, *tamque imperium herile*, deleta ante *Toleret* inconcinna *ut* coniunctione, quae passim intelligenda venit (vid. ad Amph. 142), itemque metri causa expulso vago glossemate *herile*, locum probabiliter restitui.

551. *frons*) Sic, teste Pareo, V. C. Camerarii a manu secunda; nam a prima literas tantum *on* remansisse ibi tradit; caeteros vero Pall. exhibuisse: *non os*. Et ita quidem H quoque et M, quos contulimus, item Iunt.; G et edd. Mediol. 1500 et Argent. 1514, *nam hos*: Langianorum vero alii, *in eos*, alii *nam os*. Plauti manum hanc fuisse nunc existimo: ut quod νοῦς velit, oculi sciant. Scatent hae fabulae graecis, quae depravari solent.

557. *Id*) Vulg. *Is*, sed H, *In*. Hoc

EVCLIO. STROBILVS.

EVCLIO

Tu modo cave quoiquam indicassis, aurum meum esse istic, Fides. t. t. c. IV, 2
Non metuo, ne quisquam inveniat: ita probe in latebris situm est.
Edepol nae illic pulcram praedam agat, si qui illam invenerit
Aulam onustam auri. Verum id te quaeso, ut prohibessis, Fides.
Nunc lavabo, ut rem divinam faciam: ne adfinem morer,
Quin, ubi arcessat, meam extemplo filiam ducat domum.
Vide, Fides, etiam atque etiam nunc, salvam ut aulam abs te auferam!
Tuae fide concredidi aurum; in tuo luco et domo est situm. —

STROBILVS

Dî inmortales, quod ego hunc hominem facinus audivi loqui,
Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano! Fides,

id fuisse puto, quod aptissimum.

562. *qui*) Sic Acidalius numerorum causa. Vulg. *quis*.

565. Inconcinne vulgatae, *Q. u. a. me, meam ext. f. d. d.*; inepte quoque, quasi senex arcessendus sit, quum de sponsa agatur deducenda. Natum *me* ex *meam*.

567. MSS. et edd. vett. fere *i. t. luco et fano modo est situm*, ubi *modo* non multum confert ad sensum, metroque officit. Atqui abest vocula, teste Acidalio, edd. Florent. et Colon., neque reperitur in Argent. Nihilominus eam nunc servo, sed emendatam, ut legatur: *in tuo luco et domo est situm*, excluso *fano*, quod ex interpretatione puto irrepsisse. Virgil. Aen. VI, 82: *Ostia iamque domus patuere ingentia centum Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras. Domo* et *modo* saepe mixta.

568. Ineptius vulgatae et flaccidis numeris, *q. e. h. h. f. audis l.?* Iam

Cave tu illi fidelis, quaeso, potius fueris, quam mihi!
Atque pater hic, ut ego opinor, huius est, herus quam amat.
Ibo huc intro; perscrutabor fanum, si inveniam uspiam
Aurum, dum hic est occupatus. Id si reperero, o Fides,
Mulsi congialem plenam faciam tibi fideliam;
Id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, id ubi fecero. —

Evclio

Non temere est, quod corvos cantat mihi nunc ab laeva manu.
Simul radebat pedibus terram, et voce crocibat sua:
Continuo meum cor occoepit artem facere ludicram,
Atque in pectus emicare. Sed ego cesso currere? —
I foras, lumbrice, qui sub terra erepsisti modo;
Modo qui nusquam conparebas, nunc, quom conpares, peris!
Ego pol te, praestigiator, miseris iam accipiam modis!

abiit Euclio, quum haec servus dicit, neque hic igitur audit ista, sed audivit. De metro vid. ad Amph. 355.

571. Camerarius ita versum fulciebat: *Atque hic pater est, ut ego opinor, huius, herus quam amat* meus.

572. Vulg. *Ibo hinc intro*; M, *I. hinc i.* Dicendum erat, quo ire constitueret Strobilus. *Huc*, in fanum, quod digito monstrat homo.

573. Vulg. satis inepte: — *occupatus. Sed si repp.* etc. *S* litera τῷ *id* adhaesit ex antecedente verbo.

576. *Cantat* positum pro *cantavit*, quomodo Lucretius I, 71, *inritat* dixit pro *inritavit*, et VI, 586, *disturbat* pro *disturbavit*. Vidd. grammatici de Metaplasmo, Wasii Senar. cap. 14.

577. *Simul*) Ita Pal. 5, et sic repositum, teste Pareo, in 3 et 6, quomodo etiam edd. aliquot vett., in his Iunt. Vulg. minus quidem apte, *Semel*.

580. Camerarius, quem sequuntur recentiores, *Foras, foras, lumbrice* etc., et sic quidem G, sed ceteri libri unanimes semel tantum inferunt τὸ *foras*, nec verisimile est, in una sententia eoque affectu pertinente variari metrum: atqui trochaici omnes deinceps huius scenae versus. Audiendum igitur putavi Lambinum, *I foras* reponentem, *I* literam uncialem a simili, quae illam excipiebat, *F* interceptam ratus. Saepe quoque perierunt literae initiales, coloribus variis appingi solitae a librariis.

582. *Ego pol*) Ita Langg., ut versui convenit trochaico. Vulg. *Ego edepol*,

STROBILVS

Quae te mala crux agitat? quid tibi mecum est commerci, senex?
Quid me adflictas? quid me raptas? qua me causa verberas?

EVCLIO

Verberabilissume, etiam rogitas, non fur, sed trifur?

STROBILVS

Quid tibi subripui?

EVCLIO

Redde huc, sis!

STROBILVS

Quid tibi vis reddam?

EVCLIO

Rogitas? 586

STROBILVS

Nil equidem tibi abstuli.

EVCLIO

At illud, tibi quod abstuleras, cedo,
Ecquid agis?

STROBILVS

Quid, quid agam?

EVCLIO

Auferre non potes.

STROBILVS

Quid vis tibi?

586. *Rogas?*) Hoc requirere mihi videbatur troch. t. c., quales sunt reliqui huius scenae versus; sed vulgatam video praestare lectionem *Rogitas?* usurpato huiusmodi versu acatalectico, ut passim fieri in affectibus vehementioribus monui ad Amph. 596. Quod *tibi* primum pro pyrrhichiu est, deinde pro iambo, valde accentum adiuvat oratorium, quo priore quaestione servi τὸ *Quid*, posteriore τὸ *tibi*, praecipue tollitur: nam initio quidem id tantum scire cupit Strobilus, *quid* subripuisse insimuletur, mox, ubi id reddendum sibi clamavit senex, homo quaerit, quid *sibi* is reddi iubeat.

587. *At — cedo*) Similis iocus est Men. 547 sqq.

588. *Quid, quid agam?* Ista pronominis repetitio mirifice valet ad significandum subirati affectum servuli.

EVCLIO

Poned!

STROBILVS

Equidem pol datare credo consuetum, senex.

EVCLIO

Pone huc, sis! aufer cavillam: non ego nunc nugas ago.

STROBILVS

Quid ego ponam? Quin tu eloquere, quidquid est, suo nomine.

Non hercle equidem quidquam sumsi nec tetigi.

EVCLIO

Ostende huc manus.

STROBILVS

Hem tibi ostendo, eccas.

EVCLIO

Video. Age, ostende etiam tertiam.

STROBILVS

Lariiae hunc atque intemperiae insaniaeque agitant senem.

Facin' iniuriam, an non?

Vide nos ad Terent. Eun. 258. Noster Rud. 86: *Nunc, nunc periculum est.* Ante *auferre* addideram *Nam* versum fulciendi causa; neque prorsus poenitet tibicinis.

589. Codd., *Pone.* St. *Di* (vel *Dii*) *quidem pol te datare* etc. Inde Gruterus exsculpebat satis infeliciter: *Pone.* St. *Id quidem pol t. d.* etc., in quo vix orationis apparet forma. Nec multo melius, quod ipse dederam, *Pone!* St. *Pol equidem datare credo* etc.; sed melius nunc reperisse mihi videor hoc: *Poned.* St. *Equidem pol datare credo consuetum, senex.* *D* illud ephelcysticon, quod τῷ *Pone* addidi, passim vexavit bonos viros, qui libros describerent, varieque ab iis est mutatum, velut hic forte omissa personae nota servuli, exararunt, ut opinor, *Pone de quidem*, mox *Pone di* (vel *dii*) *quidem.* Vid. ad Amph. prol. 149. Sic igitur reponendum censeo.

590. Vulg. *hoc*, quomodo item prisci illi haec et similia scribebant: *istoc*, *hoiusce*, *nonciatu*, *flouio*, *taboleis*, *poblice*, *singulos*, *detolerit*, *Luciom*, *consentiont* (vid. Iul. Pontedera de veteri scribendi ratione Script. r. rust. Schneider. vol. I, pag. 327 sqq.); sed obsoleta ista, praesertim ambigua, recolere in hac editione nihil attinet.

595. Vulg. *Facisne iniur. mihi, an non?* inconcinne quidem, sed posi-

EVCLIO

Fateor, quia non pendes, maxumam.
Atque id quoque iam fiet, nisi fatere.

STROBILVS

Quid fatear tibi?

EVCLIO

Quam abstulisti hinc.

STROBILVS

Dî me perdant, si ego tui quidquam abstuli.

EVCLIO

Neve adeo abstulisse vellem. — Agedum, excutedum pallium . . .

STROBILVS

Tuo arbitratu.

EVCLIO

Ne inter tunicas habeas!

STROBILVS

Tenta, qua lubet,

EVCLIO

Vah, scelestus quam benigne! ut ne abstulisse intellegam.
Novi sycophantias. Age, rursus ostende huc manum
Dexteram.

STROBILVS

Hem!

EVCLIO

Nunc laevam ostende.

tum ante *iniuriam* servari potest pronomen. Satius quoque fuerit versum hunc habere pro iambo t.

597. *Quam*) Vulgo *Quid*, quod ferri potest, modo non interrogatio haec credatur, sed affirmatio, et indicativus modus Graecorum more usurpatus pro subiunctivo. Vid. Vechneri Hellenolex. ed. Heus. pag. 384 sqq. nos passim ad Terentium. Hic quoque versus est iamb. t., quod minus animadverteram.

598. Vulgo sensu alieno, *Nive*; G et H, *Minime*.

601. Vulgo *rursum*, inconcinne id quidem, nisi ἀνεκθλίπτως efferatur,

STROBILVS

Quin equidem ambas profero.

EVCLIO

Iam scrutari mitto. Redde huc.

STROBILVS

Quid reddam?

EVCLIO

Au, nugas agis!

Certe habes!

STROBILVS

Habeo? quid ego habeo?

EVCLIO

Non dico: audire expetis.

Id meum quidquid habes, redde.

STROBILVS

Insanis: perscrutatus es

Tuo arbitratu, neque tui me quidquam invenisti penes.

EVCLIO

Mane, mane: quis illic est, qui hic intus alter erat tecum simul?

Perii hercle! ille nunc intus turbat; hunc si amitto, hinc abierit.

Postremo hunc iam perscrutavi; hic nihil habet. Abi quo lubet.

Iupiter te dique perdant!

STROBILVS

Gratias agis haud male.

quod nolim, quum G praebeat *rursus.*

603. *Au*) Vulgo *ah*; sed scripti fere, *an*; V. C. et Langg. *a. Au*, praeterquam quod prope abest a codicum scriptura, significantius quoque affectum senis exprimere mihi videbatur.

607. Restituo vulgatum *illic* pro eo, quod dederam, *ille*; verba *Mane mane* proceleusmaticum efficiunt, ut versui nihil sit timendum.

608. Vulgo *hic*, quod ad sententiam nihil confert.

610. *agis*) Ita G. Vulgo *agit*, mi-

EVCLIO

Ibo intro, atque illi socienno tuo iam interstringam gulam.
Fugin' ab oculis? abin' hinc, an non?

STROBILVS

Abeo.

EVCLIO

Cave, sis, revideam! —

STROBILVS

Ecmortuom ego me mavelim leto malo, i. s.
Quam non ego illi dem hodie insidias seni!
Namque hic iam non audebit aurum abstrudere:
Credo, ecferet iam secum et mutabit locum.
Attat, foris crepuit! senex eccum aurum ecfert foras!
Tantisper ego hinc ob ianua concessero.

EVCLIO

Fide censebam maxumam multo fidem
Esse: ea sublevit os mihi penissume.
Ni subvenisset corvos, periissem miser.
Nimis hercle ego illum corvom, ad me veniat, velim,
Qui indicium fecit, ut ego illice aliquid boni
Dicam: nam quod edit, tam duim, quam perduim.

nus bene, quum colloquatur etiam cum sene servus.

612. Vulgo *Fugin' hinc ab oc.*, versu nimio. Vulgo quoque minus apte, *C. sis te videam.* Cavere ne videretur, servulus non poterat; poterat, ne revideretur. Accedit trochaici ratio tetrametri catal., in quo extremo locum non habet choriambus (*te videam*).

615. *Namque*) Ita Cam., metro consulens. Vulgo *Nam.*

616. Vulgo *referet;* sed non id agitur, ut aurum referatur a sene domum, sed ut alio efferatur. Atqui huc ducunt codicum scripturae *Credo hoc feret*, *Credo hec feret*; vide ad Asinariam 24. Senserunt hoc iam alii.

618. Vulg. *ad ianuam.* Acidalius Divinat. p. 80: «Digresso sene, quum solus relictus servus in brevi oratione postremo sic ait: *Tantisper hic ego ad ianuam concessero;* melius dicere videatur: *Tantisper hinc ego ab ianua concessero.* Quum enim egrediente sene foris creparet, obeundum inde sibi longius censebat, ne revideretur. Ad fani quidem fores omnis ratio dissuadebat accedere: nisi aliam dicit ianuam, quod inepte quis arguletur.» Cf. Most. 418.

623. Libri, hiante versu, *ut ego illi al. b.*

Nunc, hoc ubi abstrudam, cogito solum locum.
Silvani lucus extra murum est avius,
Crebro salicto oppletus: ibi sumam locum.
Certum est: Silvano potius credam, quam Fide.

STROBILVS

Euge, euge, dî me salvom et servatum volunt!
Iam illuc praecurram, atque inscendam aliquam in arborem:
Inde observabo ego, aurum ubi abstrudat senex.
Quamquam hic manere me herus sese iusserat,
Certum est, malam rem potius quaeram cum lucro.

LYCONIDES. EVNOMIA. PHAEDRA.

LYCONIDES

Dixi tibi, mater; iuxta rem mecum tenes i. s. IV, 3
Super Euclionis filia: nunc te obsecro
Resecroque, mater, quod dudum obsecraveram:
Fac mentionem cum avonculo, mater mea!

EVNOMIA

Scis tute, facta velle me, quae tu velis.
Et istuc confido a fratre me inpetrassere,

630. Vulgo frustra asperato versu, *Iam ego illuc praec.* etc. A sequente versu forte pronomen aberravit.

631. Vulgo duris, imo nullis numeris, *Indeque observabo, aurum u. a. s.* Vid. praecedens annotatio. Quod *Inde* pro vulgato *Indeque* scripsi h. l. et infra 659, non numerorum modo emolliendorum causa feci, verum etiam ex Huius consuetudine, asyndeton frequenter usurpantis in rebus turbulentioribus, velut legimus supra 558 seq.: *Nunc sine omni suspicione in ara hic adsidam sacra: Hinc ego et huc et illuc potero, quid agant, arbitrarier*; infra 661: *Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo*; item Epid. 310: *Ibo intro; argentum accipiam a damnoso sene*; et Most. 418: *Concedam a foribus huc; hinc speculabor procul* etc. Copulas passim librarii infersere.

632. *me herus*) Ita Laugg. et H et M. Vulgo peiore numero, *herus me.*

637. *Avonculo* τρισυλλάβως pronuntiandum est; vid. ad Amph. prolog. 90.

Et causa iusta est: si quidem ita est, ut praedicas,
Te eam conpressisse vinolentum virginem.

LYCONIDES

Egone ut te advorsum mentiar, mater mea?

PHAEDRA

Perii, mea nutrix! obsecro te, uterum dolet!
Iuno Lucina, tuam fidem!

LYCONIDES

Hem, mater mea,
Tibi rem potiorem video: clamat, parturit.

EVNOMIA

I hac intro mecum, gnate mi, ad fratrem meum,
Vt istuc, quod me oras, inpetratum ab eo auferam.

LYCONIDES

I; iam sequor te, mater. — Sed servom meum,
Strobilum miror, ubi sit, quem ego me iusseram
Hic opperiri. Nunc ego mecum cogito:
Si mihi dat operam, me illi irasci iniurium est.
Ibo intro, ubi de meo capite fiunt comitia.

645. *video*) G, *inbeo.*

646 seq. Vulgo — — — — *meum*, *Vt istuc quod tu me oras, efficiam tibi, Vt istuc quod me oras impetratum ab eo auferam.* Dubito, stuporemne magis mirer editorum, an malam fidem: nam scripti fere hoc tantum et uno versu: *Vt istuc, quod me oras, efficiam tibi, impetratum ab eo auferam;* sapiuntque correctores Pall. 1, 2, qui carebant illis *imp. a. e. a.*, et Langg. a quibus aberant horum verborum postrema tria. Illa *efficiam tibi* interpretandi causa adscripta esse locutioni lectiori et ἐμμέτρῳ *impetratum ab eo auferam*, dudum est quum vidit Scioppins Suspp. Lect. IV, 3 correctores isti manum scriptoris pro glossemate habuerunt.

652. *fiunt*) Ita G, ut Truc. 783. Vulgo *I. i., u. d. c. m. sunt c.*, quod ferri potest.

STROBILVS

Picis divitiis, qui aureos montis colunt, i. s. IV, 4
Ego solus supero: nam istos reges ceteros
Memorare non volo, hominum mendicabula:
Ego sum ille rex Philippus. O lepidum diem!
Nam ut dudum hinc abii, multo adveni illuc prior,
Multoque prius me conlocavi in arborem;
Inde espectabam, ubi aurum abstrudebat senex.
Vbi ille abiit, ego me deorsum duco de arbore;
Ecfodio aulam auri plenam; inde exeo. Eloco
Video se recipere senem; me illic non videt:

653. *Picis*) Ita V. C.; Pall. praeter novissimum sextum, *Dites*, literarum *P* et *D*, *c* et *t* commutatione non infrequenter obvia in MSS.; edd. aliquot recentiores, in his Iunt., *Picos*; vulgo *Pici*, probantibus Grutero ad h. l. et Scaligero De Causis L. L. lib. XII, cap. ult.

655. Addideram *me* ante *nolo* versui sarciendo; sed malim nunc; *M. non volo h. m.* Laur. Valla Elegantt. VI, 29: « *Ne* componitur cum *Queo*, cum *Scio*, cum *Volo*. Frequentius tamen sine compositione, apposita negatione, reperimus illud primum, quam duo sequentia; adeo ut barbarum putet Cicero de Orat. ad Brut. dicere *Non scio* et *Non volo*, licet nonnunquam apud ipsum quoque reperiatur. » Sic *non velis* legitur Merc. 441, Poen. 115.

659. Codd. fere *exspectabam* vel *expectabam*, sicut M, G, *adspectabam*, Langg. *aspect.*, Pall. 3, 5, *spectabam*. Gulielmius Langianorum probabat lectionem, sed praeferendum videtur mihi cum Acidalio *espectabam*, non quod veteres in talibus (qualibus autem?) e molliusculum prae asperiore *a* dilexerint, quae opinio est optimi Valentis, sed quia nihil vetat illa *Inde espectabam* proprie dicta nos interpretari pro *spectabam ex arbore*, quomodo haec et similia dicuntur *elevare*, *elidere*, *escendere*. Neque alio nomine improbo ipsum illud vulgatarum *expectabam*, nisi quod ambiguum foret, propria et rariore an impropria et communi potestate hic usurparetur.

661. Insulse edd., *inde ex eo loco Video* etc.; nam ex quo tandem loco se recepisse dicitur senex, quem abiisse ex luco Silvani scimus, quo abierit, nescimus? Verissime Gulielm. Quaest. in Aul. c. 6, *i. exeo* (et sic quidem G, non *ex eo*). *Eloco Video* etc. Quem consules, si forte dubium est relictum. De *Eloco* dictum ad Amph. 60.

Nam ego non me declinavi paulum extra viam.
Attat, eccum ipsum! Ibo, hoc uti condam domum.

EVCLIO

Perii! interii! occidi! Quo curram? quo non curram? Tene, tene! — i. t.
Quem quis? Nescio, nil video, caecus eo, atque equidem, quo eam t. t. c.
Aut ubi sim aut qui sim, nequeo cum animo certum investigare. t. t.
Obsecro vos ego, mihi auxilio (oro, obtestor!) sitis, et hominem
Demonstretis, qui eam abstulerit! t. d.
Quid est? quid ridetis? Novi omnis: scio, fures esse hic conpluris, t. t.

663. *non*) Ita V. C. Pall. 4, 5, 6 et ex meis H in ordine, M inter lineas; caeteri scripti: *Nam ego declinavi paul. me e. v.*, unus Pal. 3, et quidem a manu aliena, ut ait Parens, *modo*, perquam absurde; siquidem *paulum modo declinatum extra viam* facile erat videri a sene et comprehendi, secus ac fit in fabula; sed *non paulum*, h. e. *multum, declinatum* effugere avari oculos emissitios, erat consentaneum.

665–667. Versu horum primo, quod prius *Tene* posteriorem syllabam corripit, vid. ad Asin. 731. Contra ultimo ubi eandem syllabam producit, sicut saepius, vid. supra ad 153. Absurdas et impudentes quorumdam huius scenae emendationes (emendationes autem? imo pessimas depravationes) referre piget.

669–72. In his ordinandis expressi mentem Acidalii et eius amici, Caroli Pisonis Lotharingi; vid. Acidalii Divinat. p. 81 seq. Vulgo sic legitur: — *Demonstretis, qui eam abstulerit, Qui vestitu et creta occultant sese atque sedent quasi sint frugi. Quid ais tu?* .... *cognosco. Quid est?* .... *complures. Hem, nemo* etc. in quibus ille versus *Qui vestitu* etc. non potuit non male habere sagacissimum Acidalium. « Etsi enim, *inquit*, sententiae per se bonae (utcunque de ea variet et hallucinetur vir magnus in Electis), non habet tamen cui cohaereat. » Vers. 671 numerorum gratia vulgatum *sese* in *se* mutavi, ut verbi quasi syllaba posterior producatur, sicut passim fit, et etiam *Quaesei*, *Sibei*, *Vbei* in vetustissimis tabellis apud Fulv. Vrsinum se reperisse te-

Qui vestitu et creta occultant se, atque sedent, quasi sint frugi!
Quid ais tu? Tibi credere certum est: nam esse bonum, e voltu cognosco. —
Hem, nemo habet horum? — Occidisti! — Dic igitur, quis habeat! Nescis?
Heu me miserum! misere perii! a. d.
Male perditu', pessume ornatus, eo:
Tantum gemiti et malae moestitiai hic dies mihi obtulit, i. t.
Famem et pauperiem! perditissumus omnium ego sum in terra! i. t. c.
Nam quid mi opust vita, qui tantum perdidi auri, i. tr. h.
Quod custodivi sedulo? Egomet me frudavi
Animumque meum Geniumque meum! a. d.
Nunc eo alii laetificantur, meo malo et damno! Pati nequeo! t. t.

statur I. Lipsius De Recta Pronunc. Ling. Lat. cap. 8 in annotatt., quicum conferri potest Wasii Senariae cap. 16.

674. Vulgo *H. me miserum, miserum! perii* etc.; V. C. supra lineas ante *perii* exhibebat *misere*, quod praestare alteri *misere*, cuiusvis erat videre. G semel tantum praefert *miserum*.

675. *pessume*) Langg. *penissume*, quo evertitur anapaestus.

679. *frudavi*) Ita 3 nostri vel potius *fraudavi*, sicut ex impressis sunt. Vulgo, *defraudavi*, quod non convenit iambo tr. h., qualis haud dubie praecedens versus qualemque et hunc esse verisimile est. Similiter Terentius Phorm. 10, *Suum defrudant Genium* etc.

LYCONIDES. EVCLIO.

LYCONIDES

Quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur moerens?— t. t. IV, 6
At hic quidem Euclio est, ut opinor. — Oppido ego interii! palam est res:
Scit peperisse iam, ut ego opinor, filiam suam. Nunc mi incertum est,
Abeam an maneam, an adeam an fugiam. Quid agam, edepol nescio.

EVCLIO

Quis homo hic loquitur?

LYCONIDES

Ego sum miser.

EVCLIO

Imo ego sum et misere perditus,
Quoi mala tanta moestitudoque obtigit.

LYCONIDES

Animo bono es.

EVCLIO

Quo, obsecro, pacto esse possum?

683. Vulg. *Atque hic*, metro duriore. Male quoque vulgatae, *Euclio est. est opinor*. Sequor V. C. Pall., 3 nostros et edd. vett., in his Iunt. Rufinus de Metris comicis p. 2711 Putsch.: « Sisenna in Aulularia sic: Haec scena anapaestico metro est, sed concisa sunt, ut non intelligas. » Putant quidam loqui veterem grammaticum de hac scena, quam modo explicavimus; ego aliam intelligo ex deperditis.

685. Libri, *Quid agam?* (G, *an*, sed ex interpretatione, ut nunc opinor) *abeam an maneam? an adeam? an fugiam? quid agam edepol nescio*. Possunt haec utcunque redigi in trochaïcum t. c.; sed longe probabilius est, illa *Quid agam* priore loco temere esse inculcata sublectaque in sequentibus, adeoque praeferendam censeo lectionem quam dedi. Tè *agam* non liquescit, quam figuram illustravi ad Amph. 341.

686. Inepte libri, Ly. *Ego sum*. Ev. *Imo ego sum miser et m. p.*, quasi

LYCONIDES

Quia istuc facinus, quod tuom
Sollicitat animum, id ego feci et fateor.

EVCLIO

Quid ego ex te audio?

LYCONIDES

Pol id, quod verum est.

EVCLIO

Quid ego de ted, adulescens, merui mali,
Quamobrem ita faceres, meque meosque perditum ires liberos?

LYCONIDES

Deus inpulsor mihi fuit; is me ad illam inlexit.

EVCLIO

Quo modo?

LYCONIDES

Fateor, me peccavisse, et me culpam conmeritum scio;
Id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi.

EVCLIO

Cur id ausus facere, ut id, quod tuom non esset, tangeres?

LYCONIDES

Quid vis fieri? Factum est illud: fieri infectum non potest.
Deos voluisse credo: nam ni vellent, non fieret, scio.

neget Euclio, Lyconidem eum ipsum esse. Sequor Ald. 1522. Viderunt hoc etiam Acid. et Meurs.

690. *Pol. q. v. e.*) Ita G, quod glossatoris superare mihi videtur modulum. Vulgo imperfecto numero, *Quid ego emerui, ad., m.* Pall. 3, 5, 6, et ex nostris G, H, *merui*. Audivi Dousam.

695. *tuom non*) Ita G et M, quod recepi, ut accentu metrico tolleretur *tuom*, vox gravissima.

696. Terentius Phorm. 995: *Verum quando iam adcusando fieri infectum non potest, Ignosce.*

697. Imperfectum coniunctivi positum pro plusquamperfecto, sicut Rud. 399, 494 et passim apud Hunc

EVCLIO

At ego deos credo voluisse, ut apud me te in nervo enicem!

LYCONIDES

Ne istuc dixis!

EVCLIO

Quid tibi ergo meam me invito tactio est?

LYCONIDES

Quia vini vitioque amoris feci.

EVCLIO

Homo audacissume,
Cum istacin' te oratione huc ad me adire ausum, inpudens?
Nam si istuc ius est, ut tu istuc excusare possies,
Luce claro deripiamus aurum matronis palam;
Post id, si prehensi simus, excusemus: ebrios
Nos fecisse amoris causa. Nimis vile est vinum atque amor,
Si ebrio atque amanti inpune facere, quod lubeat, licet.

LYCONIDES

Quin tibi ultro supplicatum venio ob stultitiam meam.

EVCLIO

Non mi homines placent, qui, quando male fecerunt, purgitant.
Tu illam scibas non tuam esse: non attactum oportuit.

et alios; vid. nos ad Terentium at imprimis Heusinger. ad Cic. de Off. III, 19, 2.

698. Male Gruterus vulgatum *ut apud te me i. n. e.* defensum ibat istis Cas. 546 sqq. *Med occidet?* PA. *An quidpiam ad te attinet?* ST. *Vah*, — *peccavi: illuc dicere villicum volebam.* Facile obtemperavi equidem Meursio et Pistori.

700. *vitioque amoris*) Ita H, quod longe elegantius vulgato *vitio atque amoris.*

703. *Luce claro*) Ita Nonius vel potius *Luci claro*, ubi docet, nomen *lux* etiam pro masculo fuisse priscis. Libri fere, etiam 3 nostri, *L. clara.*

709. Vulgo, *attactam*, sed aliqui Langg. *tactum*, quod probat Meur-

LYCONIDES

Ergo quia sum tangere ausus, haud causificor, quin eam
Ego habeam potissumum.

EVCLIO

Tun' habeas me invito meam?

LYCONIDES

Haud te invito postulo; sed meam esse oportere arbitror.
Quin meam invenies, inquam, illanc esse oportere, Euclio.

EVCLIO

Iam quidem hercle te ad praetorem rapiam, et tibi scribam dicam,
Nisi refers!

LYCONIDES

Quid tibi ego referam?

EVCLIO

Quod subripuisti meum.

LYCONIDES

Subripui ego tuom? unde? aut quid id est?

EVCLIO

Ita te amabit Iupiter,
Vt tu nescis!

LYCONIDES

Nisi quidem tu mihi, quid quaeras, dixeris.

EVCLIO

Aulam auri, inquam, te reposco, quam tu confessus mihi

sius, nos *attactum*. Vid. Gell. N. A. I, 7, Cas. prol. 21.

713. Vulgo vix audito *meam*, quae vox totius sententiae est gravissima, et τῷ *inquam* perperam acuto, *Q. tu eam inv., inqu., meam illam esse o., E.*

714 seq. Hi versus praepostero in vulgatis ordine leguntur, ut dudum monuit Acidalius.

716. Vulgo, *Surripio*; sed Pall., 3 nostri et vett. edd., *Surripui*, recte, sicut Euclio, *surripuisti*, non *surripis*, in re consummata. Etiam Langianorum aliqui, *Surripuin ego*.

Te abstulisse.

LYCONIDES

Neque edepol ego dixi, neque feci.

EVCLIO

Negas?

LYCONIDES

Pernego immo: nam neque ego aurum, neque istaec aula quae siet,
Scio, nec novi.

EVCLIO

Illam, ex Silvani luco quam abstuleras, cedo!
I, refer! dimidiam tecum potius partem dividam.
Tametsi fur mihi es, molestus non ero furi. I, refer!

LYCONIDES

Sanus tu non es, qui furem me voces: ego te, Euclio,
Alia de re rescivisse censui, quae ad me attinet,
Magna, quam ego tecum otiose, si otium est, cupio loqui.

719. G, *neque ed. quidem ego.*

723. *furi*) Sic Pall., Langianorum aliqui (nam alii *fuero*), MS. Herald., 3 nostri; V. C., teste Pareo, ex interpolatione, *iuero* vel *fuere*, unde fecerunt, quod vulgo legitur, *i vero.* Etiam vett. edd., *furi.*

725. Vulgo inconcinne, *De alia* (H, *illa*) *re rescivisse censui, quod ad me attinet.* Minore negotio res confici posset ita reponendo: *De alia re rescisse censui, quod ad med attinet*; nam de relativo, notum, minus id interdum nomini suo congruere; vid. index Pindari, a me germanice conversi, vv. Sprache, Relativ. Ibi laudantur Epidici illa 230 seq.: *Nec satis exaudibam, nec sermonis fallebar tamen, Quae loquerentur*, obi frustra codd. G et M, *Quem loqu.*; nec melios Cas. 196 *quam postulas* pro vulgato *quod p.* legitur in codice H. Cf. Capt. 858, Epid. 106 seq.; Cato de R. R. cap. 25 extr. *erit lorea familiae, quod bibat*; et sic passim scriptores, ii praesertim, qui familiari orationis genere utuntur. Sed h. l. quominus neutrum admittamus, causa est sequens femininum *Magna*, itidem id referendum ad ista *De alia re*, ut iam docebo, ubi male interturbaturum esset diverso genere positum pronomen. Atqui MS. Heraldi plane, *quae ad me attineat.*

726. Vulgo versu ὑπερμέτρῳ, *Magna est res* (G, *M. res est*, ut incertae esse solent sedes interpretamentorum), *quam ego* etc. Ex quo forte plene distinctum erat post *attinet*, vicisse se ratus est, quicunque is fuit,

EVCLIO

Dic bona fide: tu id aurum non subripuisti?

LYCONIDES

Bona.

EVCLIO

Nec scis, quis id abstulerit?

LYCONIDES

Istuc quoque bona.

EVCLIO

Atque si scies,

Quis id abstulerit, mi indicassis?

LYCONIDES

Faciam.

EVCLIO

Neque partem tibi

Ab eo, quiqui est, indipisces, neque furem excipies?

LYCONIDES

Ita.

EVCLIO

Quid, si fallis?

LYCONIDES

Tum me faciat, quod volt, magnus Iupiter.

EVCLIO

Sat habeo. Age nunc, loquere, quod vis.

LYCONIDES

Si me novisti minus,

Genere qui sim gnatus: hic mihi est Megadorus avonculos;

qui ad *Magna* adscripsit *est res*, ut adiectivum haberet scilicet, quo referretur.

727. Libri fere, *Bona*, *non*, sicut et sequente versu, utrobique ex interpretatione.

728 seq. Tò *id*, quod versum inval, assumsi ex Iunt. Argent. nam vulgo, etiam male acuto verbo *abstulerit*: *Neque scis quis abstulerit?* LY. *I. q. b.* EV. *Atque id si scies*, *Qui abstulerit, mihi indicabis?* Elegans *indicassis* praebuit G.

730. *indipisces*) Ita Nonius MS. Menrs. Pal. 1 a m. 2, 3 nostri et vell. edd. Vulg. ταυτολόγως, *inde posces*.

733. *qui*) Langg. H M, *quo*, ex interpretatione. — Tò *pater* posteriore

Meus fuit pater Antimachus; ego vocor Lyconides;
Mater est Eunomia.

EVCLIO

Novi genus: nunc, quid vis, id volo
Noscere.

LYCONIDES

Ex te filiam tu habes.

EVCLIO

Imo eccillam domi.

LYCONIDES

Eam tu despondisti, opinor, avonclo meo.

EVCLIO

Omnem rem tenes.

LYCONIDES

Is me nunc renuntiare repudium iussit tibi.

EVCLIO

Repudium rebus paratis, exornatis nuptiis?
Vt illunc dî inmortales omnes deaeque, quantum est, perduint,
Quem propter hodie auri tantum perdidi, infelix, miser!

LYCONIDES

Bono animo es! benedice! Nunc, quae res tibi et gnatae tuae
Bene feliciterque vortat .... Ita dî faxint, inquito.

EVCLIO

Ita dî faciant!

LYCONIDES

Et mihi ita dî faciant! Audi nunc iam.
Qui homo culpam admisit in se, nullust tam parvi preti,
Quom pudet, quom purgat sese: nunc te obtestor, Euclio,

syllaba longa est legendum; vid. ad Amph. prol. 38.

737. Vulgo, numero vix extricando, *opinor*, *meo avonc.* Scribendum tamen potius, *avonclo meo*, ne avunculus intelligatur aliquis Euclionis.

746. Vulgo, *Quin pudeat*, *quin pur-*

Si quid ego erga ted inprudens peccavi aut gnatam tuam,
Vt mi ignoscas eamque uxorem mihi des, ut leges iubent.
Ego me iniuriam fecisse filiae fateor tuae,
Cereris vigiliis, per vinum atque inpulsu adulescentiae.

EVCLIO

Hei mihi, quod facinus ex ted audio?

LYCONIDES

Cur eiulas,
Quem ego avom feci iam ut esses filiai in nuptiis?
Nam tua gnata peperit decumo mense post (numerum cape):
Ea re repudium remisit avonculus causa mea.
I intro: exquire, sitne ita, ut ego praedico.

EVCLIO

Perii oppido!
Ita mihi ad malum malae res plurimae se adglutinant.
Ibo intro, ut, quid huius reii sit, sciam.

LYCONIDES

Iam te sequar.
Haec propemodum iam esse in vadum salutis res videtur. i. t. c.

get sese, quasi omnes, qui peccarunt, culpae puderet suae, omnesque eam purgarent; quod perspicue falsum; sed verum est, neminem, qui culpam in se admisit, parvi esse faciendum, quin ei ignoscamus, ubi pudet peccati seque is excusat. Et hoc volunt etiam sequentia.

751. Vulgo, *ex te ego audio*, quod ferri potest, etsi pronomen non male omisit, repudiato homoeoteleuto, codex G.

752. Vulgo, *filiae nupt.* Saepius his verbis impegere scribae; vid. ad 324.

755. Recte Priscianus p. 561 Putsch., item Pall. 3, 4, MS. Meurs. et noster H, *exquaere*, prisco loquendi et scribendi more; vid. ad Amph. 28. Similiter Capt. 223 legitur in scriptis *exquaesivero*, et Stich. 95 *exquaesitum*.

757. *reii*) V. C. et Pal. 3, *veri*, Langg., *viri*, Pall. 5 et vett. edd. *vesi* vel *ve si*, V. C. Meurs. 5, Pal. et noster G, *rei*, usitato quidem genere loquendi, quum istud *veri* vel *vesi* ne intelligi quidem possit.

758. Bene G, *vadum*, quod nescio quomodo neglleximus quum *vado* re-

Nunc servom esse ubi dicam meum Strobilum, non reperio;
Nisi etiam hic opperiar tamen paulisper; postea intro
Hunc subsequar: nunc interim spacium ei dabo exquaerendi
Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu: ea rem novit.

STROBILVS. LYCONIDES.

STROBILVS

Dî inmortales, quibus et quantis me donatis gaudiis! t. t. c. IV, 7
Quadrilibrem aulam auro onustam habeo: quis me est ditior?
Quis me Athenis nunc mage quisquam est homo, quoi dî sint propitii?

LYCONIDES

Certo enim ego vocem hic loquentis modo me audire visus sum.

STROBILVS

Hem,
Herum ego adspicio meum?

LYCONIDES

Strobilum video ego hunc, servom meum?

poneremus. Vid. ad Amph. 545. Terentius Andr. 815, *Omnis res iam est in vado.*

764. Langg. *onustam ego habeo.* Pronomen ab eo additum puto, qui nesciret, hiatum saepius inveniri in caesuris horum trochaicorum; vid. ad Amph. 116.

765. *Mage* pertinet ad *propitii*; vid. ad Amph. 378.

767. Vulgo duriore numero, *Herumne.* Pro *hunc* 4 Pall. et 3 no-

STROBILVS

Ipsus est!

LYCONIDES

Haud alius est!

STROBILVS

Congrediar.

LYCONIDES

Contollam gradum.

Credo ego illum, ut iussi, eampse anum adiisse, huius nutricem virginis.

STROBILVS

Quin ego illi me invenisse dico hanc praedam, atque eloquor?

Igitur orabo, ut manu me mittat. Ibo atque eloquar.

Reperi . . . .

LYCONIDES

Quid reperisti?

STROBILVS

Non, quod pueri clamitant

In faba se reperisse.

LYCONIDES

Iamne item, ut soles, deludis? t. t.

STROBILVS

Here, mane: eloquar iam: ausculta.

LYCONIDES

Age ergo, loquere.

STROBILVS

Reperi hodie,

Here, divitias nimias . . . .

LYCONIDES

Vbinam?

stri, *nunc*; sed bene habet vulgata.
769. Vulgo minus concinne, *adisse*.

773. *item*) Vulgo, *autem*, quod ferri potest.

STROBILVS

Quadrilibrem, inquam, aulam auri plenam!

LYCONIDES

Quod ego facinus audio ex ted?

STROBILVS

Euclioni huic seni subripui.

LYCONIDES

Vbi id est aurum?

STROBILVS

In arca apud me: nunc volo me emitti manu. t. t. c.

LYCONIDES

Egone te manud emittam, scelerum cumulatissume? i. t. acat.

STROBILVS

Abi, here! scio, quam rem geras! lepide hercle animum tuom tentavi! t. t.
Iam, ut eriperes, adparabas: quid faceres, si reperissem?

LYCONIDES

Non potes probasse nugas. I, redde aurum.

STROBILVS

Reddam ego aurum?

LYCONIDES

Redde, inquam: huiic ut reddatur.

STROBILVS

At unde?

LYCONIDES

Quomodo? fassus es t. t. c.
Esse in arca.

STROBILVS

Soleo hercle ego garrire nugas: ita loquor.

782–84. Vulgo inconcinne et soloece; *Redde inquam: ut huic reddatur.* Sr. *ah* (hoc abest V. C. et G, Lang. *a*) *unde* (Pall. H M, *uide*)? Ly. *Quod*

LYCONIDES

At scin', quomodo?

STROBILVS

Vel enica hercle! hinc nunquam a me feres!

LYCONIDES

Quid istic? quoniam pervicus abdis —! Non feram unquam?

STROBILVS

Quod non habeo? t. t.

LYCONIDES

Efferaris cave, ni actutum id auri est redditio seni!

STROBILVS

Seu propensus libitinarius, sive pollinctorius t. t. c.

modo (hoc omisit G) *fassus es esse In arca.* St. *Soleo h. e. g. n. i. l.* Ly. *at scin' Quomodo?* St. *Vel hercle enica, nunquam hinc feres a me.* — *Quin modo fassus es* etc. pro *Quod m. f. e.* rescripseram, Acidalio obsecutus; sed malim nunc usurpare iratorum istud *Quomodo?* quod exhibet Pal. 1, vid. ad Amph. 200. Sequuntur supplementa duo mutilae in fine fabulae, quorum prius non exhibent solum edd. Mediol. 1500, Carpentar. 1513, Gryph. 1540, Colon. Longolii et Hervag. 1568, sed invenit id etiam in codice suo MS. et a Plauto ipso profectum censet Meursius Exercc. critt. I. Cui minime quidem in hoc possum assentiri, nec multum eius codici tribuo, ut qui nusquam ab eo recte describatur, nec fere quid utile ostentet, quod non alibi quoque repertum fuerit in probatae fidei libris, praesertim Iuntina, quum vero etiam posterius Vrcei additamentum exhibeat, seculi decimi quinti foetum, ne dicam apographum Iuntinae, se fateatur. Quia tamen haec a multis iam annis editiones occupant, de possessione deturbare nolui, nec cuiusquam piget nisi operae, quam dedi versificando priori et antiquiori supplemento: nam prosa id oratione conscriptum esse, nunc vix dubito. Quod quidem sic se habet in vulgatis: Ly. *Quid hic quondam pervicus addit?* (Haec secundum Nonii ista voc. *Pervico: Hic quidem* (Ald. p. 1409, et qui eam editionem exprimunt, *quidam*) *pervicus custodem* (Paris. 1511, *totidem*) *addidit*; quae in memoriam reducunt fabulae versum 508. Omisit Mediol.) *Non feramn' unquam?* St. *Quod non habeo.* Ly. (Mediol. addit, *ne*) *efferaris cave, Nisi actutum seni id auri redditio est.* (Iam his addendum versus nota t. t. c. in

Efferar, nunquam dabo, ni noviter fodiam arrugiam,

LYCONIDES

Vae capiti tuo!

STROBILVS

Imo senecis et capitulo et pectori,
Qui auri tantum perdidit!

LYCONIDES

Quis reperit?

STROBILVS

Quem reperisse vis.

LYCONIDES

Qui id in arca habere subreptum autumavit.

STROBILVS

Quam tibi
Pulcre conniveant, here, oculi, si id fatear factum *tibi*!
Tecum quod lusi, non par est serio *prae*vortier.

LYCONIDES

At nunc iam ne me inritassis! redde! susque deque haud agites! t. t.

STROBILVS

Here, si id reperietur, certum est, gemina lancea confitentem
Te icere?

LYCONIDES

Redde!

STROBILVS

Attat, vis cassum!

nostra edit.). ST. *Sive perpensus ferar Libitinarius, sive pollinctorius efferar, nunquam dabo nisi fodiam Noviter arrogiam.* LY. *Vae capiti tuo.* ST. *Imo senis et capiti Et pectori, qui auri tantum perdidit.* LY. *Quis repperit?* ST. *Quem repperisse vis.* (? Mediol.) LY. *Qui in arca illud subreptum habere Autumat.* ST. *Quam pulcre tibi, here, conniverent oculi, si id Factum fateor. ludo: quod lusi tecum, non par est identidem Serio vortier.* LY. *At nunc iam ne me irritassis, i, et aurum Redde: susque deque haud agites.* ST. *Here, id si repperibitur, Certum est geminam te lanceam confitentem* (Mediol. *confitente*) *icere.* LY. *I, et redde.* ST. *Vis*

LYCONIDES

Redde!

STROBILVS

Attat, incassum quaeris!

LYCONIDES

Redde! Ego propero, ut, comitiis quid proxumis, videam. Senex aulam
Auri perdidit: Megadorus repudium renuntiavit,
Filiam peperisse vitio resciit. —

STROBILVS

Hero, quantum ego video,
Nemo benignior. Alii namque, quae inventa, occulunt vaniloqui,
Domi negant, et aliud post aliud, si qua opportunitas, t. t. c.
Harpagatum est sibi. Eleusina si siet, facilem deam
Credunt; si Cotytto, non videre, quom batuat, *volunt;*
Ita neque amicis neque cognatis neque dîs parcunt, dum sibi.
Iste quidem, ne miserum faciat senem aut opulentam eius familiam,
Auriplenam, onustam, grandem, aulam iubet referrier,
Vt se faciat olim miserum ac familiam. Ast partem mi ego

crassum? LY. *I, et redde.* ST. *Atat incassum* (Mediol. *massum;* correxit Meurs.) *quaeritas.* LY. *I, et redde. ega ad senem propero, ut quid comitiis Proxumis videam. Senex aulam auri perdidit, Megadorus Repudium renunciat. Filiam peperisse vitio resciit.* ST. *Hero Meo, quantum ega* (Mediol. *hodie*) *video, nema est benignior. Alii non quod Inventum est nan occulunt, modo negant: occulunt vaniloqui. Sed aliud post aliud si qua sit apportunitas, harpagatum Volunt,* (Mediol. *volunt. Si*) *si Eleusinie* (Mediol. *Eleusinae*) *sit, facilem deam creduant* (an *creduunt* voluit scriptor?); *si Cotytta* (Mediol. *Cotytus*), *Non videre quem* (Mediol. *quod*) *batunt. Ita neque amicis, neque cognatis, Neque dis parcunt, dum bene parcant sibi. istic quidem, Ne miserum faciat senem, aut illius familiam opulentam, Auri aulam grandem, onustam, plenam, referri iubet, Vt se faciat olim miserum, atque suam familiam. Ast ega partem*

Inpartirier malim, unde redimar. Quod vortat bene,
Picus sinistra cantitavit, qui auri custos traditur:
Ibo et aulam referam: quod mihi bene avis illaec occinat.

SVPPLEMENTVM AVLVLARIAE

ANT. CODRO VRCEO, *Italo Scholastico et Professore Bononiensi, auctore, qui vixit sub Impp. Sigismundo et Friderico III Aug.*

— — quod non habeo.

LYCONIDES

Feram.

Velis, nolis! quin te quadrupedem strinxero,
Et herniosos testes ad trabem tibi
Divellam appenso! Sed cur in fauces moror
Huius scelesti ruere? et animam protinus
Cur non compello facere iter praeposterum?
Das, an non?

STROBILVS

Dabo.

LYCONIDES

Des ut nunc, non olim, volo.

STROBILVS

Do iam: sed me animam recipere sinas, te rogo.
Ah, ah! quid, ut dem, poscis, here?

LYCONIDES

Nescis, scelus?

Impartiri malim, unde redimar. Quod vortat bene, picus A sinistris cantilat, qui auri custos hercle olim traditur. Ibo et aulam referam: quod illaec mihi bene avis occinat.

Et auri plenam quadrilibrem aulam mihi
Audes negare, quam te dixisti modo
Abripuisse? heia, iam ubi nunc lorarii?

STROBILVS

Here, audi pauca.

LYCONIDES

Non audio. Lorarii,
Heus, heus!

LORARIVS

Quid est?

LYCONIDES

Parari ego catenas volo.

STROBILVS

Audi, quaeso! post me ligari iusseris
Quantum libet.

LYCONIDES

Audio: sed rem expedias ocius.

STROBILVS

Si me torqueri iusseris ad necem, vide,
Quid consequare: primum servi exitium habes;
Dein, quod concupisces, ferre non potes.
At si me dulcis libertatis praemio
Dudum captasses, iamdudum votis fores
Potitus. Omnes Natura parit liberos,
Et omnes libertati natura student.
Omni malo, omni exitio, peior servitus:
Et quem odit Iupiter, servom hunc primum facit.

LYCONIDES

Non stulte loqueris.

STROBILVS

Audi reliqua nunc ïam:
Tenaces nimium dominos nostra aetas tulit,
Quos Harpagones, Harpyias et Tantalos
Vocare soleo, in opibus magnis pauperes,

Et sitibundos in medio Oceani gurgite.
Nullae illis sunt satis divitiae, non Midae,
Non Croesi; non omnis Persarum copia
Explere illorum tartaream ingluviem potest.
Inique domini servis utuntur suis,
Et servi inique dominis nunc parent suis:
Sic neutrubi fit, fieri quod iustum foret.
Penum, popinas, cellas promptuarias
Occludunt mille clavibus parci senes,
Quae vix legitimis natis concedi volunt.
Servi furaces, versipelles, callidi,
Occlusa mille clavibus sibi reserant,
Furtimque raptant, consumunt, ligurriunt,
Centena nunquam furta dicturi cruce.
Sic servitutem servi ulciscuntur mali
Risu iocisque. Sic ergo concludo, quod
Servos fideles liberalitas facit.

LYCONIDES

Recte quidem tu; sed non paucis, ut mihi
Pollicitus. Verum si te facio liberum,
Reddes, quod cupio?

STROBILVS

Reddam; sed testes volo
Adsint. Ignosces, here: parum credo tibi.

LYCONIDES

Vt lubet; adsint vel centum; iam nihil moror.

STROBILVS

Megadore, et tu, Eunomia, adeste, precor, si libet!
Exite! perfecta re mox redibitis.

MEGADORVS

Qui nos vocat? hem, Lyconide.

EVCLIO

Hem, Strobile, quid est?

Loquimini.

LYCONIDES

Est breve quid.

MEGADORVS

Quid id est?

STROBILVS

Vos testes voco.
Si quadrilibrem aulam auri plenam huc adfero
Et trado Lyconidae, Liconides manu
Mittit, iubetque iuris esse me mei.
Itan' spondes?

LYCONIDES

Spondeo.

STROBILVS

Iamne audivistis hoc,
Quod dixit?

MEGADORVS

Audivimus.

STROBILVS

Enim iura per Iovem.

LYCONIDES

Hem, quo redactus alieno ego iam sum malo!
Nimis procax es. Quod iubet, faciam tamen.

STROBILVS

Heus tu, nostra aetas non multum fidei gerit:
Tabulae notantur; adsunt testes duodecim;
Tempus locumque scribit actuarius:
Tamen invenitur rhetor, qui factum neget.

LYCONIDES

Sed me cito expedi, sis.

STROBILVS

Hem silicem tibi.

LYCONIDES

Si ego te sciens fallam, ita me eiiciat Diespiter

Bonis, salva urbe et arce, ut ego hunc lapidem. Satin'
Iam feci tibi?

STROBILVS

Satis. Vt ego aurum apportem, eo.

LYCONIDES

I Pegaseo gradu, et vorans viam redi.

LYCONIDES. STROBILVS. MEGADORVS. EVNOMIA. EVCLIO.

LYCONIDES

Grave est homini pudenti morologus nimis
Servus, qui sapere se plus volt hero suo.
Abeat hic Strobilus in malam liber crucem,
Modo mihi apportet aulam auro puro gravem,
Vt Euclionem socerum ex luctu retraham
Ad hilaritatem, et mihi conciliem filiam,
Ex compressu meo novam puerperam.
Sed ecce redit onustus Strobilus. Vt reor,
Apportat aulam. Et certe est aula, quam gerit.

STROBILVS

Lyconide, porto inventum promissum tibi,
Aulam auri quadrilibrem. Num serus fui?

LYCONIDES

Nempe. O dî immortales, quid video, aut quid habeo?
Plus sexcentos Philippeos ter et quater.
Sed evocemus Euclionem protinus.
O Euclio, Euclio!

MEGADORVS

Euclio, Euclio!

EVCLIO

Quid est?

LYCONIDES

Descende ad nos: nam dî te servatum volunt!
Habemus aulam.

EVCLIO

Habetisne, an deluditis?

LYCONIDES

Habemus, inquam. Modo, si potis, huc advola!

EVCLIO

O magne Iupiter! o Lar familiaris et
Regina Juno et noster thesaurarie
Alcide, tandem miserum miserati senem?
Oh, oh, quam laetis, aula, tibi amicus senex
Complector ulnis, dulci et te capio osculo!
Expleri nequeo mille vel complexibus.
O spes, o cor, luctum depulverans meum!

LYCONIDES

Auro carere semper duxi pessumum
Et pueris et viris et senibus omnibus.
Pueros prostare cogit indigentia,
Viros furari, mendicari ipsos senes.
At multo peius est, ut video nunc, supra
Quam quod necesse est nobis, auro opulescere.
Heu, quantas passus est aerumnas Euclio
Ob aulam paulo ante a sese deperditam!

EVCLIO

Quoi meritas referam grates? an diis, qui bonos
Respectant homines? an amicis, rectis viris?
An utrisque? Vtrisque potius et primum tibi,
Lyconide, principium et auctor tanti boni.
Hac ego te aula auri condono. Accipias libens:
Tuam hanc esse volo et filiam meam simul,
Praesente Megadoro et sorore eius, proba
Eunomia.

LYCONIDES

Et habetur et refertur gratia,
Vt meritus es, socer exoptatus mi, Euclio.

EVCLIO

Relatam mihi satis putabo gratiam,
Si donum nostrum et me ipsum accipias nunc libens.

LYCONIDES

Accipio, et Euclionis volo mea sit domus.

STROBILVS

Quod restat, here, memento, ut liber nunc siem.

LYCONIDES

Recte monuisti: esto merito liber tuo,
O Strobile, et turbatam iam intus coenam para.

STROBILVS

Spectatores, naturam avarus Euclio
Mutavit: liberalis subito factus est.
Sic liberalitate utimini vos quoque,
Et, si perplacuit fabula, clare plaudite.

BACCHIDES

DRAMATIS PERSONAE

PISTOCLERVS, *adolescens.*
LYDVS, *paedagogus.*
BACCHIDES, *meretrices.*
CHRYSALVS, *servos.*
NICOBVLVS, *senex.*
PHILOXENVS *senex.*
MNESILOCHVS, *adolescens.*
PARASITVS.
CLEOMACHVS, *miles.*
MILITIS PVER.
GREX.

ARGVMENTVM

suppositum atque interpolatum.

Bacchidis amore adolescens Mnesilochus furit.
Aurum ut reciperet praestitum, Ephesum is abierat.
Cretam altera Bacchis navigavit, alteram
Conventum Bacchidem; inde Athenas reveniunt.
Hinc ad sodalem dat Mnesilochus literas,
Illam conquirat; mox redit, turbas movet,
Dum putat amari suam; sed geminas ut videt,
Et retrahit per servum aurum, et pariter ambo amant.
Senes dum student gnatis, scortantur, potitant.

Comoediae huius argumentum, prologus et scenae principis initium, primum, quod sciam, comparent in ed. Iunt., quae anno 1514 prodiit, unde in Gryphii, Longolii, Basileensem Hervagii aliasque sequiores transierunt. « Fabulatur, *inquit Taubmannus*, Lascaris grammaticus ille Graecus in epistola ad Bembum, se Messanae in Sicilia ista invenisse. Sunt etiam, qui a Francisco Petrarcha conficta opinentur. »

Argumenti versus, praeter ultimum, quum prorsus inconcinni circumferrentur, operae pretium duxi eos quidem addendo aufcrendo mutando denique in numeros redigere; caetera vix alligi, neque officium meum editoris arbitror spuriis eiusmodi ineptiis, quamquam οὔτε πρώην οὔτε χθὲς factis, ut recte ait Ios. Scaliger, multum immorari. Sic autem vulgo se habet argumentum ἀκρόστιχον: *Bacchidis amore furit Mnesilochus. Aurum ut redimat, Praesenua (?) fertur Ephesum. Cretam Bacchis navigat atque alteram Convenit Bacchidem: inde Athenas redit: Hinc dat Mnesilochus ad Pistoclerum literas, Illam conquirat. redit: turbas movet, Dum putat amari suam. ut vident geminas, Ei dat aurum: pariter amant. Senes dum gnatis student, scortantur, potitant.* Versu ultimo malim nunc melioribus numeris: *Senes dum student gnatis, scortantur, potitant.* Vtrum horum eligas, verbum *senes* in unam syllabam contrahendum est, elisa priore e litera, cuius figurae exempla multa in medium protuli ad Amph. prol. 74. Quod si cui forte nimium videtur in tam novo scriptore, is per me reponet: *Studentes gnatis potant, scortantur, senes.*

PROLOGVS SVPPOSITVS

SILENVS

Mirum hodie est, spectatores ni in subselliis
Ridiculo obstrepunt, tussiunt, ronchos cient,
Consulcant frontem, et ore concrepario
Frequenter fremunt atque male mussitant.
Vix in iuventa locum cum obtineant
Aut glabri histriones, aut pervolsi ludii:
Quid veternosus prodit internuncius
Senex, qui dorso fertur asinario?
Attendite, quaeso, atque animum advortite,
Dum nomen huius eloquor statariae.
Aequom est, vos deo facere silentium.
Officio oris non decet illos utier,
Qui non ut clament, sed ut spectent, veniunt.
Auris date otiosas; at non in manum:
Has volo volans vox vacuas feriat.
Quid veremini? ictus an minus sunt noxii,
Qui repetunt laxa, aut hiulca obstruunt?
Estis benigni: merito vos ament coelites.
Factum est silentium, tacent pueri.
Novam ad rem iam novom spectate nuncium.

Vs. 2, vulgo legitur *Ridiculos strepunt*. Dedi, quod saltem intelligeretur.

5. Vulgo abest *cum*, quod antecedens verbum interceperit. Certe sic versus habet suas 12 syllabas; nam syllabis dimetiendis fere contentus est hic scriptor, quisquis fuit.

Qui sim, cur ad vos veniam, paucis eloquar;
Simul huius nomen proferam comoediae.
Ecce fabor iam vobis, quod expetitis:
Proinde vos mihi facite audientiam.
Naturae deus sum, Bromii altor maxumi,
Femineo qui peperit rem exercitu.
Quidquid huiusce gentes ferunt inclytae,
Nonnihil nostro gesta sunt consilio.
Nunquam quod mihi placet, illi displicet.
Aequom est, si patri filius obsequitur.
Asinivehidam me vocitant Ionii greges,
Quod vecturio senex vehar asinario.
Qui sim, tenetis? Si tenetis, sinite,
Vt nomen huius eloquar statariae.
Simul sciatis, ad vos ego cur venerim.
Philemon Graecam olim dedit fabulam;
Hanc, qui graecissant, Evantides nuncupant;
Plotus, qui latinissat, vocat Bacchides.
Quare non est mirum, si huc advenerim.
Bacchus bacchantis Bacchas mittit Bacchides;
Ego ad vos porto. Quid dixi mendacium?
Non decet mentiri deum. At, vera *ut* fabuler,
Non ego eas porto, verum insulsus asinus,
Via defessus, tres, si rite memorem,
Fert: unum videtis; ore quid feram, specite:
Duas sorores debacchantis Samias,

30. Insulse libri, *A. e. si pater obs. patri.*

31. Vulgo *Asibidam*. Ios. Scaligero in Catalectt. placebat *Asividam* pro *Asivehida*, « forma, *inquit vir magnus*, patronymica, qualia multa componit Plautus iocans, ut Rapacida, Plagipatida. Hoc ex imitatione Aeolum, qui fere epitheta πατρωνυμικῶς formant, ut Σπουδαρχίδης. *Asiavehida* autem ratio etymi postulabat; sed consultum est euphoniae, ut (?) σκιλόγος dicebant pro σκιλολόγος, ἀμφιβολόγος pro ἀμφιβολολόγος. — Greges Ionii sunt histriones. »

32. « Vecturium est τὸ κτῆνος, quasi vehiterium, ut Asivida pro Asivehida. Inde veterinaria animalia. » Scal.

43. Vulgo, *verum salsus asinus*.

Meretrices lepidas, uno prognatas tempore.
Iisdem parentibus foetu gemellitico,
Non minus similis, quam lacti lac, si conferas,
Aut aquam aquae; dimidiatas imputes
Has, si videres: ita confundas oculos:
Vtra utra sit, non queas internoscere.
Quod restat, expetitis. Iam date silentium;
Huius argumentum eloquar Comoediae.
Samos quae terra sit, nota est omnibus:
Nam maria, terras, montis atque insulas
Vostrae legiones reddidere pervias.
Hac Pyrgotelis Sostrata Pyrocli viro
Vno edidit gnatas nisu geminas;
Placuitque initiatis Trieteride,
Quas ederent, Bacchi vocitare nomine.
Parentes, ut fit crebro, fata occupant.
Alteram miles secum in Cretam vexerat;
Altera *de* geminis adnatat Cecropias.
Hanc ut Nicobuli inspicit Mnesilochus,
Amare occipit, itat ad eam frequentius.
Interea iuvenem pater mittit Ephesum,
Vt inde referat aurum, quod posuerat
Ipse iampridem apud Archidemidem,
Veterem amicum, senem Phoenicarium.
Is quom biennium desideret Ephesi,
Bacchidem abiisse, durum accepit nuncium:
Nam nautae noti navigasse nunciant.
Vt fugitivam cura et corde quaereret,
Ad Philoxenis Pistoclerum filium,
Sodalem unicum, sulcat epistolium.
Dum Pistoclerus amico inpartit operam,
Athenas dudum quae redierant geminae
Conquisitorem in amorem conciunt.
Altera Pistoclerum ad sese allicit;

Altera venienti desidet Mnesilocho.
Geminae Bacchae duos Bacchantis pullulos
Quid mirum si ad sese traxerunt blandulae,
Facetae, pulcrae, incurvos libitinarios,
Veterrumos senes illorum trahere patres?
Sed eccum Pistoclerum, qui ad Bacchides
Nuper inventas redit, et secum insolens
Novos amoris dispuit igniculos.
Nunc prodeunt: audite.

PISTOCLERVS. LYDVS.

PISTOCLERVS

Dî immortales, ut sentio, quod sentio! quid? nescio.
Stans fugio. Nullus est ignis, et totus ardeo.
Quid id, nisi insania? novom profecto malum
Video et sentio. Potisne est terra ut nutriat hominem
Atque prosternat? hodie nil praeter terram et Baccham tetigi.
Si Baccha est haec, non nutrit Baccha, verum iugulat.
Veternum quoque obrepere olim dixerunt homines,
Qui, quae nossent, non nossent; quos esse cuperent, nihil erant.
Quid mali hoc? an terra, an Baccha? Fecimus naufragium!

85. Vulgo soloece, *traherent.*

89. Vulgo inepte, *prodeo.*

Dialogi spurii versu 3, item inepte legitur in libris, *Quid id, nisi navim?*

4. Vulgo, — *terra ut terat hom.* Fortasse legendum *ferat.*

7. 8. Vulgo: *E terra quoque obrepere olim dixerunt homines, Qui dum norant, quom esse cuperent, erant nihil.* Haec non intelligo; sed quae pro illis dedi, nec multo magis faciunt ad propositum, et a scriptura librorum longius recedunt. Sic fortasse reponendum posteriore versu: — *homines, Qui tum norant, qui, ni esse cuperent, nihil erant;* ut non inficete dicat terrae filios, fruges tantum consumere natos, qualem etiam se ipse nunc credere videtur. Basil. Hervag.

LYDVS

Amat hic quidem; video. Nimirum id est, quod emissicius
Fora, templa, theatra, porticus, omnis fornices,
Lustra et lustralis cellulas quaesierit sedulo.

PISTOCLERVS

Naufragus sum, fateor. Bacchus, haud Neptunus, celocem
Hanc inpellit, agit, quassat, imo frangit, distrahit.

LYDVS

Bacchis huic procellam concitat. Actum est! perdidimus remigium!

PISTOCLERVS

Referam me ad scopulum, ut istic cum aetate rem perduam.
Instabilis est sors rerum; pro lubidine fata agunt homines.
Ego dum amico Mnesilocho operam impertio,
Illi amicam repperi, ubi pereat cum re assiduo;
Et mihi meaeque aetati reique meae peperi infortunium.
Si volt Cupido, adolescens sum: aetati licet plusculum
Iacturae facere. Melius, ut id nunc fiat, quam senio.
Sapientum profecto est illud dictum, quod Lydus increpat:
Si Astartan *** on Bromium deosque voluptarios
Contemsit iuvenis, is aut insanibit, aut amabit senex.
Referam me ad scopulum ex naufragio. Pater leget fragmina.
Sequere me, Lyde: video sorores geminas, Bacchanal meum.

Q. d. n., non notant; Par. *Q. d. n., non norant.*

10. *quidem*) Vulgo, *quem.*

15. *hanc*) V. *hinc*, proclivi lapsu.

BACCHIDES. PISTOCLERVS.

BACCHIS

Quid? si hoc potius est, ut taceas, ego loquar?

SOROR

Lepide! licet. t. t. c. I, 1

BACCHIS

Vbi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subvenias, soror.

SOROR

Pol mage metuo, ne defuerit mi in monendo oratio.

BACCHIS

Pol quoque metuo, lusciniolae ne defuerit cantio.
Sequere hac.

PISTOCLERVS

Quid agunt duae germanae meretrices cognomines? —
Quid in concilio consuluistis?

BACCHIS

Bene.

PISTOCLERVS

Pol haud meretricium est.

BACCHIS

Miserius nihil est, quam mulier.

PISTOCLERVS

Quid esse dicis dignius?

BACCHIS

Haec ita me orat, sibi qui caveat, aliquem ut hominem reperiam,

Vs. 1. *potius*) Vulgo, *potis*. Sequor Sarracen. Iunt. Ald. *Lepide* laudantis est, ut Mil. 241.

Ab istoc milite: ut, ubi emeritum sibi sit, se revehat domum.
Id, amabo te, huic caveas.

PISTOCLERVS

Quid isti caveam?

BACCHIS

Vt revehatur domum,
Vbi ei dederit operas: ne hanc ille habeat pro ancilla sibi.
Nam si haec habeat aurum, quod ei renumeret, faciat lubens.

PISTOCLERVS

Vbi nunc is homo est?

BACCHIS

Iam hic, credo, aderit. Sed hoc idem apud nos rectius
Poteris agere; atque, is dum veniat, ibi sedens operibere.
Eadem biberis; eadem dedero tibi, ubi biberis, savium.

PISTOCLERVS

Viscus merus vostra est blanditia.

BACCHIS

Quid iam?

PISTOCLERVS

Quia enim intellego, du- t. t.
ae unum expetitis palumbem. Perii, arundo verberat alas!

9. Vulgo bis posita coniunctione, *se ut revehat domum*. MSS. Pall. *seu re uehat d.* An hoc fuit primitus, *sed* (pro *se*; vid. ad Amph. prol. 149) *r. d.*?

14. Vulgo, *sedens ibi op.*, elisa priore e litera in *sedens*; vid. ad Amph. prol. 74. Putabam olim rectius legi *op'ribere* (nam verbum hoc porrectam habet primam syllabam), sed fallebar.

16 seq. Lege absque ulla mutatio-

Non ego istuc facinus mihi, mulier, conducibile esse arbitror.

BACCHIS

Qui, amabo?

PISTOCLERVS

Quia, Bacchis, Bacchas metuo et Bacchanal tuom.

BACCHIS

Quid est, quod metuis? ne tibi lectus malitiam apud me suadeat?

PISTOCLERVS

Magis inlectum tuom, quam lectum, metuo: mala tu es bestia.
Nam huic aetati non conducit, mulier, latebrosus locus.

BACCHIS

Egomet, apud me si quid stulte facere cupias, prohibeam.
Sed ego apud me te esse ob eam rem, miles quom veniat, volo:
Quia, quom tu aderis, huic mihique haud faciet quisquam iniuriam:
Tu prohibebis; et eadem opera tuo sodali operam dabis,
Et ille adveniens tuam med esse amicam suspicabitur.
Quid, amabo, obticuisti?

PISTOCLERVS

Quia istaec lepida sunt memoratui;
Eadem in usu, atque ubi periclum facias, aculeata sunt,
Animum fodicant, bona distimulant, facta et famam sauciant.

ne, nisi quod vulgatae inconcinne, *arundo alas verb.*, non eliso autem τῷ *unum*: — — — *intellego: du-* (t. t.) *ae unum expetitis palumbem. Perii, arundo verberat alas!*

25. *haud*) Pessime Taubm. Gronov. Ern. *aut.*

28. *Quia* μονοσυλλάβως pronuntiandum est; vid. ad Amph. prol. 74.

30. Hunc inter et sequentem ver-

BACCHIS

Quid ab hac metuis?

PISTOCLERVS

Quid ego metuam, rogitas? Adulescens homo,
Penetrare me huiusmodi in palaestram, ubi dominis desudascitur;
Vbi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus?

sum vulgo legitur 40, quem ibidem repetunt libri. Hoc loco delet cum Acidalius, maxime propterea quia ad tantam affectus vehementiam gradatim procedit adolescens. Cui assentior.

31. Vulgo, *Et quid a. h. m.?* Pi. *Quid ego met. rog.? homo adolescentulus* etc. V. C. Decurt. et vett. edd. *adolescens*, quod requirit versus. *Et quid* casco scribendi modo pro *Ecquid* passim quidem legitur in libris; sed hic *Et* natum puto ex antecedente *es*, ut rescribatur: *Quid ab hac metuis?* Pi. *Quid ego metuam, rogitas? Adulescens homo* etc. *Quid me uis?* ut Pistoclerus, *Quid metuam?* non, *Ecquid metuam?* Et sic plane Pareus, nihil monens; unde colligas, fuisse hanc codicum Pall. lectionem.

32. *Penetrem*) Ita Iunt. Aldina Gryph. Donatus ad Terentii Phorm. 447. Praeferendum id ducebam vulgatae lectioni *Penetrare* propterea quod iste usus modi verborum infiniti historicis quam oratoribus longe familiarior est, ita ut figura haec a Servio vocetur *historica*. Quia tamen ea loquendi forma etiam apud oratores, naque solum in narrationibus, satis frequenter invenitur vimque suam peculiarem habet, piget nunc libris exploratae fidei manu scriptis alios illotas fortasse correctorum manus expertos anteposuisse. Donatus ad ista Terentii Eun. III, 1, 1: *Magnas vero agere gratias Thais mihi?* « Plus, *inquit*, sonat infinitus modus finito. » Sonat autem inprimis consuetudinem. Cf. infra 73, Linac. De emend. struct. lat. serm. p. 479 seq. I. F. Gronovii Observ. II, 14. Itaque vulgatum quidem *Penetrare* in sedem suam postliminio reduco. Sed quod item adhuc legitur h. l., *damnis*, etiam nunc id depravatum censeo, nec persuadere mihi possum, tam infantem fuisse Sarsinatem, ut, quum modo dixisset, *ubi damnis desudascitur*, continuo inferret, *ubi pro disco damnum capiam*. Donatus ad Terentii Eun. III, 1, 22: « Mire est facta nullius ponderis repetitio ad inertiam loquentis exprimendam. Nam postquam dixit *Invidere omnes mihi*, repetit *Illi invidere misere* etc. » Atqui minime iners Pistoclerus. Scripserint autem librarii *domnis* pro *dominis*, sicut passim fecerunt; hoc ansam corruptionis praebuit. Vox *domina* hac potestate saepius usurpatur ab Ovidio et elegiacis, item Martiale et sequioris aevi scriptoribus; sed similiter pridem Graeci; vid. Musgrav. ad Sophocl. Trach. 210. Quos cur non prius quoque in hoc expressos dicamus a perpetuis eorum imitatoribus Latinis, nulla causa est. Malim autem nunc, *dominis*. Caeterum similiter Terentius Phorm. supra l. l.

BACCHIS

Lepide memoras.

PISTOCLERVS

Vbi ego capiam pro machaera turturem,
Vbique inponat in manum alius mihi pro cestu cantharum;
Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis,
Pro hasta talus; pro lorica malacum capiam pallium;
Vbi pro equo mihi lectus detur, scortum pro scuto adcubet?
Apage a me, apage!

BACCHIS

Ah, nimium ferus es!

PISTOCLERVS

Mihi sum.

BACCHIS

Malacissandus es.
Equidem tibi do hanc operam.

PISTOCLERVS

At nimium pretiosa es operaria.

BACCHIS

Simulato me amare.

PISTOCLERVS

Vtrum istuc ego iocon', an serio?

BACCHIS

Heia, hoc agere meliust: miles quom huc adveniat, te volo

Eccum, ab sua palaestra exit foras, ubi Donatus: « Bene palaestram eius dixit lenonis domum, in qua est exercitus amator assidue. » Et ipse Plautus fere ad hunc modum Trin. 618: *In foro operam amicis da; haud in lecto amicae, ut solitus es.*

41. Vulgo supra plantam, quod aiunt, evagantibus numeris: BA. *Simulato me amare.* PI. *Vtrum ego istuc iocon' assimulem, an serio?* Pareus tanquam ex MSS.: *utrum ego iocon' adsimulem istud? a. s.? Vtrum i. e. iocone pro Vtrumne e. i. ioco*, per tmesin.

Me amplexari.

PISTOCLERVS

Quid eo mi opus?

BACCHIS

Vt ille te videat, volo.
Scio quid ago.

PISTOCLERVS

Et pol ego scio quid metuo. Sed quid ais?

BACCHIS

Quid est?

PISTOCLERVS

Quid? si apud te eveniat desubito prandium aut potatio
Forte, aut coena, ut solet in istis fieri conciliabulis,
Vbi ego tum adcubem?

BACCHIS

Apud me, mi anime: ut lepidus cum lepida adcubet.
Locus hic apud nos, quamvis subito venias, semper liber est.
Vbi lepide voles tibi esse, mea rosa, mihi dicito.
Dato, qui bene sit; ego, ubi bene sit, tibi locum lepidum dabo.

PISTOCLERVS

Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest.

BACCHIS

Atque ecastor apud hunc fluvium est aliquid perdundum tibi.

43. Vulgo minus concinne, *mihi opus est?* Copulam omisit Decurt.

45. Vulgo, *Quid? si apud te veniat de subito prandium* etc., quod ne latinum quidem est. Sensit hoc Pareus deditque *eveniat*, frustra ob id sugillatus a Grutero. Passim haec mixta.

49. Vulgo, *Vbi tu lepide* etc. Omittunt pronomen Iunt. Ald., quod tamen ferri potest, si *voles* in unam syllabam contrahatur; vid. ad Amph. prol. 74.

50. *locum lepidum dabo*) Formula loquendi; cf. Poen. 529.

Manum da et sequere.

PISTOCLERVS

Aha, minime!

BACCHIS

Quid ita?

PISTOCLERVS

Quia istoc inlecebrosius
Fieri nil potest, Nox, Mulier, Vinum, homini adulescentulo.

BACCHIS

Age igitur: equidem pol nihili facio, nisi causa tua.
Ille hanc quidem abducet; tu nullus adfueris, si non lubet.

PISTOCLERVS

Sumne nihili autem, qui nequeam ingenio moderari meo?

BACCHIS

Quid est, quod metuas?

PISTOCLERVS

Nihil est. Nunc ego, mulier, tibi me emancupo;
Tuos sum; tibi dedo operam.

53. *Da manum, et conseq.* PI. *Au!*) Vulgo, *Manum da et sequere.* PI. *Aha, minime!* BA. *Quid ita?* PI. *Q. i. i.* Vett. edd., in his Iunt. Ald. *consequere*, quod olim placebat adeo, ut τῷ *aha* in *au* mutato verbum *minime*, tanquam interpretamentum eius, tollendum arbitrarer, quum praesertim temere id additum interdum scirem a librariis, velut Terentii Hec. III, 2, 25, ubi Pamphilus Parmenoni, *Cessas?* liber quidam non malae notae MS., quod Berolini asservatur in bibliotheca Regia, servum respondentem facit, *minime*, quod falsum arguit versus ratio. Verum iam intelligo nihil novandum esse verbumque *Manum* μονοσυλλάβως pronuntiandum, sicut Most. 323; vid. ad Amph. prol. 74.

56. Vulgo, *Ille quidem hanc abducet* etc., inconcinne quidem, sed satius fuerit rescribi *Ille hanc quidem abd.*, ut hic versus sit i. t., quales etiam 58, 59, item 63, 64, 69, 70 nunc existimo.

BACCHIS

Lepidus! nunc ego te facere hoc volo:
Ego sorori meae coenam hodie dare volo viaticam:
Ergo argentum tibi iubebo iam intus ecferri foras:
Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium.

PISTOCLERVS

Ego obsonabo: nam id flagitium sit meum, mea te gratia
Et operam dare mi, et ad eam operam facere sumtum de tuo.

BACCHIS

At ego nolo, dare te quidquam.

PISTOCLERVS

Sine.

BACCHIS

Sino equidem, si lubet.
Propera, amabo!

PISTOCLERVS

Prius hic adero, quam te amare desinam.

SOROR

Bene med accipis advenientem, mea soror.

BACCHIS

Quid ita, obsecro?

SOROR

Quia piscatus, meo quidem animo, hic tibi hodie evenit bonus.

59. *Lepidus*) Intell. *es*, quod ab interpretibus adscriptum in quibusdam libris. Meursius Exercc. critt. parte 1, *lepidu's* pro *lepidus es*; sed nihil opus; vid. ad Amph. 168.

61. Putide vulgatae, *Ego tibi arg.* etc.; inconcinne autem *iubeo* pro *iubebo*, quomodo item Epid. 644 male legitur *saeviunt* pro *saevibant*. *Iubebo* Charisius p. 180 Putsch. *Ergo* et *ego* saepius confusa.

63. *Obs. ego: nam id merum flagit. est*) Libri, *nam id flagitium meum, mea* etc., sicut Poen. 819 legitur: *Nam tuom flagitium est, tuas* etc. *Merum flagitium* dictum esset, ut alibi *mera mendacia*, *mera scelera*, *meri comitiales*; vid. Poen. 453 et Parei lexic. v. *Merum*. Sed eo nihil opus; itidemque standum cum vulgatis, *Ego obsonabo* praeferentibus, siquidem hic et sequens versus sunt iambici tetrametri acat.

BACCHIS

Meus ille quidem est: tibi nunc operam dabo de Mnesilocho, soror,
Hic ut accipias potius aurum, quam hinc eas cum milite.

SOROR

Cupio.

BACCHIS

Dabitur opera. — Aqua calet: eamus hinc intro, ut laves: 71
Nam ut in navi vecta es, credo, timida es.

SOROR

Aliquantum, soror.

BACCHIS

Simul hinc nescio quí turbare.

SOROR

Quin nunc hinc decedimus?

BACCHIS

Sequere hac igitur me intro in lectum, ut sedes lassitudinem.

69. *M. illic*) Retinenda lectio vulgata *M. ille*, nam hic quoque versus et proximus sunt iambi t.

73. Vulgo, *Simul hinc nescio qui turbat, qui huc it. decedamus.* MSS. 2 Camer., *S. huic n. q. turbare* etc.; codex Meursii: *S. h. nescio quid turb' est, quin hinc decedimus*; quomodo fere etiam vett. edd. Genuinam nunc censeo lectionem duorum codd. Camer. *turbare*, ut reponatur: *Simul hinc nescio qui turbare.* So. *Quin nunc hinc decedimus? Hinc* h. e. ab ea parte, unde veniunt Lydus et Pistoclerus. Vociferari et expostulare cum discipulo audit Lydum Bacchis; nam quod tacitum se dicit paedagogus 75, nugae; magistrorum non est tacere. *Nunc*, igitur, sicut passim, velut Capt. 951. De infinito *turbare* vid. ad 32.

LYDVS. PISTOCLERVS.

LYDVS

Iamdudum, Pistoclere, tacitus te sequor, i. s. I, 2.
Spectans, quas tute res hoc ornatu geras:
Nam ita me dî ament, ut Lycurgus mihi quidem
Videtur posse hic ad nequitiam adducier.
Quo nunc capessis ted hinc advorsa via,
Cum tanta pompad?

PISTOCLERVS

Huc.

LYDVS

Quid huc? qui istic habet?

PISTOCLERVS

Amor, Voluptas, Venus, Venustas, Gaudium,
Iocus, Ludus, Sermo, suavis Suaviatio.

LYDVS

Quid tibi commercî est cum dîs damnosissumis?

PISTOCLERVS

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Tu dîs nec recte dicis: non aequom facis.

LYDVS

An deus est ullus suavis Suaviatio?

75. Cui non hic in mentem veniat Charidemi illius, de quo vid. Martialis XI, 40?

76. Libri vett. inconcinne, *tu*. Viderunt plerique editores, videre noluerunt Gronovius Ernestiusque.

77. Male *Numque* exarari iusseram pro *nam* vulgato, ratus verbum ita posteriorem syllabam corripere, quam saepe porrectam habet, ut monui ad Amph. 475. Tò *di* propter ictum non eliditur; vid. ibid. ad 149.

80. Malim nunc, *Cum tanta pompad? Pi. Huc. Ly. Quid* etc. Vulgo autem, *quis istic*, correpta priore syllaba τοῦ *istic*, quod duriusculum in extremo versu.

82. Recurrit versus Pseud. 63. *Suaviatio* vel potius *suaviacio* V. C. a m. 2, si Pareo fides, quod retinui h. l.

PISTOCLERVS

An non putasti esse unquam? O Lyde, es barbarus,
Quem ego sapere nimio censui plus quam Thalem!
I, stultior es barbaro Poticio,
Qui tantus nato deorum nescis nomina.

LYDVS

Non hic placet mi ornatus.

PISTOCLERVS

Nemo ergo tibi
Hunc adparavit? mihi paratust, quoi placet.

LYDVS

Etiam me advorsus exordire argutias,
Quoi, si decem habeas linguas, mutum esse addecet?

PISTOCLERVS

Non omnis aetas, Lyde, ludo convenit.
Magis unum in mentem est mihi nunc, satis ut commode
Pro dignitate obsonî hoc concuret cocus.

LYDVS

Iam perdidisti te, atque mę atque operam meam,
Qui tibi nequidquam saepe monstravi bene!

PISTOCLERVS

Ibidem meam operam perdidi ego, ubi tu tuam:

agnominationis causa, quae inest verbis *suavis suaviatio*. Vid. ad Asin. 865.

87. *A. n. p. e. unquam? o L. e. b.*) Ita MSS. et ex editionibus Iunt. Ald.; nec longe abeünt his vetustiores, velut Sarrac., quae *nunquam*. Recentiores nec librorum nec metri ratione habita, *A. n. p. esse? nimium quam, o L., e. b.*

89. *Stultior* extremam syllabam ante vocalem producit, quam figuram exemplis illustravi ad Amph. prol. 38. Hoc nescientes alii fecerunt *Sed is stultior* etc., alii *Idem st.*, pessime omnium Scioppius Suspp. Lectt. II, 7, *Isne? st.*

92. Vulgo minus commode, *Hoc* (MSS. *Haec*) *app. m. paratum est, q. pl.* Scriptum antiquo more, de quo ad Aul. 590, *honc* pro *hunc* et ambigue contractum *paratust*, quod exhibet Iunt., librarios in fraudem illexerint.

94. Ineptissime libri, —*argutias?*

Tua disciplina nec mihi prodest, nec tibi.

LYDVS

O praeligatum pectus!

PISTOCLERVS

Odiosus mihi es.
Tace atque sequere, Lyde, me!

LYDVS

Illuc, sis, vide:
Non paedagogum iam me, sed Lydum, vocat.

PISTOCLERVS

Iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.
Non par videtur, neque sit consentaneum,
Quom hic *ipsus* intus siet et cum amica adcubet,
Quomque osculetur et convivae alii adcubent,
Praesente iis paedagogus una uti siet.

LYDVS

An hoc ad eas res obsonatum est, obsecro?

PISTOCLERVS

Sperat quidem animus; quo evenat, dîs in manu est.

LYDVS

Tu amicam habebis?

PISTOCLERVS

Quom videbis, tum scies.

Qui, si etc. quasi omnino mutus esse deberet Pistoclerus, quum se tantum castigante obmutescere velit hic Orbilius. Sic et Epid. 358 erratum.

105. Hunc versum vulgo post 114 inferunt, quum perspicuum sit, haec Pistocleri eo pertinere, quod paedagogum se non vocari conquestus est Lydus. Quod post 132 haec inseri iubet Acidalius Divv. in Ba. c. 2, fugit eum ratio.

107. Vulgo invitis libris vett., *Cum herus hic intus sit* etc. Decurt., *Cum haec intus intus sit* etc., in quo agnovi id, quod dedi, *ipsus intus*, siquidem *p* et *n* literas saepe mixtas constat, quod ubi factum esset h. l., corruptum *insus* in *intus* sedulo mutari fuit consentaneum. *Ipsus:* herus.

109. Vulgo inconcinne, *Praesentibus illis p. u. u. s. Praesente iis* prisce, ut *Absente nobis* Terent Eun. 595, ubi vid. interpres vetus. Conf. Amph. fragm. 1.

111. Vulgo duriore numero, *éveniát.* Vid. nos ad Aul. 110.

LYDVS

Imo neque habebis, nec sinam: iturus domum?

PISTOCLERVS

Omitte, Lyde, ac cave malo.

LYDVS

Quid? cave malo?
O barathrum, ubi nunc es? ut ego te usurpem lubens!
Video nimirum multo plus, quam volueram:
Vixisse nimio satiust iam, quam vivere!
Magistron' quemquam discipulum minitarier?
«Nil moror, discipulos esse mihi tam plenos sanguinis.»

t. t. c.

113. Inepte libri, *iturus sum domum*, quo nihil gratius accidere poterat adolescenti. Imo hunc domum ire iubet magister, quem reprimens puer iratus: *omitte, Lyde, ac cave malo.*

114. Vulgo, sicut iam monui ad 105: — — — — *cave malo.* PI. *Iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.* LY. *O barathrum* etc. Medium versum delens h. l. Acidalius Divinat. p. 195 seq.: «Ad minas, *inquit*, discipuli sic miser exclamat paedagogus, et de iis queri tantum apparet ex deincipe versu: *Magistron' quemquam discipulum minitarier?* Quodsi et illud ille addidisset hic, excessisse sibi ex magisterio eius aetatem: hic certe id quereretur etiam et multo miserabilius lamentaretur. Iam vestigium in oratione huius nullum est, unde colligas indignam illam vocem cum minis pariter emissam.»

116. Vulgo, *Video nimio iam multo p. q. v.* Haud nescio coniungi interdum *nimius* et *multum*, velut infra 630 Mnesilochus, *Imn vero nimio minus multo parum*; sed huc quominus admitterem *nimio*, in causa fuerunt primum cumulata homoeoteleuta *Video nimio multo*; deinde pravus accentus τοῦ *nimio*; tum maxime recurrentes eaedem voces *nimio* et *iam* sequente versu: quae quidem omnia ferrem in homine vel infante vel negligentiore, non autem fero in magistro eloquente et severo, qualis est Lydus. Τῷ *nimirum* quam sit vicinum *nimio iam*, quamque illud sit aptum huic loco, quisque videt.

119. Notam metricam addere huic versui oblitus eram. Est autem t. t. c., qualem ex propria sua persona, et unicum quidem inter meros iambos, cur pronuntiarit Lydus? Equidem id non exputo, arbitrorque haec alicuius esse sive antiquiorum sive aequalium Plauti poëtarum scenicorum. Legitur autem vulgo, — *iam plenos sanguinis*, quod quid sibi velit, non assequare, nisi plenos sanguinis interpretere secundum Acidalium *adultos, robustos* et *validos*, id quod fieri non potest, quum istis verbis nulla insit aetatis significatio, sed naturae animique: nam τὸ *iam* referri ad priora, ut iungatur (nescio quo sensu) *iam esse* vel *nihil iam moror*, quod in

Valens adflictet me vacivom virium.

PISTOCLERVS

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.

LYDVS

Pol metuo mage, ne Phoenix tuis factis fuam,
Teque ad patrem esse mortuom renuntiem.

PISTOCLERVS

Satis historiarum est.

LYDVS

Hic vereri perdidit.
Conpendium edepol haud aetati optabile
Fecisti, quom istanc nactus inpudentiam! —
Occisus hic homo est. — Ecquid in mentem est tibi,
Patrem tibi esse?

PISTOCLERVS

Tibi ego, aut tu mihi servos es?

LYDVS

Peior magister te istaec docuit, non ego.
Nimio es tu ad istas res discipulus docilior,
Quam ad illa, quae te docui, ubi operam perdidi.

PISTOCLERVS

Istactenus tibi, Lyde, libertas data est

mentem veniebat Acidalio, etsi synchysin satis frequenter usurpat Noster, durius tamen est quam quidquam in hoc genere, quod legere meminerim apud scriptores. Recte procul dubio Angelius, Iuntinae curator editionis, quem ignorat optimus noster divinus, *tam plenos sanguinis*, h. e. interprete Lambino, *tam animosos*, *tam validos* etc.

120. Libri *adflictat*, corrigente Acidalio. *Adflictet*, *adflictare possit*, per potentialem, quem vocant, modum. Cf. Aul. 42, Poen. 192.

124. *Vereri* vicem nominis praestat, sicut *amare* Curc. 28. Cf. Vechneri Hellenolex. I, 2, 10.

126. Post hunc versum 134, 135 inserebat Acidalius maxime propterea, quod verbis *Sequere hac ac tace* aptissime concludi videretur scena. Sed nihil opus: magister non foret Lydus, si iussus statim taceret, sed obloquitur hic ut supra 103, vociferansque et cum discipulo altercans abit, convenienter suae personae. Magis etiam errabat noster Criticus, quum post versus istos sequi iuberet 132, 105, et tum denique in versu 127 filum orationis, qualis in vulga-

Orationis: satis est. Sequere hac me, ac tace.

LYDVS

Edepol fecisti furtum in aetatem malum,
Quom istaec flagitia me celavisti et patrem!

CHRYSALVS.

Herilis patria, salve, quam ego biennio, i. s. II, 1
Postquam hinc in Ephesum abivi, conspicio lubens!
Saluto te, vicine Apollo, qui aedibus
Propinquos nostris adcolis, veneroque te,
Ne Nicobulum me sinas, nostrum senem,
Prius convenire, quam sodalem viderim
Mnesilochi Pistoclerum, quem ad epistolam
Mnesilochus misit super amica Bacchide.

PISTOCLERVS. CHRYSALVS.

PISTOCLERVS

Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quaesere,
i. s. II, 2
Qui abire hinc nullo pacto possim, si velim:

tis est, resumeret: nam unde, quaeso, tot simul versuum traiectiones? Et, quod maximum est, *libertas* pro eo quod est libertas loquendi sive orationis, ut Hic ait, vel graeco verbo παῤῥησία, ne latinum quidem est.

133. V. C. *Sequ. me hac a. t.* Legendum: *S. hac m. a. t.* *Hac* significanter, ad Bacchides, non domum paternam, quo abducere vult perditum adolescentem Lydus.

134–135. Hi versus ante duos praecedentes legebantur in V. C. Camer.

137. Vulgo, *abii*, quod ferri posset non eliso *Ephesum*. Codex Meursii lunt. Ald. *abui*, *nunc consp. l.* De isto codice quid mihi videretur, dixi ad Aul. 782 sqq.

142. Frustra Nicol. Angelius, anastrophe offensus, *M. Pistoclêron, ad quem ep.* Similiter Hic passim, velut infra 161, Amph. 82, Asin. 378, Curc. 463, Epid. 165, Trin. 1083. Vide etiam ad Aul. prol. 39.

Ita me vadatum amore vinctumque attines.

CHRYSALVS

Proh dî inmortales, Pistoclerum conspicor!
O Pistoclere, salve!

PISTOCLERVS

Salve, Chrysale!

CHRYSALVS

Conpendî verba multa iam faciam tibi.
Venire tu me gaudes: ego credo tibi;
Hospitium et coenam pollicere, ut convenit,
Peregre advenienti: ego autem venturum adnuo;
Salutem tibi ab sodali solidam nuntio:
Rogabis me, ubi sit? vivit.

PISTOCLERVS

Nempe recte valet?

CHRYSALVS

Istuc volebam ego ex te percontarier.

PISTOCLERVS

Qui scire possum?

CHRYSALVS

Nullus plus.

PISTOCLERVS

Quemnam ad modum?

CHRYSALVS

Quia si illa inventa est, quam ille amat, recte valet;

154. Vulgo invitis libris vett. *R. m. u. s.* PI. *Vivit. nempe* etc. Inepte quoque, siquidem, viveret Mnesilochus an non viveret, scire non potuit, nisi divinatione, Pistoclerus. De pronuntiando *Nempe*, quod fraudi fuit Gulielmio Quaest. in Ba. c. 4, vid. ad Asin. 770. *Vivit* et *valet* in formula coniungebant de absente nuntiantes; Cf. 211.

157. Vulgo, *Q. s. i. i. e. q. ille* (hoc abest Iunt. Ald.) *amat*, *vivit recte et* (Sarrac. *viv. et recte*; Iunt. Ald. abest copula) *valet*; *ὑπερμέτρως* quidem et inepte, quum id solum quaeratur, *an valeat Mnesilochus*. Nescio quis, vel qoia iuncta supra 154 *vivit et valet*, vel quia sequentibus *moribundus est* aliquid respondere voluit h. l., *τὸ vivit* adscribillaverit.

Si non inventa est, minus valet, moribundus est.
Anima est amica amanti; si abest, nullus est;
Si adest, res nulla est: ipsus est nequam et miser.
Sed tu quid factitasti mandatis super?

PISTOCLERVS

Egon' ut, quod ab illo attigisset nuntius,
Non inpetratum id advenienti redderem?
Regiones colere mavellem Acherunticas!

CHRYSALVS

Eho, an invenisti Bacchidem?

PISTOCLERVS

Samiam quidem.

CHRYSALVS

Vide, quaeso, ne quis tractet illam indiligens:
Scis tu, ut confringi vas cito Samium solet.

PISTOCLERVS

Iamne, ut soles?

CHRYSALVS

Dic, ubi ea nunc est, obsecro!

PISTOCLERVS

Hic, exeuntem me unde adspexisti modo.

CHRYSALVS

At istuc est lepidum! proxumae viciniae
Habitat? Ecquidnam meminit Mnesilochi?

PISTOCLERVS

Rogas?

Imo unice unum plurimi pendit.

CHRYSALVS

Papae!

158. MSS. et vett. edd. *moribundusque est*, ut copulas addere de suo solent scribae. Correxit Camer.

159. Tò *si* non elidendum; vid. ad Amph. 149. Frustra Angelius, *si ea ab*.

163. Vulgo minus eleganter, *advei redd*. Sequor vett. nonnullas edd. in his Iunt.

171. *Ecquidnam*) Ita Iunt. Camer. Vulgo frequenti literarum *c* et *t* confusione, *Et quidnam*.

172. *unice unum*) Pleonasmus Plau-

PISTOCLERVS

Imo ut eam credis? misere amans desiderat.

CHRYSALVS

Scitum istuc!

PISTOCLERVS

Imo, Chrysale....

CHRYSALVS

Hem!

PISTOCLERVS

Non tantulum
Vnquam intermittit tempus, quin eum nominet.

CHRYSALVS

Tanto hercle melior Bacchis.

PISTOCLERVS

Imo...

CHRYSALVS

Imo abiero
Potius.

PISTOCLERVS

Num invitus rem bene gestam audis heri?

CHRYSALVS

Non res, sed actor, mihi cor odio sauciat.
Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo,
Nullam aeque invitus specto, si agit Pollio.

tinus, de quo vid. Parei lexic. Plaut. h. v.

173. Absurde libri, *I. u. eum o?* Cf. Curc. 59. Iidem minus bene, *misera;* V. C., teste Pareo, *misere.* Vtramque correctionem praeivit Acid.

174. *Hem* vulgo, nescio qua ratione, Pistoclero tribuitur. Respondentis est, sicut Terent. Andr. I, 2, 13.

176. Vulg. refragante versu, *Imo hercle abiero.* Abest *hercle* Iunt. Ald.

178. Vulgo, *Non herus, sed actor* etc., ne hiscentibus quidem editoribus. Locum hic non habet *herus*, habet *res*, h. e. fabula seu comoedia. Cf. Asin. prol. 14, Capt. prol. 5[illegible].

180. Vulg. *Pellio*, quomodo casci illi etiam *Apellinem* dixerint pro *Apollinem.* Sed de hoc more veterum non constat, putoque o et *e* literas inter se forte commutatas h. l., sicut alibi factum saepius; vid. ad Asin.

Sed Bacchis etiam fortis tibi visa est?

PISTOCLERVS

Rogas?
Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.

CHRYSALVS

Edepol, Mnesiloche, ut hanc rem natam intellego,
Quod ames, paratum est: quod des, invento est opus.
Nam istic fortassis aurum opust.

PISTOCLERVS

Philippeo quidem.

CHRYSALVS

Atque eo fortasse iam opust.

PISTOCLERVS

Imo etiam prius:
Nam iam huc adveniet miles . . .

CHRYSALVS

Et miles quidem?

PISTOCLERVS

Qui de amittunda Bacchide aurum hic exiget.

CHRYSALVS

Veniat quando volt, atque ita ne mihi sit morae.
Domi est: non metuo, neque ego quoiquam supplico,
Dum quidem hoc valebit pectus perfidia meum.
Abi intro: ego hic curabo; tu intus dicito,
Mnesilochum adesse, Bacchidi.

765. P. Pollionem, comoedum illius temporis minus probatum, novimus etiam ex Symmachi Epist. X, 2.

182. Vulg. *dicerem*, quasi scilicet, quia nactus sit alteram Bacchidem Pistoclerus, quae Venus videtur ipsi, alteram Iunonem vocare non liceat. Reponere *ducerem*, verbum nuptum, cuius vis erat: tamen id primus fecit Lipsius.

185. Vulg. *N. i. fortasse auro est opus*, extra ictum posito τῷ *auro*, verbo totius sententiae gravissimo.

188. Vulgo minus bene, *exiget*. Non deterius foret: *hinc exiget*, *hinc*, a Bacchidis sorore.

190. Vulgo abest pronomen, non sine detrimento versus, siquidem *quoi* semper est monosyllabum.

PISTOCLERVS

Faciam, ut iubes.

CHRYSALVS

Negotium ad med attinet hoc aurarium.
Mille et ducentos Philippum attulimus aureos
Epheso, quos hospes debuit nostro seni:
Inde ego hodie aliquam machinabor machinam,
Vnde aurum ecficiam amanti herili filio.
Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?

NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NICOBVLVS

Ibo in Piraeeum; visam, ecquae advenerit i. s. II, 3.
In portum ex Epheso navis mercatoria:
Nam meus formidat animus, nostrum tam diu
Ibi desidere, neque redire filium.

CHRYSALVS

Extexam ego illum pulcre iam, si dî volunt!
Haud dormitandum est: opus est chryso Chrysalo!
Adibo hunc, quem quidem hodie faciam hic arietem
Phryxi ego: ita tondebo auro usque ad vivam cutem.
Servos salutat Nicobulum Chrysalus.

NICOBVLVS

Proh dî inmortales! Chrysale, ubi mi est filius?

CHRYSALVS

Quin tu salutem primum reddis, quam dedi?

NICOBVLVS

Salve. Sed ubinam est Mnesilochus?

CHRYSALVS

Vivit; valet.

195. Vulgo inconcinne, *Philippos.* Cf. 238.

NICOBVLVS

Venitne?

CHRYSALVS

Venit.

NICOBVLVS

Euax, adspersisti aquam!
Benene usque valuit?

CHRYSALVS

Pancratice atque athletice.

NICOBVLVS

Quid hoc, qua causa eum hinc in Ephesum miseram?
Accepitne aurum ab hospite Archidemide?

CHRYSALVS

Heu, cor meum et cerebrum, Nicobule, finditur,
Istius hominis ubi fit quaque mentio.
Tun' hospitem illum nominas, hostem tuom?

NICOBVLVS

Quid ita, obsecro, hercle?

CHRYSALVS

Quia edepol certe scio,
Volcanus, Sol, Luna, et Dies, dei quatuor,
Scelestiorem nullum inluxere alterum...

NICOBVLVS

Quamne Archidemidem?

CHRYSALVS

Quam, inquam, Archidemidem.

NICOBVLVS

Quid fecit?

CHRYSALVS

Quid non fecit? quin tu id me rogas?
Primumdum inficias ire coepit filio;
Negare, se debere tibi triobulum:

218. *Pancratice atque athletice*) Similiter Epid. 18, *Pugilice atque athletice*.

Continuo antiquom ibi hospitem nostrum sibi
Mnesilochus advocavit, Pelagonem senem:
Eo praesente homini extemplo ostendit symbolum,
Quem tute dederas ad eum, ut ferret, filio.

NICOBVLVS

Quid, ubi ei ostendit symbolum?

CHRYSALVS

Infit dicere,
Adulterinum et non eum esse symbolum;
Quotque innocenti dixit contumelias!
Adulterare etiam aibat rebus ceteris.
Longum est, triconem maleficum exornarier.

NICOBVLVS

Habetin' aurum? id primum mihi dici volo.

CHRYSALVS

Postquam quidem Praetor recuperatores dedit,
Damnatus demum, vi coactus reddidit
Mille et ducentos Philippum.

NICOBVLVS

Tantum debuit.

CHRYSALVS

Porro etiam ausculta pugnam, quam voluit dare.

NICOBVLVS

Etiamne est quid porro?

CHRYSALVS

Hem, accipe: trina haec nunc erit.

NICOBVLVS

Deceptus sum: Autolyco hospiti aurum credidi.

226. *ibi*, quod abest vulgo, praebent Iunt. Ald. Fulcit versum, nec tamen omnino necessarium est; vid. ad Amph. 341.

233. *etiam*) Vulgo, *eum*, sine vi et gratia. Adulterare iste dixit, ut persuadere quidem seni vult Chrysalus, Mnesilochum etiam aliis rebus, sicut symbolo.

234. Perquam inepte versus hic post. 245 insertus legitur in libris. Animadvertit Acid.

239. *Dare* pro *edere*, simplex pro composito, est usurpatum. Sic etiam

CHRYSALVS

Quin tu audi.

NICOBVLVS

Imo avidi ingenium haud pernoram hospitis.

CHRYSALVS

Postquam aurum abstulimus, indu navem conscendimus,
Domum cupientes: forte ut adsedi in stega,
Dum circumspecto, atque ego lembum circumspectod..

NICOBVLVS

Perii hercle! lembus ille mihi laedit latus!

CHRYSALVS

Is erat communis cum hospite et praedonibus.

NICOBVLVS

Adeon' me fuisse fungum, ut qui illi crederem,
Quom mi ipsum nomen eius Archidemidis
Clamaret, demturum esse, si quid crederem!

CHRYSALVS

Is nostrae navi lembus insidias dabat.
Occoepi ego observare eos, quam rem gerant.
Interea e portu nostra navis solvitur;
Vbi portu exiimus, homines remigio sequi,
Neque aves neque venti citius. Quoniam sentio,
Quae res gereretur, navem extemplo statuimus.
Quoniam vident nos stare, occeperunt ratem
Turbare inportune.

NICOBVLVS

Edepol mortalis malos!
Quid denique agitis?

CHRYSALVS

Rursum in portum recipimus.

Afer Eun. 843: *Dabit pugnam hic aliquam denuo.*
258. Corrupte nec iusto numero libri, *Turbara in portu.* Nt. *E m. m.* Syllaba *ne* in *inportune* a sequente nota personae intercepta est. *Inport,*

NICOBVLVS

Sapienter factum a vobis! Quid illi postea?

CHRYSALVS

Revorsionem ad terram faciunt vesperi.

NICOBVLVS

Aurum hercle auferre voluere! ei re operam dabant!

CHRYSALVS

Non me fefellit; sensi.

NICOBVLVS

Ego exanimus fui!

CHRYSALVS

Quoniam videmus, auro insidias fieri,
Capimus consilium continuo: postridie
Auferimus inde aurum omne, illis praesentibus,
Palam atque aperte, ut illi id factum scisceret.

NICOBVLVS

Scite hercle! Cedo, quid illi?

CHRYSALVS

Tristes eloco,
Quom extempulo a portu ire nos cum auro vident,
Subducunt lembum capitibus quassantibus.
Nos apud Theotimum omne aurum deposivimus.

NICOBVLVS

Qui istic Theotimus?

CHRYSALVS

Megalobyzi filius,

retrahit accentum; vid. ad Asin. 143.

263. Vulgo, *eo ex. fui*, et continuant haec Chrysalo: quam apte, ipsi viderint. Non est observatoris esse exanimum. Cf. 252 sqq. *Eo*, *ego*, *ergo* saepissime miscentur.

269. *abire*) Ita Iunt. Ald. Gryph. sed rescribendo *extempulo* servari potest vulgatum *ire*.

271. Vulg. ἀμέτρως *deposuimus*. Correxit Sciopp. Suspp. Lectt. V, 15.

272. *Megalobyzi*) Hoc idem τῷ *Megabyzi*, quod alii praetulere. Ita generali nomine appellati omnes Dianae Ephesiae sacerdotes. Vide Meursii Exercc. critt. p. 128 et, quem laudat, Strabonem lib. 14. MSS. etiam, teste Taubmanno, 2 Camerariani, in quibus *Megalobusi* fuisse Pareus ait, item vett. editt. *Megalobuli*.

Qui illi est sacerdos Dianai Ephesiae,
Qui nunc in Epheso est Ephesiis carissumus.

NICOBVLVS

Nae ille hercle mihi sit multo tanto carior,
Si me illoc auro tanto circumduxerit!

CHRYSALVS

Quin ipsa Dianai in aede conditum est;
Ibidem publicitus servant.

NICOBVLVS

Occidistis me!
Nimio hic privatim servaretur rectius.
Sed nilne iam attulistis inde auri domum?

CHRYSALVS

Imo etiam. Verum, quantum attulerit, nescio.

NICOBVLVS

Qui nescis?

CHRYSALVS

Quia Mnesilochus noctu clanculum
Devenit ad Theotimum, nec mihi credere
Nec quoiquam in navi voluit: eo ego nescio
Quantum illim attulerit; verum haud permultum attulit.

273. *in D. E.*) Sic itidem Angelius, quem nescio quo pacto saepius hic audivi; nam vulgo abest *in*, et recte abest, modo reponatur *Dianai*, quod etiam 277 fecimus.

280. Vulg. *Sed vos nihilne att. i. a. d.*; at Sarracen. *Sed nihilnam att.* etc., omisso pronomine supervacuo, et in ictu posita voce graviore *nihil*, sed frustra illato *nam*, in quo *iam* latere mihi videbatur, quod aptissimum.

282. *Quid? nescis?* Malim, *Qui nescis?* Infra 431, PHIL. *Quidum?* LY. *Quia, malum si promtet, indies faciat minus;* Epid. 31, *Erit illi illa res honori.* EP. *Qui?* TH. *Quia ante aliis fuit;* et ibid. 263 sq. PE. *Qui scis?* EP. *Scio, quia mihi alius dixit* etc.; Most 55, TR. *Qui scis, an tibi istuc prius eveniat, quam mihi?* GR. *Quia nunquam merui;* et 439 sq., TR. *Quidum?* GR. *Sic: quia foris ambulatis;* et ibidem 717, SI. *Qui?* TR. *Quia venit navis* etc. Cf. Merc. 387, 396, 500; Terent. Eun. 223, Phorm. 295. Sic passim.

285. Vulg. inconcinne quidem, *Quantulum att.* Iunt. Ald. *Quantillum att.* Legendum, *Quantum illim attulerit.* *Illim* sicut *Inde* 280. Similiter Poen. 841 pro *illinc* V. C. prae-

NICOBVLVS

Etiam dimidium censes?

CHRYSALVS

Non edepol scio;
Verum haud opinor.

NICOBVLVS

Fertne partem tertiam?

CHRYSALVS

Non hercle opinor; verum verum nescio.
Profecto de auro nil scio, nisi nescio.
Nunc tibimet illuc navi capiundum est iter,
Vt illud reportes aurum ab Theotimo domum.
Atque heus tu!

NICOBVLVS

Quid vis?

CHRYSALVS

Anulum gnati tui
Facito ut memineris ferre.

NICOBVLVS

Quid opust anulo?

CHRYSALVS

Quia id signum est cum Theotimo: qui eam illi adferet,
Ei aurum ut reddat.

NICOBVLVS

Meminero: recte mones.
Sed istic Theotimus divesne est?

CHRYSALVS

Etiam rogas,
Qui soccis habeat auro subpactum solum?

ferebat *illim*, Dec. *illum*, nec Most. 455 melius expeditur quam reponendo, Tr. *Et heus, iube illos illim, amabo, abscedere.* Cic. De Off. I, 42 extr. optimus Fabricii liber, *illim*, 4 alii, *illa*, quod eodem redit. Cf. Poen. 913; Cic. ad Att. VII, 13 extr., XI, 17; Mureti Varr. Lectt. XII, 11; Scioppii Suspp. Lectt. I, 21.

295. Vulg. *mem. et recte mones.* Valde friget copula, nec dubito, quin ab interprete profecta sit, asyn-

NICOBVLVS

Cur ita fastidit?

CHRYSALVS

Tantas divitias habet:
Nescit, quid faciat auro.

NICOBVLVS

Mihi dederit velim.
Sed qui praesente id aurum Theotimo datum est?

CHRYSALVS

Populo praesente; nullust Ephesi, quin sciat.

NICOBVLVS

Istuc sapienter saltem fecit filius,
Quom diviti homini id aurum servandum dedit:
Ab eo licebit quamvis subito sumere.

CHRYSALVS

Imo enim tantisper nunquam te morabitur,
Quin habeas illud, quo die illuc veneris.

NICOBVLVS

Censebam, me ecfugisse a vita marituma,
Ne navigarem tandem hoc aetatis senex;
Id mi haud, utrum velim, licere intellego:
Ita bellus hospes fecit Archidemides.
Vbi nunc est ergo meus Mnesilochus filius?

CHRYSALVS

Deos atque amicos iit salutatum ad forum.

NICOBVLVS

At ego hinc ad illum, ut convenam, quantum potest.—

CHRYSALVS

Ille est oneratus recte, et plus iusto vehit!

detou haud ferente. Quanto rectius nos, *Meminero: recte mones*, h. e. *Meminero: quia recte mones.*

305. Ineple vulgo. *Imo hem tant.* etc. MSS., *I. em.* Compendium τοῦ *enim* non sunt assecuti. Eleganter coniunguntur *Imo enim*, *Imo enim-vero.* Terentius Phorm. 304, *Imo enim nemo satis pro merito gratiam regi refert.*

313. Vulg. minus modulate, *conveniam.* Vid. ad Aul. 130.

Exorsa haec tela non male omnino mihi est,
Vt amantem herilem copem facerem filium.
Ita feci, ut auri quantum vellet sumeret;
Quantum autem lubeat reddere, ut reddat patri.
Senex in Ephesum ibit, aurum arcessere;
Hic nostra agetur aetas in malacum modum,
Si quidem hic relinquet, nec secum abducet, senex
Med et Mnesilochum. Quas ego hic turbas dabo! —
Sed quid futurum est, quom hoc senex resciverit?
Quom se excucurrisse illuc frustra sciverit,
Nosque aurum abusos? quid me fiet postea?
Credo hercle, adveniens nomen mutabit mihi,
Facietque extemplo Crucisalum me ex Chrysalo.
Aufugero hercle, si magis usus venerit;
Si ero reprehensus, macto illum infortunio:
Si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domi est.
Nunc ibo: herili filio hanc fabricam dabo
Super auro amicaque eius inventa Bacchide.

LYDVS

Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro! t. t. c. III, 1
Nam equidem haud aliter esse duco: quippe quo nemo advenit,
Nisi quem spes reliquere omnes, esse ut frugi possiet. –
Bacchides non Bacchides, sed Bacchae sunt acerrumae.
Apage istas a me sorores, quae hominum sorbent sanguinem!

325. Vulg. *q. mihi f. p.?* quod inusitatius.

329. Vulgo, difficiliore numero, *macto ego ill. inf.*

O nnis ad perniciem instructa domus opime atque opipare!
Quae ut adspexi, me continuo contuli protinam in pedes.
Egone ut haec conclusa gestem clanculum? ut celem patrem,
Pistoclere, tua flagitia, aut damna, aut desidiabula,
Quibus patrem et me teque amicosque omnis adfectas tuos
Ad probrum, damnum, flagitium adpellere una et perdere?
Neque mei neque te tui intus puditum est factis, quae facis,
Quibus tuom patrem, meque una, amicos, adfinis tuos,
Tuad infamia fecisti gerulifigulos flagiti!
Nunc priusquam malum istuc addis, certum est, iam dicam patri.
De me hanc culpam demolibor iam, et seni faciam palam:
Vt eum ex luculento coeno propere hinc eliciat foras.

338. Terentius Heaut. 397 sq., *Nam, ut tu scias, Quam ea nunc instructa pulcre ad perniciem siet* etc.

339. *Protinam* item adhibuit Terentius Phorm. I, 4, 13, ubi vulgo, *protinus*; sed Donatus, « Protinàm, *inquit*, fuit, et sic Nigidius legit. »

341. *desidiabula*) Nonius v. *Affectare*; *despoliabula*, de quo arbitrandum.

342. *adfectas*) MSS. proclivi lapsu, *adflictas*; nam lapsum eum esse, non ex editionibus tantum principibus intelligitur et Nonio, qui istam vocem diserte laudat ad priorem formam, ut ait Taubmannus, sed ipsa sententia illud exposcit, hoc adspernatur; siquidem *adfectas*, pertinens ad *appellere* et *perdere*, coniungit haec cum sequente versu, *adflictas* vero pendentem eum destituit, ut vix intelligas; id quod non animadvertisse miror. Scioppium Suspp. Lectt. V, 15.

344. Tò *te*, quod sententiae peraptum, versui autem est necessarium, arcessivi ex Iuntina; nam vulgo desideratur.

349. Vulg. *lutulento*; sed bene I. Gulielmius Quaestt. in Bacch. c. 2: « Versus, *inquit*, suadere videtur ut corrigamus *Vt eum ex luculento coeno*; est enim trochaicus septenarius; tum acute dictum *luculentum coenum* pro meretricum amoenitatibus et blanditiis, quae in speciem luculentae et splendidae, sed vitam et famam, si in iis volutere, collutulant. » Dicere autem voluit vir optimus trochaicum octonarium catalecticum.

MNESILOCHVS

Multimodis meditatus egomet mecum sum, et ita esse arbitror: t. t. c. III, 2
Homini amico, qui est amicus ita, uti nomen possidet,
Nisi deos, ei nil praestare. Id opera expertus sum esse ita:
Nam ut in Ephesum hinc abii (hoc factum est ferme abhinc biennium),
Ex Epheso huc ad Pistoclerum meum sodalem literas
Misi, amicam ut mi inveniret Bacchidem; illum intellego
Invenisse, ut servos meus mihi nuntiavit Chrysalus.
Condigne isque technam de auro advorsum meum fecit patrem,
Vt mihi amanti copia esset. Aequom video id reddere:

350. Vulg. *Multis modis*, solito errore. *Multimodis* Hic etiam alibi, item Terentius, Lucretius, Cicero; quomodo et *Omnimodis* legitur; et legendum est *Mirimodis* Trin. 893, si quidem versum salvum velis. Vid. Parei lexic. Plaut. v. *Multimodis*, nos ad Terent. Hec. 644.

357. Vulg. *C. is quam t.* etc. Mirati sunt VV. DD. *Quam* admirantis ab initio sententiae paulum remotum, quorum Lambinus *qui* legendum contendit, Acidalius etsi τὸ *Quam* haud omnino improbet, mavult tamen *quoque*, ad quam faciem Noster dixerit Aul. 417, *Condigne etiam meus med intus gallus gallinaceus* etc. His ego obsecutus, *isque* dedi pro *is quoque*, memor illorum, quae protuli ad Asin. 191, sed moris esse immemor Plautini verba liberius transponere, de quo item monui ad Amph. 378, quem et h. l. fortasse usurpavit.

358. MSS. et vett. editt., *sed eccum video incedere*. At vero Muretus Varr. Lectt. XIII, 18: «Quis, quaeso, ille est, *inquit*, quem ait se videre incedere? Certe nemo eorum, quos nominarat. Legendum igitur *Sed aequum id ei reddere*; idque aperte declarant, quae statim subiicit; *Nam pol q.* etc. Negat committendum sibi esse, ut ingratus habeatur; ideoque diligenter sibi videndum, quomodo gratiam Chrysalo referat.» Ingeniosa profecto coniectura, sed nimia: nam quod *eccum* in *aequum* commutavit vir elegans, laudo, quomodo V. C. *sequius* pro *secus* Aul. 388, *quoquus* pro *cocus* seu *coquus* MSS. Pseud. 374, et contra *eccum* pro *aequum* Ba. 358, *ae cuius* pro *aequius* Poen. 228; sed quod *video* illud scriptorum repudiavit, id vero feren-

Nam pol, meo quidem animo, ingrato nihil est homine inpensius;
Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficum.
Praestat nimio, inpendiosum te, quam ingratum, dicier:
Illum laudabunt boni; hunc etiam ipsi culpabunt mali.
Qua me causa magis cum cura esse aequom et obvigilato opust.
Nunc, Mnesiloche, specimen specitur, nunc certamen cernitur,
Sisne necne, ut esse oportet; malus, bonus, quoiusmodi, in-
iustus, iustus; malignus, largus; commodus, ne incommodus.
Cave, sis, te superare servom siris faciundo bene!
Vtut eris, moneo, haud celabis. — Sed eccos video incedere
Patrem sodalis et magistrum. Hinc auscultabo, quam rem agant.

dam non arbitror, sed vel legendum *Sed aequom video id reddere*, intellecto *me* pronomine et eliso *e* in *Sed*, quem locum illustravi ad Amph. prol. 74, vel, quod malim, *-set* syllabam in *esset* forte geminatam ortum adverbio dedisse ratus, hoc expuncto, *Aequom video id reddere*.

359. *inpensius*) H. e. gravius, molestius. Scripserit Graecus, quem Hic expressit, Ἀνδρὸς ἀχαρίςου δεινότερον οὐδὲν πέλει.

363. *Qua mihi causa mage concurato atque advigilato est op.*) Vulgo, *Q. me c. magis cum cura esse ea quam* (MSS. et vett. edd., velut Sarracen. *eum*) *obvigilato est opus*. Lambinus olim, *Qua mi c. m. accurato atque advigilato est o.*, quem satius erat non audire, sed potius reponere, *Qua me causa magis cum cura esse aequom et obvigilato opust*. *Cum cura* esse dictum, ut pleraque eiusmodi apud priscos, ubi praepositionem minus amant seriores. Vidd. Capt. 734, Most. 242, 637, Rud. 166, Stich. 337, 616, Trin. 806, et lexica, inprimis Parei Plaut. v. *Cum*.

366. *ne incommodus*, h. e. *an incommodus*. Vulgo claudicante versu, *commodus*; *incommodus*; nam quae de ectasi tradit Wasius Senario, non omnibus subscribo.

369. *sodalis*) Ita vulgo legitur: qua lectione approbata erit hic unicus tota scena iambus et in media sententia subito usurpatus nulla alia de causa, nisi quia novae personae

LYDVS. PHILOXENVS. MNESILOCHVS.

LYDVS

Nunc experiar, sitne acetum tibi coram acre in pectore.
t. t. c. III, 3.
Sequere.

PHILOXENVS

Quo sequar? quo ducis nunc me?

LYDVS

Ad illam, quae tuom
Perdidit, pessumdedit, tibi filium unice unicum.

PHILOXENVS

Heia, Lyde, leniter qui saeviunt, sapiunt magis.
Minus mirandum est, illaec aetas si quid illorum facit,
Quam si non facit. Feci ego istaec itidem in adulescentia.

LYDVS

Hei mihi, hei mihi, istaec illum perdidit adsentatio!

prodeunt in scenam; id quod nusquam fieri memini in toto Plauto. Accedit, quod verisimile est, vocem rariorem *socienni* miratos esse librarios eique tritam *sodalis* substituisse h. l., sicut *socii* Amph. 228. Nihilominus pro *socienni*, quod dederam, vulgatam lectionem nunc retineo.

370. Vulg. *Nunc experiar, sitne acetum tibi cor acre in pectore*, h. e., inquit Taubm., quod ita resipiat *acetum*, ut *acetum* dici possit. Cuius loquendi formulae plura desidero exempla. MSS. continue, *coracre*, quod ortum, ut opinor, ex *corācre*, h. e. *coram acre*; certe nihil aptius huic loco. Domi paedagogus erat expertus, an ira incenderetur senex, sed frustra; nunc coram filio et scorto factum it periculum. *Coram* absolute, sicut Trin. 544 et passim alibi. *Acetum* pro sapientia item saepe et Hic et alii; vid. Parei lexic. Plaut. h. v.

372. Vulg. inepte atque inconcinne, *uni unicum*. *Vnice unus* in elegantiis est Plautinis; vid. ad Asin. 192.

375. Vulgo itidem inconcinne, *faciat*; sed Iunt. Ald., *si non facit*, ut ante, *si quid facit*. Servo autem nunc vulgatum ego post *Feci*, ut *facit* μονοσυλλάβως efferatur; vid. ad Amph. prol. 74.

Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum;
Nunc propter te tuamque pravos factus est fiduciam
Pistoclerus.

MNESILOCHVS

Dî inmortales! meum sodalem hic nóminat.
Quid hoc negotî est, Pistoclerum Lydus quod herum tam ciet?

PHILOXENVS

Lyde, paulisper lubido est homini suo animo obsequi;
Iam aderit tempus, quom sese etiam ipse oderit. Morem geras.
Dum caveatur, praeter aequom ne quid delinquat, sine.

LYDVS

Non sino, neque equidem illunc me vivo corrumpi sinam.
Sed tu, qui tam pro corrupto dicis çausam filio,
Eadem ne erat haec disciplina tibi, quom tu adulescens eras?
Nego, tibi hoc annis viginti fuisse primis copiae,
Digitum longe a paedagogo pedem ut ecferres aedibus.
Id quom obtigerat, hoc etiam ad malum arcessebatur malum,
Et discipulus et magister perhibebantur inprobi.

380. Adolescentis affectui magis convenit vehementior iambus t., qualem hunc versum puto.

387–91. Ita locum digessit Groslotius in annotatt. ad Plautum, Dousae filii insertis, quum vulgo hoc versuum ordine legatur, *Nego*, *Digitum*, *Ante*, *Gymnasii*, *Id*, *Et*. Merito viri docti rationem probavit Acidalius, Taubmannus item probans in usum suum non convertit. Ceterum librorum V. C. vs. 389, *Id quoi obtigerat*; Dec., *Id quo o.*, Sarracen. Milan., quas saepe laudo, *Idque o.*, Iunt. Ald., *Idque ubi o.*, vel inconcinne, vel sensu imperfecto. Nihil aptius propiusque scripturae membranarum, quam *quom* a me repositum.

Ante solem exorientem ni in palaestram veneras,
Gymnasî praefecto poenas penderes haud mediocris.
Illi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila,
Saliendo, sese exercebant mage, quam scorto aut saviis:
Illi suam aetatem extendebant, non in latebrosis locis.
Inde de hippodromo et palaestra ubi revenisses domum,
Cincticulo praecinctus apud magistrum in sella adsideres;
Quom librum legeres, si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium.

MNESILOCHVS

Propter me haec nunc meo sodali dici, discrucior miser:
Innocens suspicionem hanc sustinet causa mea.

PHILOXENVS

Alii, Lyde, nunc sunt mores.

LYDVS

Id equidem ego certo scio:
Nam olim populi prius honorem capiebat suffragio,
Quam magistro desinebat esse dicto obediens;
At nunc priusquam septuennis est, si attingas eum manu,
Puer extemplo paedagogo tabula disrumpit caput.
Patrem quom adeas postulatum, puero sic dicit pater:
« Noster esto, dum te poteris defensare iniuria. »
Provocatur paedagogus: « Eho, senex minumi pretî,
Ne adtigas puerum istac causa, quando fecit strenue. »
It magister, quasi laterna, uncto expletus linteo,

391. *A. s. ex. nisi in p. v.*) Malim nunc, verbo *solem* non eliso, *A. s. ni in p. v.*, ne pravo accentu vitietur τὸ *exorientem*. Vid. ad Amph. 341.

393. Vulg. *Ibi cursu* etc., hiante quidem versu, nisi malis reponere *luctandod*. Iam etiam vs. 395 scribendum erat, *Illi* pro *Ibi*, ut eo quoque loco libri.

410. Vulg. *attigas*, numero deteriore. *Attigere* pro *attingere* Hic saepius.

411. *expletus*) Ita vett. edd., in his funt. Ald., quae lectio praestat nihili vulgatae *expretus*. *Laternam* intelligo cum Gronovio linteo obdu-

Intus illinc, iure dicto. Istoccine hic pacto potest
Inhibere imperium magister, si ipsus primus vapulet?

MNESILOCHVS

Acris postulatio haec est, quom huius dicta intellego.
Mira sunt, ni Pistoclerus Lydum pugnis contudit.

PHILOXENVS

Sed quis hic est, quem adstantem video ante ostium?

LYDVS

O Philoxene..

MNESILOCHVS

Deos me propitios videre, quam illunc, mavellem mihi.

PHILOXENVS

Quis illic est?

LYDVS

Mnesilochus, gnati tui sodalis Pistocleri, t. t.
Haud consimili ingenio atque ille est, qui in lupanari adcubat. t. t. c.
Fortunatum Nicobulum, qui illunc produxit sibi!

PHILOXENVS

Salvos sis, Mnesiloche; salvom te advenire, gaudeo.

MNESILOCHVS

Dî te ament, Philoxene.

LYDVS

Hic enim rite productust patri:
In mare it, rem familiarem curat, custodit domum;
Obsequens obediensque est mori atque imperiis patris.
Hic sodalis Pistoclero iam puer puero fuit;

ctam, qualis meminit Cic. ad Attic. IV, 3: « Id linteum, *inquit vir doctissimus*, oleo tactum fuisse credibile est, et sic lucem transmisisse, ut hodieque passim in Italia, quae fenestris obducuntur. » In magistro unctum linteum significat emplastrum vel fomentum tussorum curandorum gratia capiti eius impositum, ut bene idem. *Explere vulnera* et similia passim dicuntur.

412. Male vulgo, *Itur illinc* etc., quum modo legerimus *It magister*, satisque intelligatur, neminem praeter ipsum *abire* dici, iure dicto. Literae *s* et *r* passim misceri in scriptis,

Tridnom non interest aetatis, uter maior siet:
Verum ingenium plus triginta est annis maius, quam alteri.

PHILOXENVS

Cave malo, et conpesce in illum dicere iniuste!

LYDVS

Tace:
Stultus es, qui illi male aegre patere dici, qui facit.
Nam illum meum malum promtare malim, quam pe culium.

PHILOXENVS

Quidum?

LYDVS

Quia, malum si promtet, indies faciat minus.

MNESILOCHVS

Quid sodalem meum castigas, Lyde, discipulum tuom?

LYDVS

Periit tibi sodalis!

MNESILOCHVS

Ne dî sirint!

LYDVS

Sic est, ut loquor.
Quin ego, quom peribat, vidi; non ex audito arguo.

MNESILOCHVS

Quid factum est?

LYDVS

Meretricem indigne deperit...

MNESILOCHVS

Non tu taces?

nolum est. Caeterum vulgo, *Hoccine*, minus expedito versu, nisi rescribatur *dictod*. Sed praestat, opinor, sequi Camerarium. Iunt. Ald., incertum, qua auctoritate, minimeque probabiliter, *I. i. i. dicto. verum hoceine* etc.

428. Vulgo minus eleganter, *Cave malum*. Vid. Parei lexic. Plaut. v. *Cavere malo*.

LYDVS

Atque acerrume ac aestuose absorbet, ubi quemque attigit.

MNESILOCHVS

Vbi ea mulier habitat?

LYDVS

Hic.

MNESILOCHVS

Vnde esse eam aiunt?

LYDVS

Ex Samo.

MNESILOCHVS

Quae vocatur?

LYDVS

Bacchis.

MNESILOCHVS

Erras, Lyde. Ego omnem rem scio,
Quemadmodum est; tu Pistoclerum falso atque insontem arguis:
Nam ille amico et benevolenti suo sodali sedulo
Rem mandatam exsequitur; ipsus neque amat, nec tu creduas.

LYDVS

Itane oportet rem mandatam gerere amici sedulo,
Vt ipsus in gremio osculantem mulierem teneat sedens?
Nullon' pacto res mandata potest agi, nisi itentidem i. t.
Manus ferat ad papillas, nunquam labra a labris auferat? t. t. c.

436. Vulg. *At quae acerrume atque aestuose absorbet, ubi quemque att.*, sententia inelegenti, metro aut nullo aut durissimo. MSS., *Atque acerrume ac aestuose.* Quos satius erat sequi, quam reponere, *A. acerrumam: est, absorbet, vivos, ubi* etc. Acidalio obtemperans, qui e librorum quorundam lectione *viros* effingebat *vivos*, eiusque verbi vestigia etiam in vulgato *aestuose* agnoscere sibi videbatur. Legitur autem in Sarrac. et Mediol., *Atque acerrime viros ea abs., ubi* etc.; in Iunt. et Ald., *Atque acerrume east*

Nam aliâ me memorare, quae illum facere vidi, dispudet:
Quom manum sub vestimenta ad corpus tetulit Bacchidi
Me praesente, neque pudere quidquam. Quid verbis opust?
Mihi discipulus, tibi sodalis, periit, huiic filius:
Nam ego illunc periisse dico, quoi quidem periit pudor.
Quid opust verbis? si opperiri vellem paulisper modo,
Aut inopinato inspectandi mi esset maior copia,
Plus vidissem quam deceret, quam me atque illo aequom foret.

MNESILOCHVS

Perdidisti me, sodalis! Egone ut illanc mulierem
Capitis non perdam? Perire me malis malim modis!
Satin' ut, quem tu habeas fidelem tibi, aut quoi credas, nescias?

LYDVS

Viden', ut aegre patitur, esse gnatum corruptum tuom,
Suom sodalem? ut ipsus sese cruciat aegritudine?

PHILOXENVS

Mnesiloche, hoc tecum oro, ut illius animum atque ingenium regas.
Serva tibi sodalem, et mihi filium.

MNESILOCHVS

Factum volo.

(Ald. *ea' st*), *abs. viros*, *ubi* etc.

446. *Me* illud a me additum deceret Plautum, ut monui ad Amph. 356, fieriqne facile poterat, ut ab sequente syllaba simili interciperetur; sed libror. auctoritate destitutum est.

447. Vulgo duriore numero, *detulit*. Sequor Decurtatum.

452. Insulse libri, *Vt opinor*, *illius inspectandi mihi esset m. c.* Abest τὸ *illius* Iunt. Ald.

454. Τὸ *ut*, quod sententiam pariter ac metrum iuvat, legitur in Iunt. Ald., vulgo desideratur.

456. Non recte, editionibus vett. obsecutus, omiseram pronomen *tibi*, quod eliditur, ut passim fieri doceo ad Amph. prol. 74. sicut vulg. edunt, sed ratione rei non perspecta.

459. *tecum oro*) Sic Noster passim, item Terentius Hec. 629, Caesar de B. C. I, 22.

PHILOXENVS

In te ergo hoc onus omne inpono. Lyde, sequere hac me.

LYDVS

Sequor.

Melius esset, me quoque una si cum illoc relinqueres.

PHILOXENVS

Adfatim est. — Mnesiloche, cura et concastiga hominem probe,
Qui dedecorat me, te, amicos alios flagitiis suis.

MNESILOCHVS.

Inmitiorem nunc utrum credam magis i. s. III, 4.
Sodalemne esse, an Bacchidem, incertum admodum est.
Illum exoptavit potius? habeat: optumum est.
Nae illa hercle fecit cum malo summo suo:
Nam mihi divini nunquam quisquam creduat,
Ni ego illam — exemplis plurimis planeque amo!
Ego faxo haud dicet nactam, quem derideat:
Nam iam domum ibo, atque — aliquid subripiam patri
Id isti dabo. Ego istanc multis ulciscar modis!
Adeo ego illanc cogam usque, ut — mendicet pater!

468. Inepte nihilique numeris edd. praeter Iunt. Ald. *Nae illa illud hercle cum malo fecit suo, meo*; Sarracenus effecto pessimo septenario, *N. i. i. h. c. m. f. summo meo.* loco inexspectato Mnesilochus *suum malum* dixit, ubi *malum* Bacchidis expectabant auditores. Cf. 470, 472, 474, Cas. 31, 276; Most. 953, 1083; Pers. 578; Pseud. 330; Stich. 480; Trin. 690 sqq; 728, 954 sq. Sic passim lineola ista, a recentioribus primum usurpata, scriptorum sententias aperit declaratque. Quae etiam infra 722 extremo est perscribenda, nec fortasse dedeceat Stich. 501, 746.

471. Forma loquendi saepius recurrens; cf. infra 820.

474. Vulgo versu ὑπερμέτρῳ, — *ut mend. meus pater.* Et sic quidem Decurt., sed V. C., *ut m. pater meus.* Scires addititium pronomen; siqui-

Sed satin' ego animum mente sincera gero,
Qui ad hunc modum haec hic, quae futura, fabulor?
Amo hercle, opinor, utpote quod certo sciam;
Verum quam illa unquam de meis opulentiis
Ramenta fiat plumea propensior,
Mendicum malim mendicando vincere,
Moriri malim med excruciatum inopia!
Nunquam edepol viva me inridebit: nam mihi
Decretum est, renumerare iam omne aurum patri.
Igitur mi inani atque inopi subblandibitur
Tum, quom sibi ea res nihilo pluris referet,
Quam si ad sepulcrum mortuo dicat iocum.
Profecto stabile est, patri me aurum reddere.
Eadem exorabo, Chrysalo causa mea
Pater ne noceat, neu quid ei suscenseat
Mea causa de auro, quod eum ludificatus est:
Nam illi aequom est me consulere, qui causa mea
Mendacium nunc dixit. Vos me sequimini.

dem vagari solent interpretamenta.

478 sqq. Haec in libris hoc modo leguntur, *Verum quam illa unquam de mea pecunia Ramenta fiat plumea propensior, Mendicum malim mendicando vincere. Nunquam edepol viva me irridebit. nam mihi Decretum est renumerare iam omne aurum patri. Igitur mihi inani atque inopi subblandibitur Tum, cum mea illud nihilo pluris referet, Quam si ad sepulcrum mortuo dicat iocum. Sed antequam illa unquam meis opulentiis Ramenta fiat gravior aut propensior, Mori me malim excruciatum inopia. Profecto* etc. Non difficile est, manum in his agnoscere glossatoris, nisi quis ipsum poëtam idem bis dixisse existimet, et quidem primum apto loco et eleganter et prisce, deinde inepte et absque figura et vulgariter. Scilicet insolitum *meis opulentiis* explicandum sibi putarunt verbis *mea pecunia*, et ellipticam locutionem *Verum quam* istis *Sed antequam*, et vocem ex antiqua, ut ita dicam, moneta *propensior* trito vocabulo isto *gravior*; quae genuinis Plauti adscripta cum iisque mixta paulatim in versus concrevere. Pro *plumea* Nonius *plumbea*, minus quidem recte, ubi res dicitur summae levitatis. Pro *vincere* MSS. Meursii et Sambuci, edd. Iunt. Ald., *vivere*, item frustra; nec moror illud *misera* post *malim* earumdem editionum et scripti cuiusdam, qui olim Schobingi fuit Iureconsulti, ut auctor est Pareus ad Ba. IV, 9, 5, ut quod numeris integrandis excogitatum esse videatur.

492. Vulgo imperfectis numeris, *M. dixit. vos me seq.* Iunt. Ald., *M.*

PISTOCLERVS.

Rebus aliis antevortar, Bacchis, quae mandas mihi: t. t. c. III, 5
Mnesilochum ut requiram, atque ut eum mecum ad te adducam simul.
Nam illud animus meus miratur, si a me tetigit nuntius,
Quid remoratur. Ibo, et visam huc ad eum, si forte est domi.

MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

MNESILOCHVS

Omne patri reddidi aurum. Nunc ego illam me velim t. t. c. III, 6
Convenire, postquam inanis sum, contemtricem meam!
Sed veniam mihi quam gravate pater dedit de Chrysalo!
Verum postremo impetravi, ut ne quid ei suscenseat.

PISTOCLERVS

Estne hic meus sodalis?

MNESILOCHVS

Estne hic hostis, quem adspicio, meus?

PISTOCLERVS

Certe is est.

MNESILOCHVS

Is est.

PISTOCLERVS

Adibo contra.

d. v. nunc m. s.; Pareus, nescio qua fide, *M. dixit. nunc v. m. s.*

502. Vulg. MNES. *Is est. adibo contra et tollam gradum.* Melius Camer., *et contollam g.* Sed Acidalius Divv. et Interpp. in Bacch. c. 5, « Certissima, *inquit*, inter alias et deprehendendi vitii et corrigendi ratio, est si-

MNESILOCHVS

Contollam gradum.

PISTOCLERVS

Salvos sis, Mnesiloche.

MNESILOCHVS

Salve.

PISTOCLERVS

Salvos quom peregre advenis,

Coena detur.

MNESILOCHVS

Non placet mihi coena, quae bilem movet.

PISTOCLERVS

Num quae advenienti aegritudo obiecta est?

MNESILOCHVS

Atque acerruma.

milinm observatin locorum, et in iis cum verborum singulorum, tum structurae ipsius nniversae consideratin collatioque. Ex ea locum nunc scenae, *Reddidi patri*, et arguemus erroris, et emendabimus, qui minime vitiosus alioqui poterat videri. Pi. *Estne hic meus sodalis?* Mn. *estne hic hostis, quem aspicin, meus?* Pi. *Certe is est.* Mn. *ist est. adibo contra et contollam gradum.* Pi. *Salvus sis, Mnesiloche.* Mn. *salve.* Vt quadrent omnia, quae vides geminis ubique et iisdem utriusqne noscitantium invicem sententiis constare, dico delendum et medin versu, personasque in hunc modum alternandas: Pi. *Certe is est.* Mn. *is est.* Pi. *adibo contra.* Mn. *contollam gradum.* Is Plauti modus est in noscitatinne, saepe usurpatus ab eo: cui, etsi plura forte sunt, haec tamen illustrandn sufficerint exempla. Aulular. scena ultima, St. *Herumne ego aspicin meum?* Ly. *videon' ego hunc Strobilum servum meum?* St. *Ipsus est.* Ly. *haud alius est.* St. *congrediar.* Ly. *contollam gradum.* Rudente scen. *Intelligo* (II, 3). — Tr. *cuia ad aures Vox mihi advolavit?* Am. *obsecro, quis hic loquitur? quem ego video?* Tr. *Estne Ampelisca haec, quae foras e fano hoc egreditur?* Am. *Estne hic Trachalin, quem conspicor, calator Pleusidippi?* Tr. *Ea est.* Am. *is est. Trachalio salve.* Tr. *salve Ampelisca.* Persae initin: *Quis illic est, qui contra me astat?* To. *quis hic est, qui contra me astat?* *Similis est Sagaristinnis.* Sa. *Toxilus hic quidem meus amicust.* To. *Is est profecto.* Sa. *eum esse opinor.* To. *congrediar.* Sa. *contra aggrediar.* To. *O Sagaristin, dii ament te.* Sa. *o Toxile, dabunt dii, quae exoptas.* Denique et Epidico scen. *Si quid est homini* (IV, 1), — — — — Ps. *nascito ego hanc* » etc.

PISTOCLERVS

Vnde?

MNESILOCHVS

Ab homine, quem mihi amicum esse arbitratus sum antidhac.

PISTOCLERVS

Multi more isto atque exemplo vivont, quos quom censeas
Esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis,
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.
Nullus est, quoi non invideant rem secundam obtingere;
Sibimet ne invideatur ipsis, recte *id* ignavi cavent.

MNESILOCHVS

Edepol nae tu illorum mores perquam meditate tenes.
Sed etiam unum hoc ex ingenio malum malo inveniunt suo:
Nulli amici sunt, inimicos ipsi in sese omnis habent;
Atque ii se cum frustrant, frustrare alios stolidi existumant:
Sicut est hic, quem esse amicum ratus atque ipsus sum mihi:
Ille, quod in se fuit, adcuratum habuit, quod posset mali
Facere, et in mihi conciliare copias omnis meas.

PISTOCLERVS

Inprobum istunc esse oportet hominem.

MNESILOCHVS

Ita esse, ego arbitror.

511. Vulgo versu adhaerescente, *Sibi ne inv., ipsi ign. r. c.* Acidalius, *Ne sibi inv., ipsis i. r. c.*

515. Vulgo inconcinne, *frustrantur.* Sensit Acid.

518. Vulg. *in me et inconciliare copias omnes meas*, loquendi genere prorsus inaudito nec satis explicabili. Equidem quum copulam abesse viderem Mediol. Iunt. Ald., non male, ut opinor, dederam, *Facere in med, inconc.* etc.: sed nunc malim, tmesi usurpata, *Facere et in mihi conciliare* etc. Vid. Par. lex. mantiss. v. *Tmesis*, locisque ibi laudatis adde Amph. 278, 650; Cas. 258; Pers. 364; Stich. 64.

PISTOCLERVS

Obsecro hercle, loquere, quis is est?

MNESILOCHVS

Benevolens vivit tibi:
Nam ni ita esset, tecum orarem, ut eii, quod posses mali
Facere, faceres.

PISTOCLERVS

Dic modo hominem, qui sit. Si non fecero
Ei male aliquo pacto, me esse dicito ignavissumum.

MNESILOCHVS

Nequam homo est; verum hercle amicus est tibi.

PISTOCLERVS

Tanto magis
Dice, quis is est; nequam ego hominis parvi pendo gratiam.

MNESILOCHVS

Video, non potesse, quin tibi eius nomen eloquar;
Pistoclere, perdidisti me sodalem funditus!

PISTOCLERVS

Quid istuc est?

MNESILOCHVS

Quid sit? Misine ego ad te ex Epheso epistolam
Super amica, ut mi invenires?

PISTOCLERVS

Fateor factum, et reperi.

MNESILOCHVS

Quid? tibi non erat meretricum aliarum Athenis copia,
Quibuscum haberes rem, nisi cum illa, quam ego mandassem tibi,

531. *nisi cum illa*) Ita libri omnes, praeter Iunt. Ald. in quibus, *nisi illam*, sed puto ex correctione.

Tute amare occiperes, et med ires consultum male?

PISTOCLERVS

Sanun' es?

MNESILOCHVS

Rem reperi omnem ex tuo magistro: ne nega.
Perdidisti me!

PISTOCLERVS

Etiamne ultro tuis me prolectas probris?

MNESILOCHVS

Quid? amas Bacchidem?

PISTOCLERVS

Duas ergo hic intus eccas Bacchides...

MNESILOCHVS

Quid duae?

PISTOCLERVS

Atque ambas sorores.

MNESILOCHVS

Loquere nunc nugas sciens.

PISTOCLERVS

Postremo ego, si pergis parvam mihi fidem arbitrarier,
Tollam ted in collum, atque intro hinc auferam.

MNESILOCHVS

Imo ibo: mane.

PISTOCLERVS

Non maneo, neque tu me habebis falso suspectum.

MNESILOCHVS

Sequor.

PARASITVS. PVER.

PARASITVS

Parasitus ego sum nequam hominis atque improbi, i. s. IV, 1.
Militis, qui amicam secum avexit ex Samo.
Nunc me ire iussit ad eam et percontarier,
Vtrum aurum reddat, anne eat secum simul.
Tu dudum, puere, qui cum illa usque isti simul,
Quae harunc sunt aedes, pulta: adi actutum ad foris. —
Recedin' hinc dierecte? ut pultat propudium!
Comesse panem tris pedes latum potes,
Foris pultare nescis! Ecquis in aedibust?
Heus, ecquis hic est? ecquis hoc aperit ostium?
Ecquis exit?

PISTOCLERVS. PARASITVS.

PISTOCLERVS

Quid istuc? quae istaec est pulsatio? i. s. IV, 2.
Quae te mala crux agitat, qui ad istunc modum
Alieno viris tuas extentes ostio?
Foris pene ecfregisti! quid nunc vis tibi?

PARASITVS

Adulescens, salve.

PISTOCLERVS

Salve. Sed quem quaeritas?

546. Vulgo turbatis numeris, *Recede h. d.*

548. Vulgo itidem inconcinne, *Ecquis his in aed. est?* Male iteratum -is errorem peperit.

551. Tò *mala* posteriorem syllabam

PARASITVS

Bacchidem.

PISTOCLERVS

Vtram ergo?

PARASITVS

Nil scio, nisi Bacchidem.
Paucis me misit miles ad eam Cleomachus:
Vel ut ducentos Philippos reddat aureos,
Vel ut hinc in Elatiam hodie eat secum simul.

PISTOCLERVS

Non it; negat esse ituram. Abi et renuntia.
Alium illa amat, non illum. Duc te ab aedibus.

PARASITVS

Nimis iracunde!

PISTOCLERVS

At scin', quam iracundus siem?
Nae tibi hercle haud longe est os ab infortunio:
Ita dentifrangibula haec meis manibus gestiunt! —

PARASITVS

Quom ego huius verba interpretor, mihi cautio est,
Ne nucifrangibula excussit ex malis meis —
Tuo ego istaec igitur dicam illi periculo.

PISTOCLERVS

Quid ais tu?

PARASITVS

Ego istuc illi dicam.

PISTOCLERVS

Dic mihi,

producit ante duas consonas. Vid. ad Aulul. 181–112.

559. Vulg. *negato*; sed Acidalius Divv. in Plaut. p. 205, « Fallor, *inquit*, an legendum, *negat esse ituram*? Non puto falli: nam et versus melior, et oratio Plautinior, et sententia nonnihil etiam concinnior. Recte quidem, praesertim, ne utrumque et negare ituram Bacchidem et renuntiare iubeatur parasitus, quum alterutrum imperari satis sit.

561. *At scin'*, etc.) Vid. ad Amph. 200.

Quis tu es?

PARASITVS

Illius sum integumentum corporis.

PISTOCLERVS

Nequam esse oportet, quoi tam integumentum inprobum est.

PARASITVS

Sufflatus ille huc veniet.

PISTOCLERVS

Disruptum velim!

PARASITVS

Numquid vis?

PISTOCLERVS

Abeas celeriter: facto est opus.

PARASITVS

Vale, dentifrangibule.

PISTOCLERVS

Et tu, integumentum, vale.
In eum haec revenit res locum, ut quid consili
Dem meo sodali super amica, nesciam,
Qui iratus renumeravit omne aurum patri,
Neque numus ullust, qui reddatur militi.
Sed huc concedam: nam concrepuerunt fores:
Mnesilochus eccum moestus progreditur foras.

569. Vulgo sine sale et lepore, *quoi tu integumentum improbus es Tam integ. inpr.* dictum pro *tam inpr. integ.* si quis mirabitur, is videat nos ad Amphitruon. 378. Similiter Hic Stich. 280: *tam gaudium grande adfero.*

573. Vulgo ὑπερμέτρως, *I. e. nunc haec revenit* etc. Perperam τὸ *haec* abest Iunt. Ald.

MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

MNESILOCHVS

Petulans, protervo, iracundod animo, indomito, incogitato, t. t. IV, 3
Sine modo et modestia sum, sine bono iure atque honore!
Incredibilis, animique inpos, inlepidus, inamabilis, vivo,
Malevolente ingenio natus! postremo id mihi est, quod nolo ego aliis esse. Credibile hoc est? t. d.
Nequior est nemo neque indignior, as. ex 2 t. h.
Quoi dî benefaciant, neque quem quisquam homo
Aut amet aut adeat. t. h.
Inimicos quam amicos me est aequius habere; b. t.
Malos quam bonos par magis me iuvare.
Omnibus probris, quae inprobis viris as. ex 2 t. h.
Digna, dignior nullus est homo,
Qui patri omne amans aurum reddidi,
Quod fuit prae manu. Sumne ego miser homo?
Perdidi med atque operam Chrysali!

PISTOCLERVS

Consolandus hic mi est. Ibo ad eum. Mnesiloche, quid fit?

MNESILOCHVS

Perii! t. t.

584–591. Asynarteti isti trochaici, quos primus reperi in Plauto, habentur etiam infra 598 sq., 610 sq. cum cretico immixto, item Cas. 92 sq; Most. 335; Pseud. 1107 sq, 1306 sq; Rud. 158 sq; Trin. 244 sq. et cum clausula ex t. h. constante, qualis et h. l. est, ibidem 262 sq. Similiter compositis versibus nec Graeci abstinuere; vid. Pindari nostri vol. II, pag. 164, 247. Versuum horum primo vox *Nequior* extremam syllabam

PISTOCLERVS

Divi melius faciant!

MNESILOCHVS

Disperii!

PISTOCLERVS

Non taces, insipiens?

MNESILOCHVS

Taceam?

PISTOCLERVS

Sanus satis non es.

MNESILOCHVS

Perii! Nunc multa mala mi in pectore t. t. c.
Acria atque acerba eveniunt! Criminin' fidem me habuisse? — t. t.
Inmerito iratus tibi fui.

PISTOCLERVS

Heia, habe bonum animum. i. tr. h.

MNESILOCHVS

Vnde habeam? Pluris mortuos pretist, quam ego sum.

PISTOCLERVS

Militis parasitus modo venerat as. ex 2 t. h.
Aurum hinc petere; eum ego meis dictis malis
His foribus reieci, atque repuli hominem.

MNESILOCHVS

Quid mi id prodest? quid faciam? Nil habeo
Miser! Illic quidem hanc abducet, scio.

sequente vocali porrigit, sicut passim fieri in hoc genere docui ad Amph. prol. 38.

593. *Di melius fac.* MN. *Disperii!*) Libri, *Perii.* Malim igitur nunc minore mutatione, *Divi m. f.* Formam *Divi* rarius usurpat Noster, usurpat tamen etiam Aul. 11, Mil. 723.

599. Libri, *ven. aur. petere*: *hinc eum ego* etc. De huius et sqq. versuum generibus asynartetorum vid. supra ad 584 sqq., et ad Amph. scen. *Di vostram fidem* 15 sqq.

600. Perverse libri, *H. f. atque* (Camer. inculcavit *hac*) *repuli, reieci h.*

PISTOCLERVS

Si mihi sit, non pollicear.

MNESILOCHVS

Scio, duis

(Novi), sed nisi ames; *nunc* non habeam tibi fidem tantam: as. ex t. d. et i. d. c.

Nunc sat agitas tute tuarum rerum. Egone ut opem mihi ferre

Posse putem inopem te?

PISTOCLERVS

Tace modo: deus respiciet nos aliquis.

MNESILOCHVS

Nugae!

PISTOCLERVS

Mane.

MNESILOCHVS

Quid est?

PISTOCLERVS

Tuam copiam eccam Chrysalum video.

CHRYSALVS. MNESILOCHVS. PISTOCLERVS.

CHRYSALVS

Hunc hominem decet auro expendi; decet huic statuam statui ex auro: t. t. IV, 4

Nam duplex hodie facinus feci; duplicibus spoliis sum adfectus.

Herum maiorem meum ut ego hodie lusi lepide! ut ludificatust!

Callidum senem callidis dolis as. ex 2 t. h.

Compuli et perpuli, mi omnia ut crederet. c. t.

607. *Hunc hominem*) H. e. *me*: vid. ad Capt. 84.

Nunc amanti hero, filio senis, as. ex t. h.
Quicum ego bibo, quicum edo et amo,
Regias copias aureasque obtuli,
Vt domo sumeret, neu foris quaereret.
Non mihi isti placent Parmenones, Syri,
Qui duas aut minas tris heris auferunt.
Nequius nil quam egens consiliis servos est, nisi habet
multipotens t. t.
Pectus: ubicunque siet usus, pectore expromat suo.
t. t. c.
Nullus frugi esse potis est homo, nisi as. ex c. d. et t. h.
Qui bene et male facere teneat, inprobis
Cum inprobus sit, harpaget furibus, quod queat.
Vorsipellem esse frugi hominem convenit,
Quoi sapit pectus: bonus sit bonis, malus
Sit malis; utcunque est res, ita animum habeat.
Sed lubet scire, quantum aurum herus sibi
Demsit, et quid suo reddidit patri.
Frugi si est, Herculem fecit ex patre:
Decumam partem ei dedit, sibi novem abstulit.
Sed quem quaero, optume ecce obviam mihi est.
Num qui numid exciderunt, here, tibi, quod sic ter-
ram obtuere? t. t.
Quid vos moestos tam tristisque conspico? Non placet,
nec temere est.
Etiam quid mihi respondetis? t. d.

MNESILOCHVS

Chrysale, occidi!

CHRYSALVS

Fortassis tu auri demsisti parum. t. t. c.

MNESILOCHVS

Quid, malum? parum? Imo vero nimio minus multo
parum.

630. *Qui, malum,*) *Qui* potestatem suam h. l. non potest obtinere. MSS.

CHRYSALVS

Quid igitur tu, stulte, quoniam occasio ad eam rem fuit
Mea virtute parta, ut, quantum velles, tantum sumeres,
Sic hoc sumebas duobus digitulis primoribus?
An nesciebas, quam eiusmodi homini raro tempus se daret?

MNESILOCHVS

Erras.

CHRYSALVS

At quidem tute errasti, quom parum inmersti ampliter.

MNESILOCHVS

Pol tu, quam nunc, med adcuses mage, si mage rem noveris.
Occidi!

CHRYSALVS

Animus iam istoc dicto plus praesagitur mali.

MNESILOCHVS

Perii!

CHRYSALVS

Quid ita?

MNESILOCHVS

Quia patri omne cum ramento reddidi.

CHRYSALVS

Reddidisti?

MNESILOCHVS

Reddidi.

CHRYSALVS

Omnene?

MNESILOCHVS

Oppido.

non *Qui*, sed *Quia*. *Quid* primitus fuisse arbitror, et sic nunc legendum censeo.

631. Pronomen *tu*, quod vulgo desideratur, versum fulcit videturque ab antecedente syllaba interceptum.

CHRYSALVS

Occisi sumus!
Qui tibi venit in mentem, istuc facinus facere tam malum?

MNESILOCHVS

Bacchidem atque hunc suspicabar propter crimen, Chrysale,
Mihi male consuluisse: ob eam rem omne aurum iratus reddidi
Meo patri.

CHRYSALVS

Quid, ubi reddebas aurum, dixisti patri?

MNESILOCHVS

Aurum id me accepisse extemplo ab hospite Archidemide.

CHRYSALVS

Hem, istoc dicto dedidisti hodie in cruciatum Chrysalum:
Nam ubi me adspiciet, ad carnuficem rapiet continuo senex.

MNESILOCHVS

Ego patrem exoravi.

CHRYSALVS

Nempe ergo hoc ut faceret, quod loquor?

MNESILOCHVS

Imo tibi ne noceat, neu quid ob eam rem suscenseat;
Atque aegre inpetravi. Nunc hoc tibi curandum est, Chrysale . . .

641. *Propter crimen*) *Propter criminationem Lydi*, ut bene Gron. ad 595.

642. *Mihi*) Soloece editores, *Me male consuluisse*, neque *Me* pro *Mihi* dictum Festus voluit, sed *Mi*, quud cum simili *Me* est commutatum.

645. Vulgo claudicante versu, *dedisti*. Nostrum est ab Acidalio, qui confert Aulul. 20. Vid. etiam Par, lexic. v. *Dedere*.

CHRYSALVS

Quid vis curem?

MNESILOCHVS

Vt ad senem etiam alteram facias viam.
Conpara, fabricare, finge quod lubet, conglutina,
Vt senem hodie doctum docte fallas aurumque auferas.

CHRYSALVS

Vix videtur fieri posse.

MNESILOCHVS

Perge, ac facile ecfeceris.

CHRYSALVS

Quam, malum, facile, quem mendaci prendit manufesto modo?
Quem si ego orem, ut nil mihi credat, id non ausit credere?

MNESILOCHVS

Imo si audias, quae dicta dixit me advorsum tibi!

CHRYSALVS

Quid dixit?

MNESILOCHVS

Si tu illum solem sibi solem esse dixeris,
Se illum lunam credere esse, et noctem, qui nunc est dies.

CHRYSALVS

Emungam hercle hominem probe hodie: ne id nequidquam dixerit.

MNESILOCHVS

Nunc quid nos vis facere?

CHRYSALVS

Enim nil, nisi ut ametis, impero.
Ceterum quantum lubet me poscitote aurum: ego dabo.

653. Male vulgo *haec feceris*, bene *ecfeceris*, verbo in hac re proprio. Meurs, Palmer., probante Acidalio, Fontem erroris indicavi ad As. 24.

Quid mihi refert Chrysalo esse nomen, nisi factis probo?
Sed nunc quantillum usust auri tibi, Mnesiloche? dic mihi.

MNESILOCHVS

Militi numis ducentis iam usus est pro Bacchide.

CHRYSALVS

Ego dabo.

PISTOCLERVS

Tum sumtu nobis opus est . . .

CHRYSALVS

Ah, placide volo
Vnumquidque agamus! Hoc ubi egero, tum istuc agam.
De ducentis nummis primum balistam intendam in senem;
Ea balista si pervortam turrim et propugnacula,
Recta porta invadam extemplo in oppidum antiquom et vetus:
Id si capso, amicis vostris geritote aurum corbibus.
Sic quia animus sperat.

PISTOCLERVS

Apud te est animus noster, Chrysale.

CHRYSALVS

Nunc tu abi intro, Pistoclere, ad Bacchidem, atque ecfer cito . . .

PISTOCLERVS

Quid?

CHRYSALVS

Stilum, ceram et tabellas et linum.

PISTOCLERVS

Hic iam faxo erunt.

671. *Sed quo spectat animus?*) Vulgo, *Sed quoi animus sperat*, quibus haud dubie corruptis alii alia suffecere. Scioppius, *Sicut animus sperat;* Acidalius, *Si cui an. superat*, h. e. superest; Groslotius apud Dousam, *Si quoi a. siet.* PI. *At apud* etc. Verum hoc nunc arbitror: *Sic quia animus sperat*, et huc ducit manuscriptorum *Si quoi* olim cusorum *Si*

MNESILOCHVS

Quid nunc es facturus? id mihi dice.

CHRYSALVS

Coctum est prandium;
Vos duo eritis, atque amica tua erit tecum tertia.

MNESILOCHVS

Sicut dicis.

CHRYSALVS

Pistoclero nulla amica est?

MNESILOCHVS

Imo adest:
Alteram ille amat sororem, ego alteram, ambas Bacchides.
Quid tu loquere, hoc ut facturi sumus?

CHRYSALVS

Vbi est biclinium
Vobis stratum?

MNESILOCHVS

Quid id exquiris?

CHRYSALVS

Res ita est: dici volo.
Nescis, quid ego acturus sim, neque facinus quantum exordiar.

MNESILOCHVS

Cedo manum, ac subsequere propius me ad foris: intro inspice.

qui, quod *Si qui* fuerit, *a* litera ab sequente verbo intercepta. Vid. ad Aul. 389. Similiter in re simili Pseud. 105: *ita supercilium salit*.

674. Perperam in vulgatis verba *Coctum est prandium* Muesilocho tribuuntur. Non decet adolescentem de prandio cogitare in re turbulenta sua, Chrysalum securum decet.

678. Vulgo, CH. *Quid tu loqueris?* MN. *hoc ut futuri sumus*, quasi nescio quae mira locutus esset Mnesilochus, quasique hic, non Chrysalus, de personis dixisset, prandium comesuris; ut demus Taubmanno, verba *Hoc ut futuri sumus* significare, Hoc scilicet loquor, quo modo una erimus.

679. MSS. *exqueris*, h. e. *exquae-*

CHRYSALVS

Evax nimis bellus, atque ut esse maxume optabam, locus! i. t.

PISTOCLERVS

Quae imperavisti, imperatum bene bonis factum eloco est.

CHRYSALVS

Quid parasti?

PISTOCLERVS

Quae parari tute iussisti omnia.

CHRYSALVS

Cape stilum propere et tabellas tu has tibi.

MNESILOCHVS

Quid postea?

CHRYSALVS

Quod iubebo, scribito istic: nam propterea te volo
Scribere, ut pater cognoscat literas, quando legat.
Scribe.

MNESILOCHVS

Quid scribam?

CHRYSALVS

Salutem tuo patri verbis tuis.

PISTOCLERVS

Quid, si potius morbum et mortem scribat? id erit rectius.

MNESILOCHVS

Ne interturba. Iam imperatum in cera inest.

CHRYSALVS

Dic, quemadmodum?

ris, bene quidem, et sic passim Noster more prisco in compositis; vid. ad Amph. 28.

684 sq. Vulgo, *imperasti et: tu iuss.*, utrumque inconcinne. Sarracen., *imperavisti*, Iunt. Ald. *impetravisti*, *impetratum*; et sequente versu *tu mihi iuss.* *Tute* pro *Tu* passim Comicus; vid. Parei lexicon hoc vocabulo.

MNESILOCHVS

« Mnesilochus salutem dicit suo patri. »

CHRYSALVS

Adscribe hoc cito:
« Chrysalus mihi usquequaque loquitur nec recte, pater,
Quia tibi aurum reddidi, et quia non te defrudaverim. »

PISTOCLERVS

Mane, dum scribit.

CHRYSALVS

Celerem oportet esse amatoris manum.

PISTOCLERVS

Atque idem hercle est ad perdundum mage, quam ad scribundum, citus.

MNESILOCHVS

Loquere: hoc scriptum est.

CHRYSALVS

« Nunc, pater mi (proin tu ab eo ut caveas tibi),
Sycophantias conponit, aurum ut abs ted auferat;
Et profecto se ablaturum dixit. » Plane adscribito.

MNESILOCHVS

Dic modo.

CHRYSALVS

« Atque id pollicetur se daturum aurum mihi,
Quod dem scortis, quodque in lustris comedim et congraecem, pater.
Sed, pater, vide, ne tibi hodie verba det: quaeso, cave! »

MNESILOCHVS

Loquere porro.

CHRYSALVS

Adscribedum.

MNESILOCHVS

Etiam. Loquere, quid scribam, modo.

CHRYSALVS

« Sed pater, quod promisisti mihi, te quaeso, ut memineris;

Ne illum verberes; verum apud te vinctum adservato domi. »
Cedo tu ceram ac linum actutum. — Age, obliga, obsigna cito.

MNESILOCHVS

Obsecro, quid istis ad istunc usust conscriptis modum?
Vt tibi ne quid credat, atque ut vinctum te adservet domi?

CHRYSALVS

Quia mi ita lubet. Potin', ut cures te, atque ne parcas mihi?
Mea fiducia opus conduxi: meo periclo rem gero.

MNESILOCHVS

Aequom dicis.

CHRYSALVS

Cedo tabellas.

MNESILOCHVS

Accipe.

CHRYSALVS

Animum advortite,
Mnesiloche, et tu, Pistoclere. Iam facite in biclinio
Cum amica sua uterque adcubitum eatis (ita negotium est),
Atque ibidem, ubi nunc sunt lecti strati, potetis cito.

PISTOCLERVS

Numquid aliud?

CHRYSALVS

Hoc; atque etiam, ubi erit adcubitum semel,
Ne quoquam exurgatis, donec a me erit signum datum.

PISTOCLERVS

O imperatorem probum!

CHRYSALVS

Iam bis bibisse oportuit.

708. Gravius 2 MSS. Camer., *atque ut ne parcas mihi?*

716. *O* coalescit cum vocali sequente, sicut passim, quod etiam (pace

MNESILOCHVS

Fugiamus!

CHRYSALVS

Vos vostrum curate officium; ecficiam ego meum. —
Insane magnum molior negotium; i. s.
Metuoque, ut hodie possiem emolirier.
Sed nunc truculento mi atque saevo usus sene est:
Nam non conducit huiic sycophantiae,
Senem tranquillum esse. Vbi me adspexerit .....
Vorsabo ego illunc hodie, si vivo, probe!
Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer
Adambulabo ad ostium, ut, quando exeat,
Extemplo advenienti ei tabellas dem in manum.

NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NICOBVLVS

Nimio illaec res est magnae dividiae mihi, i. s. IV, 5
Subterfugisse sic mihi hodie Chrysalum!

CHRYSALVS

Salvos sum: iratus est senex. Nunc est mihi
Adeundi ad hominem tempus.

NICOBVLVS

Quis loquitur prope?

Bentleii dixerim ad Terentii Hec. V, 2, 21) *I* saepe patitur. Vide Trin. 26, infra 1131, 1137, Aul. 646, Men. 846, Merc. 276, Mil. 805, Poen. 274, 293, 1127, Truc. 654, nos ad Terent. Audr. 373.

717. *Fugiamus:* ne pater forte superveniens constantes nos videat remque odoretur. Quamquam non male Camerarius in notis posthumis legi posse existimabat, *Euge, eamus;* modo versus admitteret. Ceterum libri, *ego efficiam meum.*

722. *Vbi* ubi *med adspexerit*) Ferri potest vulgata lectio, quam recepi, sed ea lege, ut *tranquillum* legatur ἀνεκθλίπτως et *Vbi* posteriorem syllabam producat, sicut passim fit. Vid. ad Amph. 341, Aul. 153. Caeterum ioco inexpectato Comicus: *Vbi me adspexerit ....., Vorsabo ego illunc* etc. Expectaris enim potius,

Atque hic quidem, opinor, Chrysalust.

CHRYSALVS

Accessero.

NICOBVLVS

Bone serve, salve. Quid fit? quam mox navigo
In Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum? —
Taces? Per omnis deos adiuro, ni meum
Gnatum tam amem atque ei facta cupiam, quae is velit,
Vt tua iam virgis latera lacerentur probe,
Ferratusque in pistrino aetatem conteras!
Omnia rescivi scelera ex Mnesilocho tua.

CHRYSALVS

Men' criminatust? Optumum est! ego sum malus!
Ego sum sacer, scelestus! Specta rem modo.
Ego verum verbum faciam!

NICOBVLVS

Etiam *ne*, carnufex,
Minitare?

CHRYSALVS

Nosces tu illum actutum, qualis sit.
Nunc hasce tabellas ferre me iussit tibi;
Orabat, quae istic essent scripta, ut fierent.

NICOBVLVS

Cedo.

CHRYSALVS

Nosce signum.

pessime me excruciabit. Dixi de hoc genere facetiarum supra ad 468.

734. Non recte libri, bis illata *ut* coniunctione, *ut ni meum* etc.

736 sq. *lacerentur — conteras*) Modus potentialis; vid. ad Aul. 42.

741. Vulgo imperfecto numero, *Ego verbum faciam*. Lambinus, *Ego nec v. f.*; Dousa Centur. 24, *Ego verbum non f.*, neuter bene: nam hoc non est minitari, quod fecisse servum indicio est subsequens oratio senis. Hoc procul dubio reliquit Plautus, *Ego verum verbum faciam!* h. e. ego faciam, ut verum de me dixerit Mnesilochus, quum me scelestum tibi depinxit! revera culpas et facinora in me admittam!

744. Vulgo minus expedito versu, frustraque iterata *ut* particula, *Or., ut quod istic esset scriptum, ut fierent*

NICOBVLVS

Novi. Vbi ipse est?

CHRYSALVS

Nescio.

Nil iam me oportet scire; oblitus sum omnia;
Scio, me esse servom: nescio etiam id, quod scio. —
Nunc ab transenna hic turdus lumbricum petit:
Pendebit hodie pulcre: ita intendi tenus.

NICOBVLVS

Manedum parumper: iam exeo ad te, Chrysale.

CHRYSALVS

Vt verba dat mi! ut nescio, quam rem gerat!
Servos arcessit intus, qui me vinciant.
Bene navis agitatur! pulcre haec confertur ratis!
Sed conticiscam: nam audio aperiri foris.

NICOBVLVS. CHRYSALVS.

NICOBVLVS

Constringe tu *te* illi, Artamo, actutum manus!
i. s. IV, 6.

CHRYSALVS

Quid feci?

NICOBVLVS

Inpinge pugnum, si muttiverit! —
Quid hae loquontur literae?

CHRYSALVS

Quid me rogas?

747. Sic interpunge, sis: *Scio, me esse servom; nescio etiam id, quod scio;* siquidem nescire, quod sciant, saepe iubentur servi Comici, h. e. dominorum sibi visas culpas silere et, ut Hic ait Mil. 476, plus scire quam loqui. Cf. Mil. 568 sq. Terent. Eun. 666, Heaut. 696.

753. *navis* μονοσυλλάβως pronuntiandum; vid. ad Amph. prol. 90.

756. Vulgo inconcinne, *tu illi*. Vide supra ad 684 sq.

Vt ab illo accepi, ad te obsignatas attuli.

NICOBVLVS

Eho tu, loquitatusne es per sermonem male
Gnato meo, quia mihi id aurum reddidit?
Et te dixisti id aurum ablaturum tamen
Per sycophantiam?

CHRYSALVS

Egone dixi istuc?

NICOBVLVS

Ita.

CHRYSALVS

Quis homo est, qui dicat, me dixisse istuc?

NICOBVLVS

Tace;
Nullus homo dicit: haec tabellae te arguont,
Quas tu attulisti. En, haec te vinciri iubent.

CHRYSALVS

Ah! Bellerophontem tuos me fecit filius.
Egomet tabellas tetuli, ut vincirer! — Sine!

NICOBVLVS

Propterea hoc facio, ut suadeas gnato meo,
Vt pergraecetur tecum, tervenefice!

CHRYSALVS

O stulte, stulte, nescis nunc venire te;

759 sq. Vulgo, *E. t. l. e. gnato meo male per serm., quia mihi id a. r.?* Tò *quia* seu pro pyrrhichio, more seriorum, seu pro iambo habeas, perinde est: nam sic interdum eiusmodi verba syllabas extremas producunt; vid. ad Amph. 475. Quod raro imitantor recentiores, velut Phaedrus dixit fab. I, 5, 7: *Ego primam tollo, nominor quiā leo*, et Ausonius Commemor. professorum Burdigall. carm. 8, *Sed quiā nostro docuere aevo*, quae loca suppeditavit Wasius Senarii cap. 16.

762. Vulgo, *sycophantias*, refragante versu. Sequor Sarracen. Iunt. Ald.

765 sq. Vulgo nullis numeris, *Q. t. a.: hem hae t. v. i.* CH. *aha! Beller. iam t. m. f. f.*

767. Edd. solito errore, *detuli.* V. C. initio, si Pareo fides, *tetuli*, quod recte probat Acidal. ad 916, ubi similiter peccatum est.

Atque in eo ipso adstas lapide, ut praeco praedicat.

NICOBVLVS

Responde: quis me vendit?

CHRYSALVS

Quem dî diligunt,
Adulescens moritur, dum valet, sentit, sapit.
Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus iam viginti, mortuom esse oportuit,
Qui terrai odium inambulat: tam nil sapit,
Nec sentit. Tanti est, quanti est fungus putidus.

NICOBVLVS

Tun' terrae me odium esse autumas? Abducite hunc
Intro, atque adstringite ad columnam fortiter!
Nunquam auferes hinc aurum!

CHRYSALVS

Atqui iam dabis.

NICOBVLVS

Dabo?

CHRYSALVS

Atque orabis me quidem ultro, ut auferam.
Quom illunc rescisces, criminatorem meum,
Quanto in periclo et quanta in pernicie siet,
Tum libertatem Chrysalo largibere.
Ego adeo nunquam accipiam.

771. *ut*) Vulgo, *ubi*, quae est interpretatio. *Vt*, non *ubi*, 2 Camerar. Vid. Scioppii Suspp. Lectt. V, 15, ubi inter alia Nasonis ille versus laudatur e primis Metamorphosibus, *Vtque fuit tellus, illic et pontus et aer*; nam sic ibi legendum puto. Caeterum vide lexica.

776. Mancus in vulgatis versus hic, *Terrae odium ambulat. iam nihil sapit.* *Inambulat*, tanquam ex MSS., edidit Pareus. Pro *iam* rectius loco modo laudato Scioppius *tam*; ut causa indicetur, quamobrem terrae odium sit senex. Denique recentiores quaedam edd., *Qui terrae od.*, bene de *Qui* addito. *Terrai* iam Taubmanno in mentem venit.

780. *Atqui iamiam*) Bene se habet vetus lectio, *A. iam dabis.* Tò *aurum* non eliditur; vid. ad Amph. 341. Frustra Iunt. Ald., *Atqui ultro iam d.*

NICOBVLVS

Dic, scelerum caput,
Dic, quo in periclo est meus Mnesilochus filius?

CHRYSALVS

Sequere hac me: faxo iam scies.

NICOBVLVS

Quo gentium?

CHRYSALVS

Tres unos passus.

NICOBVLVS

Vel decem.

CHRYSALVS

Agedum, tu Artamo,
Forem hanc pauxillum aperi! placide! ne crepa! —
Sat est. Accede huc tu: viden' convivium?

NICOBVLVS

Video exadvorsum Pistoclerum et Bacchidem.

CHRYSALVS

Qui sunt in lecto illo altero?

NICOBVLVS

Interii miser!

CHRYSALVS

Novistine hominem?

NICOBVLVS

Novi.

CHRYSALVS

Dic sodes mihi,
Bellan' videtur specie mulier?

NICOBVLVS

Admodum.

CHRYSALVS

Quid? illanc meretricemne esse censes?

NICOBVLVS

Quippini?

CHRYSALVS

Frustra es.

NICOBVLVS

Quis igitur, obsecro, est?

CHRYSALVS

Inveneris:
Ex me quidem hodie nunquam fies certior.

CLEOMACHVS. NICOBVLVS. CHRYSALVS.

CLEOMACHVS

Meamne hic Mnesilochus, Nicobuli filius, i. s. IV, 7
Per vim ut retentet mulierem? quae haec factio est?

NICOBVLVS

Quis ille est?

CHRYSALVS

Per tempus hic venit miles mihi.

CLEOMACHVS

Non me arbitratur militem, sed mulierem,
Qui me meosque non queam defendere.
Nam neque Bellona mihi unquam neque Mars creduat,
Ni illum exanimalem faxo, si convenero,
Nive exheredem fecero vitae suae!

NICOBVLVS

Chrysale, quis ille est, qui minitatur filio?

CHRYSALVS

Vir hic est illius mulieris, quicum adcubat.

799. Vulgo, *retineat*, invenusto accentu; vid. ad Amph. 203. Sed dormitat interdum bonus Plautus.

807. *quicum*) Dec. *quacum*, ut v. libri; sed V. C. *quaecum*, vel potius, ut opinor, *quecum*, h. e. *quicum*, ut passim *qui* pro *qua* legitur in his fabulis; vid. Par. lex. h. v.,

NICOBVLVS

Quid? vir?

CHRYSALVS

Vir, inquam.

NICOBVLVS

Nupta est illan', obsecro?

CHRYSALVS

Scies haud multo post.

NICOBVLVS

Oppido interii miser!

CHRYSALVS

Quid? nunc scelestus tibi videtur Chrysalus?
Age nunc, vincito me! auscultato filio!
Dixin' tibi, te inventurum illunc, qualis siet?

NICOBVLVS

Quid ego nunc faciam?

CHRYSALVS

Iube, sis, me exsolvi cito:
Nam nisi ego exsolvor, iam manufesto hominem opprimet.

CLEOMACHVS

Nihil est lucri, quod me hodie facere mavelim,
Quam illunc cubantem cum illa opprimere, ambo ut necem.

CHRYSALVS

Audin', quae loquitur? Quin tu me exsolvi iubes?

NICOBVLVS

Exsolvite istum. — Perii, pertimui miser!

CLEOMACHVS

Tum illanc, quae corpus publicat volgo suom,
Faxo se haud dicat nactam, quem derideat!

812. Vulgo scabris numeris, *Dixi tibi ego ill. inv. t. o. sit.* MSS. *siet.* De omisso pronomine vid. ad Asin. 843.

CHRYSALVS

Paciscere cum illo paulula pecunia
Potes.

NICOBVLVS

Pacisce ergo, obsecro, quod tibi lubet,
Dum ne manufesto hominem opprimat, neve enicet.

CLEOMACHVS

Nunc nisi ducenti Philippi redduntur mihi,
Iam illorum ego animam amborum exsorbebo oppido!

NICOBVLVS

Hem, illuc paciscere, si potes! perge, obsecro!
Paciscere quidvis!

CHRYSALVS

Ibo et faciam sedulo. —
Quid clamas?

CLEOMACHVS

Vbi herus tuos est?

CHRYSALVS

Nusquam; nescio.
Vis tibi ducentos numos iam promittier,
Vt ne clamorem hic facias, neu convicium?....

CLEOMACHVS

Nihil est, quod malim.

CHRYSALVS

Atque ut tibi mala multa ingeram?

822 sq. Vulgo, CH. *Pacisci cum illo paulula pecunia Potes.* NI. *Paciscere ergo obsecro, quid tibi lubet*, quorum versuum posterior expediri nullo modo potest, nisi per syncopen inauditam, ut *Pacisc're* legatur pro *Paciscere.* Hoc ego mecum reputans, quum *paulo* reperissem in Sarracen. Mediol., Meursiumque et id probare, et *potes* priori versui addere viderem, recepta ista lectione et copula transposita locum sanare aggressus eram, scribendo: *Pacisci cum illo paula pote pecunia.* NI. *Paciscere ergo te obsecro, q. t. l.* Nunc reponendum esse minima mutatione intelligo: CH. *Paciscere cum illo paulula pecunia Potes.* NI. *Pacisce ergo, obsecro, quod tibi lubet*; et similiter mox, *illuc pacisce*, et *Pacisce quidvis*, siquidem verisimile non est, senem perturbatum et rudiorem de variandis verbis cogitare, quod tranquilli est et eloquentis. *Paciscere* pro *pacisci* etiam alii ex priscis.

831. *Ac tibi mala ut m. i.*) Proce-

CLEOMACHVS

Tuo arbitratu.

NICOBVLVS

Vt subblanditur carnufex!

CHRYSALVS

Pater hic Mnesilochi est: sequere. Is promittet tibi;
Tu aurum rogato. Ceterum verbum sat est. —

NICOBVLVS

Quid fit?

CHRYSALVS

Ducentis Philippis rem pepigi.

NICOBVLVS

Ah, salus
Mea, servavisti me! Quam mox dico: Dabo?

CHRYSALVS

Roga hunc tu. — Tu promitte huic.

NICOBVLVS

Promitto: roga.

CLEOMACHVS

Ducentos numos aureos Philippos probos
Dabin'?

CHRYSALVS

Dabuntur, inque. Responde.

NICOBVLVS

Dabo.

CHRYSALVS

Quid nunc, inpure? numquid debetur tibi?

leusmatico (*tibi mala*) usurpato ferri potest vetus lectio, *Atque ut tibi mala multa ing.?*

834. Surrac. Mediol., *Tu eum rog.*, quomodo mox legitur, *Roga hunc tu, tu promitte huic.* Nihilominus nihil mutandum.

835. Vulgo ἀμέτρως, — *rem pepigi.* NI. *Vah, scelus.* Τὸ *rem* delebat Acidalius, violentiore quidem medicina.

839. *Dabuatur, i. Resp.*) Male haec militi tribuuntur, invitis vett. edd., imo MSS. quoque Pall.; certe Pareus, nihil monito lectore, sicut nos edidit.

Quid illi molestus? quid illum morte territas?
Et ego et te illic mactamus infortunio!
Si tibi est machaera, at nobis veruina est domi,
Qua quidem te faciam, si tu me inritaveris,
Confossiorem soricina naenia.
Iamdudum hercle equidem sentio, suspicio
Quae te solicitet, eum esse cum illa muliere.

CLEOMACHVS

Imo est quoque.

CHRYSALVS

Ita me Iupiter, Iuno, Ceres,
Minerva, Latona, Spes, Opis, Virtus, Venus,
Castor, Pollucis, Mars, Mercurius, Hercules,
Submanus, Sol, Saturnus, dique omnes ament,
Vt ille cum illa neque cubat, neque ambulat,
Neque osculatur, neque illud, quod dici solet.....

NICOBVLVS

Vt iurat! Servat me ille suis periuriis.

CLEOMACHVS

Vbi nunc Mnesilochus ergo est?

CHRYSALVS

Rus misit pater;
Illa autem in arcem abivit aedem visere
Minervae. Nunc aperta est; i, vise, estne ibi.

CLEOMACHVS

Abeo ad fanum igitur.

CHRYSALVS

Hercle vel in malam crucem!

843. Vulgo, *Si tibi est machaera, et nobis* etc. Acidalius, *at nobis* etc. quem sequor eliso *tibi*, ut passim fieri doceo ad Amph. prol. 74.

849. Restitue veterem lectionem, *Minerva*, *Latona*, *Spes* etc., etsi invenustum est, verbum *Spes* in thesi occultari. Vid. ad Aul. 109 sqq.

856. MSS. *abiit*, non male, si τὸ *arcem* non elidatur, vid. ad Amph. 341.

858. *Abeo*) Praesens pro futuro positum, sicut et passim alibi, velut infra 1009, Cas. 289, 387; Cist. 308,

CLEOMACHVS

Hodie exigam aurum hoc?

CHRYSALVS

Exige, ac suspende te:
Ne supplicare censeas, nihilid homo! —
Ille est amotus. Sine me (per te, here, obsecro
Deos inmortalis!) ire huc intro ad filium.

NICOBVLVS

Quid eo introibis?

CHRYSALVS

Vt eum dictis plurimis
Castigem, quom haec sic facta ad hunc faciat modum.

NICOBVLVS

Imo oro, ut facias, Chrysale, et ted obsecro,
Cave parsis in eum dicere.

CHRYSALVS

Etiam me mones?
Satin' est, si plura ex med hodie audibit mala,
Quam audivit unquam Clinia ex Demetrio? —

NICOBVLVS

Lippi illic oculi servos est simillumus:
Si non est, nolis esse, neque desideres;
Si est, abstinere, quin attingas, non queas.
Nam ni illic hodie forte fortuna hic foret,
Miles Mnesilochum cum uxore oppremeret sua,
Atque obtruncaret moechum manufestarium.
Nunc quasi ducentis Philippis emi filium,
Quos dare promisi militi; quos non dabo

310, Mil. 1023, Most. 560, 639, 824, Rud. 789, Stich. 498, 506, 509, Trin. 781. Vid. etiam Vechneri Hellenolex. ed. Heusinger. p. 246.

860. *censeas tibi, nili*) Lege potius N. s. *censeas, nihilid homo*; vel *nihili* non liquescit. Vid. ad Amph. prol. 149, Amph. 341.

868. *Turpilii Demetrium*, quam comoediam grammatici frequenter citant, nobilemque dicit Diomedes I, p. 397 Putsch., intellexerim cum Meurs.

Temere etiam, priusquam filium convenero.
Nunquam edepol quidquam temere credam Chrysalo.
Verum lubet mi etiam has perlegere denuo:
Aequom est tabellis consignatis credere.

CHRYSALVS. NICOBVLVS.

CHRYSALVS

Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maxumum,
i. t. IV, 8
Quom Priami patriam Pergamum, divina moenitum manu,
Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
Millenum numero navium, decumo anno post subegerunt:
Non pol id est! termentum fuit, praeut herum expugnavi meum!
Sine classe, sineque exercitu et *sine* tanto numero militum
Cepi, expugnavi amanti herili filio aurum ab suo patre.

885. Vulgo, *Non Pelides termento fuit, praeut ego herum expugnabo meum*, versu nihili sententiaque parum apta ad hunc locum, ubi non de Achillis, sed de Atridarum maximo facinore agitur, cum aliquo alio Chrysali comparando. MSS. Camerar. 2 in ordine *Pelibus*, sed supra lineam *Pelides*, sicut vett. edd., quod vero propius. *Non pol id est*, h. e., Non pol est facinus maximum. Ansam corruptionis praebuerunt cum scriptura continua, olim usitata, tum *o* et *e* literarum inter se commutatio, de qua dixi ad As. 765. *Termentum* a *tero* derivatum, sicut *ramentum* a *rodo*, prima et propria sua potestate hic accipiendum mihi videtur, qua idem signet, quod ramentum vel hilum, h. e. rem nihili. Quod detrimentum intelligunt cum Festo, aegrius concedam, nisi secundum MSS. legatur, *Non Pelius termento fuit*, h. e., Non Achilles detrimento fuit Ilio, praeut ego herum expugnavi. Pelius, Pelii montis accola, unde Achilles oriundus, cuius verbi rarioris vulgatum *Pelides* fuerit interpretamentum. Fortissimus autem Graecorum ad Troiam heros instar omnium nominatus. Caeterum MSS. et vett. edd., *tormento*, quod τῷ *Pelides* probato praeferebat Salmasius, ut pro *tormento* fuisse diceretur Achilles Pergamo, quo eius moenia quaterentur. Male autem libri, *expugnabo*; cf. 887. Literas *b* et

Nunc, priusquamde huc senex venit, lubet lamentari, dum exeat.
O Troia! o patria! o Pergamum! o Priame, periisti, senex,
Qui misere male mulcabere quadringentis Philippis aureis!
Nam ego has tabellas obsignatas, consignatas, quas fero,
Non sunt tabellae, sed equos, quem misere Achivi ligneum;
Epeius Pistoclerust: ab eo haec sumta; Mnesilochus Sinon
Relictus. Ellum non in busto Achili, sed in lecto adcubat!
Bacchidem habet secum. Ille olim ut habuit ignem, qui signum daret:
Haec ipsum exurit. Ego sum Vlysses, quoius haec consilio gerunt.
Tum quae hic sunt scriptae literae, hoc indu equo insunt milites
Armati atque animati probe. Res ita successit mi usque adhuc.
Atque hic equos non in arcem, verum in arcam, faciet inpetum:

v saepius misceri in scriptis, constat.

889. *Pergamus!*) Non erat quod metro timerem a vulgata lectione *Pergamum*; vid. ad Amph. 116, 341.

893. *Epeius*) Ita vett. edd. in his Iunt., scriptura graeca et latina vetere, quod non spernendum duxi prae vulgato *Epius*.

894. *Achillis, sed lecto n.*) Vulgo, — *Achilli, sed in l. a.* Abest *in* Iunt., sed a correctore videtur ex industria omissum, ne versus impingeret. Scribe, — *Achili, sed i. l. n., Achili* media brevi, ut passim apud Graecos et Hunc Merc. 477, Poen. prol. 1 quam formam etiam Epid. 30 suadet, non persuadet, Muretus Varr. Lectt. 10, 11. *Achilli*, ut *Euripidi* Rud. 4, ubi vidd. interpp.

895. Tò *ut* praebent Iunt. Ald.; sed eo carere possumus, si vox *olim* non elidatur; vid. ad Amph. 341.

897. *Literae* non liquescit; vid. ad Amph. 341. *Indu* pro *in* dedi etiam Amph. prol. 125. Conf. Capt. 30, Pseud. 1067, Lucretium passim.

898. Insulse libri, *ita res successit meiusque adhuc.*

Excidium, exitium, exlecebra fiet equos hic hodie auro senis.
Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio;
Miles Menelaust; ego Agamemnon, idem Vlysses Lartius;
Mnesilochus Alexander, qui erit exitium re patriae suae:
Is Helenam abduxit, quoia causa nunc facio obsidium Ilio.
Nam illi itidem audivi Vlyssem, ut ego sum, fuisse et audacem et malum.
Doli ego deprensus; illic mendicans pene inventus interit,
Dum exquirit sibi fata Iliorum. Adsimiliter mi hodie obtigit.
Vinctus sum, sed dolis me exemi; item se ille servavit dolis.
Ilio tria fuisse audivi fata, quae ei forent exitio; t. t.
Signum ex arce si perisset; alterum autem est Troili mors;
Tertium, quom portae Scaeae limen superum scinderetur.
Paria item tria nunc tribus eis sunt fata nostro huic Ilio: t. t. c.
Nam dudum primo ut dixeram nostro seni mendacium i. t.
Et de hospite et de auro et de lembo, ibi signum ex arce iam abstuli.

902. Vulgo, *Laertius*, insolita contractione. Non semel Homerus, monente Acidalio Λαρτιάδης. Quidni illud Λάρτιος Tragicis poëtisque Graecorum frequentatum recipiamus?

903. Libri claudicante versu, *Mn. est Al.*

905. Male vulgo, *N. illic eidem aud.*, nec melius, qui *illic ibidem.* Acidalius, *illicdem*, quod nihili, vel *illic item*; hoc bene, nisi quod metri causa reponendum fuit *Nam illi itid.*

906. Vulgo inconcinne, *Dolis ego deprensus sum: ille mend.* etc. *Doli* Acidalius, collato versu 654. De *sum* omisso vid. ad Amph. 168.

908. *me*) Hoc vulg. desideratum praebent Iunt. Ald. Aegre intelligatur non perscriptum.

909. Durius libri, *quae illi for. ex.* Haec pronomina perpetuo miscentur.

910. Soloece libri, *alt. etiam est T. m.*

Iam duo restabant fata tum, nec magis id ceperam oppidum.
Post ubi tabellas ad senem tetuli, ibi occidi Troilum.
Quom censuit Mnesilochum cum uxore esse dudum militis,
Ibi vix me exsolvi; atque id periclum adsimulo, Vlyssem ut praedicant,
Cognitum ab Helena, esse proditum Hecubae. Sed ut olim ille se
Blanditiis exemit, et persuasit, se ut amitteret:
Item ego dolis me illo expuli e periclo et decepi senem.
Postea cum magnifico milite, urbis qui verbis capit,
Conflixi atque hominem repuli. Dein pugnam conserui seni;
Eum ego uno adeo mendacio devici, uno icto extempulo
Cepi spolia. Is ducentos nunc numos Philippos militi,
Quos dare se promisit, dabit. i. d.
Nunc aliis etiam ducentis usus est, qui dispensentur t. t.
Ilio capto: ut sit mulsum, qui triumphent milites. t. t. c.
Sed Priamus hic multo illi praestat. Non quinquaginta modo,
Quadringentos filios habet; ac quidem omnis lectos sine probro;
Eos ego hodie omnis contruncabo duobus solis ictibus.
Nunc Priamo nostro si est quis emtor, coëmtionalem senem
Vendam ego, venalem quem habeo, extemplo, ubi oppidum expugnavero.
Sed Priamum adstantem eccum ante portam video: adibo atque adloquar.

927. *Alteris*) *Aliis* pro *alteris* positum glossematis concessit, sicut itidem Capt. prol. 8, ubi vide quae annotamus. Iam denuo sequuntur iambi t.

930. Libri pessimo soloecismo, *atque equidem* etc.

NICOBVLVS

Quoianam vox prope me sonat?

CHRYSALVS

Eho, Nicobule!

NICOBVLVS

Quid fit?

Quid, quod te misi, ecquid egisti?

CHRYSALVS

Rogas? Congredere.

NICOBVLVS

Congredior.

CHRYSALVS

Optumus orator sum: ad lacrumas castigando hominem coëgi
Maleque dictis, quae quidem quivi conminisci.

NICOBVLVS

Quid ait?

CHRYSALVS

Verbum
Nullum fecit; lacrumans tacitus auscultabat, quae ego loquebar;
Tacitus conscripsit tabellas has, dedit mihi obsignatas,
Tibi me iussit dare. Sed metuo, ne idem cantent, quod priores.

935 sq. Vulgo nullis numeris, NI. *Cuianam vox prope me sonat?* CH. *o Nicobule.* NI. *quid fit? quid Quod te misi, ecquid egisti?* CH. *rogas? congredere.* NI. *congredior.* Tò *Quod* praegresso versui apponendo et pro *congredior* rescribendo *congreditor* haec in formam trochaicorum t. redigere sibi videbatur Acidalius, cui temere obsecutus eram: nam verba *quid, quod* sic avulsa a duobus sequentibus quis patienter ferat? Imo legendum, usurpatis asynartetis illis, qui constant ex t. d. et i. d. c., NI. *Quoianam vox prope me sonat?* CH. *Eho, Nicobule!* NI. *Quid fit? Quid, quod te misi, ecquid egisti?* CH. *Rogas? congredere.* NI. *Congredior.* Toῦ *Eho*, quae vox est compellantium, literas primas duas praecedentes similes *ch* (*chrysalus*) intercepere. *Rogas* μονοσυλλάβως pronuntiandum, quam figuram illustravi ad Amph. prol. 74.

Nosce signum. Estne eius?

NICOBVLVS

Novi. Lubet perlegere has.

CHRYSALVS

Perlege. t. t. c.
Nunc superum limen scinditur! nunc exitium adest
Ilio! i. l.
Equos lepide turbat ligneus.

NICOBVLVS

Chrysale, ades, dum ego has perlego.

CHRYSALVS

Quid me tibi opus est adesse?

NICOBVLVS

Volo, ut quod iubeo, facias,
as. ex t. d. et i. d. c.
Vt scias, quae hic scripta sint.

CHRYSALVS

Nil moror, neque volo scire.

NICOBVLVS

Tamen ades.

CHRYSALVS

Quid opus est?

NICOBVLVS

Taceas. Quod iubeo, id facias.

CHRYSALVS

Adero.

NICOBVLVS

Euge, literas minutas!

CHRYSALVS

Qui quidem videat parum; t. t. c.
Verum qui satis videat, grandes satis sunt.

943. Lege suaviore numero, *N. s. l. s.!* nunc exitium adest *Ilio.*
945. Vulgo duriore versu, *V. u. q. iubebo, f.* Sequor equidem Decurtatum et vett. nonnullas edd., in his Iuntinam. Cf. 947, 950.

NICOBVLVS

Animum advortito

Igitur.

CHRYSALVS

Nolo, inquam.

NICOBVLVS

At volo, inquam.

CHRYSALVS

Quid opust?

NICOBVLVS

At enim id, quod te iubeo, t. t.

Facias.

CHRYSALVS

Iustum est, tuos tibi servos tuo arbitratu serviat. t. t. c.

NICOBVLVS

Hoc age, sis, iam nunc.

CHRYSALVS

Vbi lubet, recita: aurium operam tibi dico. i. t.

NICOBVLVS

Cerae quidem haud parsit, neque stilo; sed, quidquid est, i. s.

Perlegere certum est. i. h. claus.

« Pater, ducentos Philippos, quaeso, Chrysalo

Da, si esse salvom vis me aut vitalem tibi. »

CHRYSALVS

Malum quidem hercle magnum, tibi dico!

NICOBVLVS

Quid est?

CHRYSALVS

Non prius salutem scripsit?

NICOBVLVS

Nusquam sentio.

953. *quidem* pro monosyllabo est, sicut passim; vid. ad Amph. prolog.

CHRYSALVS

Inde a principio iam inpudens epistola est.
Non dabis, si sapies; verum si das maxume,
Nae ille alium gerulum quaerat, si sapiet, sibi:
Nam ego non laturus sum, si iubeas maxume:
Sat sic suspectus sum, quom careo noxia.

NICOBVLVS

Ausculta porro, dum hoc, quod scriptum est, perlego.
« Pudet prodire me ad te in conspectum, pater:
Tantum flagitium te scire audivi meum,
Quod cum peregrini cubui uxori militis. »
Pol haud derides: nam ducentis aureis
Philippis redemi vitam ex flagitio tuam.

CHRYSALVS

Nihil est illorum, quin ego illi dixerim.

NICOBVLVS

« Stulte fecisse fateor; sed quaeso, pater,
Ne me, in stultitia si deliqui, deseras.
Ego animo cupido atque oculis indomitis fui:
Persuasum est facere, quoius me nunc facti pudet. »
Prius cavisse ergo, quam pudere, aequom fuit.

CHRYSALVS

Eadem istaec verba dudum illi dixi omnia.

NICOBVLVS

« Quaeso, ut sat habeas id, pater, quod Chrysalus
Med obiurgavit plurimis verbis malis,
Et me meliorem fecit praeceptis suis,

74. Clausulam eiusmodi, sed iamborum l., habes etiam Trin. 214, basin iambicam Stich. 661.

958. Hic versus inter 963 et 964 inculcatur, quem postliminio in sedem suam legitimam reduxit Acidalius: nam ea est impudentia, quam dicit Chrysalus, quod salutem Mnesilochus non adscripsit.

967. *Deridere* positum pro *iocari*, quod alibi fieri non memini.

974. Libri inconcinne, *P. te cavisse* etc. Sensit Acidalius.

Vt ted ei habere gratiam aequom sit bonam. »

CHRYSALVS

Estne istuc istic scriptum?

NICOBVLVS

Hem, specta, tum scies.

CHRYSALVS

Vt, qui deliquit, supplex est ultro omnibus!

NICOBVLVS

« Nunc, si me fas est obsecrare abs te, pater,
Da mihi ducentos numos Philippos, te obsecro! »

CHRYSALVS

Ne unum quidem hercle, si sapis.

NICOBVLVS

Sine perlegam.

« Ego iusiurandum verbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante vesperum,
Priusquam a me abiret: nunc, ne periurem, pater,
Cura, atque abduce me hinc ab hac quantum potest,
Quam propter tantum damni feci et flagitî.
Cave tibi ducenti numi dividiae fuant:
Sexcenta tanta reddam, si vivo, tibi.
Vale atque haec cura. » Quid nunc censes, Chrysale?

CHRYSALVS

Nil ego tibi hodie consilî quidquam dabo,
Neque ego haud committam, ut, si quid peccatum siet,
Fecisse dicas de mea sententia;

982. *Obsecrare abs te*) Notanda haec loquendi forma, non eximendum *abs*, quod videbatur Acid., quia scilicet abesse possit et absit alicunde.

987. *ne periurem, pater*) Ita 2 membranae Camerar., teste Scioppio Suspect. Lectt. V, 15, sicut etiam infra 959, item Sarraceu. Iunt. Ald., et sic Parens edidit. Fallitur itaque Taubmannus, quum ab Aldo primum vulgatam quam dicit lectionem, *pater*, *ne periurem*, metri causa mutatam esse tradit.

994. Male ad duplicem negationem offenderunt: vid. Vechneri Hellenol. I, 2, 35.

Verum ut ego opinor, si ego in istoc sim loco,
Dem potius aurum, quam illum corrumpi sinam.
Duae conditiones sunt; tu utram accipias, vide:
Vel ut aurum perdas, vel ut amator peieret.
Ego nec te iubeo, neque veto, neque suadeo.

NICOBVLVS

Miseret me illius.

CHRYSALVS

Tuos est: non mirum facis.
Si plus perdundum sit, perisse suaviust,
Quam illuc flagitium volgo dispalescere.

NICOBVLVS

Nae ille edepol Ephesi multo mavellem foret,
Dum salvos esset, quam revenisset domum! —
Quid ego istic? quod perdundum est, properem perdere?
Binos ducentos Philippos iam intus ecferam,
Et militi quos dudum promisi miser,
Et istos. Mane istic: iam exeo ad te, Chrysale.

CHRYSALVS

Fit vasta Troia! scindunt proceres Pergamum!
Scivi ego iamdudum, fore me exitium Pergamo!
Edepol qui me esse dicat cruciatu malo
Dignum, nae ego cum illo pignus haud ausim dare,
Tantas turbelas facio. Sed crepuit foris:

996. *sim*) Ita MSS., non *siem*, ut vulgo, quo versus corrumpitur.

1006. (*Quin ego istuc?*) Vulgo, *Quin ergo istic*, *quod* etc. MSS. et fere edd. vett., (*Quid ego istic quod* etc. Legendum sine controversia, *Quid ego istic?* h. e. quid ego faciam in hac re? Vid. ad Aulul. 138. *Properem* modus est potentialis, de quo dixi ad Aul. 42. Nam sic V. C. et vett. edd., alter MS. Camer., *propere*, quod fuerit *properē*, h. e. *properem*, nisi malis cum Grutero, *propero*. Equidem perstabo in vulgata lectione.

1009. *exeo*) Vid. supra ad 859.

1014. Bene Meursius Exerc. critt. *turbelas*, sicut derivetur a *suada suadela*, a *juga jugela* et *conjugela* apud Festum, ab *adsuda adsidela*. Male vulg. *turbellas*, tanquam si hoc sit ὑποκοριστικόν.

Ecfertur praeda ex Troia. Taceam nunc iam.

NICOBVLVS

Cape hoc tibi aurum, Chrysale! i, fer filio!
Ego ad forum autem hinc ibo, ut solvam militi.

CHRYSALVS

Non equidem accipiam! proin tu quaeras, qui ferat!
Nolo ego mihi credi.

NICOBVLVS

Cape vero! odiose facis.

CHRYSALVS

Non equidem capiam.

NICOBVLVS

At quaeso.

CHRYSALVS

Dico, ut res se habet.

NICOBVLVS

Morare.

CHRYSALVS

Nolo, inquam, aurum concredi mihi;
Vel da aliquem, qui me servet.

NICOBVLVS

Odiose facis.

CHRYSALVS

Cedo, si necesse est.

NICOBVLVS

Cura hoc. Iam ego revenero. —

CHRYSALVS

Curatum est, esse te senem miserrumum.
Hoc est incepta efficere pulcre, vel mihi

1017. Vulgo, *ut solvam militem*, quod explicant, *ut absolvam militem*. Sed sic locutos esse, cras fortasse credam, non hodie. Sarracen., *militē*. Hoc quam vicinum sit verae, quam posui, lectioni, non est quod doceam,

1022. Vulgo versu nimio, Ni. *Ohe*, *odiose facis*. Scriptum, opinor, *hodiose* pro *odiose*, mox gravius etiam corruptum est. Vid. ad As. 24.

1025. Libri ex interpretatione, invito quidem versu, *H. e. i. e. pulcre*,

Evenit, ut ovans praeda onustus cederem?
Salute nostra atque urbe capta per dolum
Domum reducod integrum omnem exercitum.
Sed, spectatores, vos nunc ne miremini,
Quod non triumpho: pervolgatum est, nil moror;
Verumtamen accipientur mulso milites.
Nunc praedam hanc omnem iam ad quaestorem deferam.

PHILOXENVS

Quam mage pectore in meo foveo, quas meus filius turbas turbet, t. t. V, 1
Quam se ad vitam et quos ad mores praecipitem inscitus capessat,
Mage curae est mageque adformido, ne is pereat neu corrumpatur;
Nec placitant mores, quibus video volgo gnatis esse parentes.
Scio: ego fui illa aetate et feci illa omnia; sed modesto more.
Duxi, habui scortum, potavid, edi, donavi; etenim id raro.
Ergo dare me ludum meo gnato institivi, ut animo obsequium
Sumere possiet: puto aequom; sed nimis nolo desidiae

veluti mihi. Legendum, *vel mihi Evenit.*

1026. Vulgo inconcinne, *incederem.* Correxit R. Bentleius ad Horatii Epist. II, 1, 67. *Cedere* pro *incedere* non semel Noster; vid. Par. lexic. h. v., et saepius, quam etiam legebatur, vidi reponendum metri causa, quum a grammaticis vetera fastidientibus, indoctisque scribis mutatum esset. Cf. Cas. 129.

1036 sq. Ordine praepostero hi versus leguntur in vulgatis, animadvertente Acidalio.

1038. Ferri potest recepta lectio, *— donavi; etenim id raro.* MSS., *po-*

Ei dari ludum. Nunc ad Mnesilochum, quod mandavi, viso:
Ecquid eum ad virtutem aut ad frugem opera sua conpulerit,
Sicut eum, si convenit, scio fecisse: eo est ingenio natus.

NICOBVLVS. PHILOXENVS.

NICOBVLVS

Quicunque ubiubi sunt, qui fuerunt, quique futuri sunt posthac as. ex t. d. et i. d. c. V, 2
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,
Solus ego omnis longe antideo stultitia et moribus indoctis!
Perii! pudet. Hoccin' me aetatis ludum bis factum esse indigne?
Mage quam id reputo, tam magis uror, quae meus filius turbavit.
Perditus atque eradicatus sum etiam! omnibus exemplis crucior!

tavi dedi, h. e. *potavid*, *edi*. Vidd. Taubm. ad h. l., nos ad Amph. prol. 149.

1039. Vulgo consueto lapsu, *institui*. Nostrum versus sibi poscit.

1040. Vulgo pravis numeris, *S. possit*, *aequom esse puto*. Tò *esse* abest a Iunt. Ald.

1041. Vulgo, *dare*; Acidal., *Eii dare*, et mox, *nunc ad Mn.*, quum vulgo desideretur, non sine versus detrimento, praepositio.

1044. Recurrit hic versus Pers. V, 2, 1. Cf. Cist. 202 sq. Vide de hoc genere versuum ad Amph scen. suppos. *Di vostram* 15–29. Notandum autem, partes horum iambicas meris spondeis et uno dactylo constare, quod alibi in hoc metro fieri non memini. *Vbiubi* MS. Schobing. apud Pareum edd. Iunt. Ald., probante Acidalio; Decurt. et Surracen., *ubi*, quod eodem redit; vulgo, *ubique*, pro *ubicunque*, neque hoc repudiassem, nisi durius mihi visum fuisset *-bi* syllabam corripi enclitico sequente. Caeterum MSS., *fuerunt*, non *fuere*. Illud gravius sonantiusque, praesertim in asynarteti versus commissura.

1046. *st. et modis ind.*) Retinenda est vetus lectio, *stult. et moribus indoctis*. Offendebar pravo accentu verbi *moribus*; sed vid. ad As. 159.

Omnia me mala consectantur! omnibus exitiis interii!
Chrysalus me hodie laceravit, Chrysalus me miserum spoliavit!
Is me scelus dolis attondit doctis indoctum usque, ut lubitum est:
Ita miles meretricem memorat esse, quam ille esse uxorem aibat;
Omnia, ut quodque actum est, memorat. eam sibi hunc annum conductam;
Reliqüom id auri factum, quod ei homo ego stultissumus promisissem.
Hoc, hoc est, quod peracescit, hoc demum est, quod percrucior,
Me hoc aetatis ludificari; imo edepol sic ludos factum!
Cano capite, atque alba barba miserum me auro esse emunctum!
Perii, hoc servom meum non nauci facere esse ausum! Atque ego si alibi
Plus perdiderim, minus aegre habeam, minusque id mihi damno ducam.

PHILOXENUS

Certo hic prope me mihi nescioquis visus loqui est. Sed quem video?

1054. Vulgo, *Omniaque* invitis MSS. Eorum alter Camer., *quidquid*, alter, Decurtatus, qui item correctior (vid. nos ad Asin. 632), *quidque*, quod placebat Acidalio; vett. quaedam edd., velut Iunt., *quodque*, caeteras item, *quidquid*. Hilum non interest, quidquid horum elegeris.

1055. V. C. *relicum*, h. e. *relicuum* vel *reliquom*, more scribendi in vetustioribus membranis. Vocabulum quadrisyllabum esse apud priscos, docuit Bentleius ad Phaedri fab. I, 31, 13. Ad quam faciem Cas. prol. 7, 13, *Antiqüa* et *Antiqüam* reponenda esse vidi, et *deliquom* Cas. 99. Conf. Scaliger ad Festum voc. *Deliquum.*

1056. *Hoc, hoc est, hoc, quod*) Vulgo perturbato adeoque imperfecto numero, *Hoc, hoc est, quod* etc. Sed malim nunc quidem, *Hoc, hoc, hoc est, quod* etc. Caeterum hic versus et 5 sequentes asynarteti sunt, e t. d. et i. d. c. compositi, quod olim minus animadverti, itaque hoc versu legendum est, *hoc demum est, q. p.* caeterum nihil mutandum.

Hic quidem Mnesilochi pater.

NICOBVLVS

Euge, socium aerumnae et mali *ego* video! Philoxene, salve.

PHILOXENVS

Et tu. Vnde agis?

NICOBVLVS

Vnde homo miser atque infortunatus.

PHILOXENVS

At pol ego ibi sum, ubi miserum hominem decet esse atque infortunatum.

NICOBVLVS

Igitur pare fortuna, aetate uti sumus, utimur.

PHILOXENVS

Sic est; sed Tu, quid tibi est?

NICOBVLVS

Pol mihi par itidem est, quod tibi.

PHILOXENVS

Numquidnam ad filium aegritudo haec attinet?

NICOBVLVS

Admodum.

PHILOXENVS

Idem mi est in pectore morbus.

1062. Vulgo, *H. q. pater Mnesilochi.* NI. *euge, soc. aer. et mei mali video.* Istud *mei* nec sententiam iuvat et metrum pessumdat.

1065. *Pare* excudi iussi pro vulgato *pari*, ne durius elidenda vox esset metri gratia. Scio, quid placeat grammaticis, in his G. I. Vossio Lat. gramm. p. 48, sed Plautum et priscos idem sibi eadem de causa indulsisse in adiectivo, quod receptum est in substantivo, mihi persuadeo.

1066. *Pol mihi item par est*) Forte omissum *est* post *tibi*. Caeterum nunc legam potius verbis non transpositis, *Pol mihi par itidem est, quod tibi.* *Idem, item, itidem*, saepissime miscentur. Prius *tibi* eliditur; vid. ad Amph. 341.

NICOBVLVS

At mihi Chrysalus, optumus homo, disperdit filium,
med, ac meam
Rem omnem.

PHILOXENVS

Quid tibi ex filio nam est, obsecro, aegre?

NICOBVLVS

Scies. Is periit
Cum tuo: ambo aequè habent amicas.

PHILOXENVS

Qui scis?

NICOBVLVS

Vidi.

PHILOXENVS

Hei mihi, disperii!

NICOBVLVS

Quid dubitamus pultare atque huc evocare ambos foras? t. t. c.

PHILOXENVS

Haud moror.

NICOBVLVS

Heus, Bacchis, iube sis actutum aperiri foris,
Nisi mavis foris et postis comminui securibus.

1068. Libri *perdidit*, metro difficiliore ob elidendam priorem *i* literam in *perdidit*. Animum igitur induco reliquisse Plautum, *perdit*, sententia non minus bona, quum Mnesilochum non tam *perdiderit*, quam in eo sit, ut perdat servus pessimus. Vel legendum verbis transpositis, *perdidit me filium ac rem* etc. Et hoc profecto verum, praesertim in sene, sui potius quam aliorum rationem habente, ut solent senes.

1073. Bene libri, *Nisi mavoltis foris* etc. *O* litera in *foris* liquescit: vid. ad Amph. 341.

BACCHIDES SORORES. NICOBVLVS. PHILOXENVS.

BACCHIS

Quis sonitu ac tumultu tanto nominat nomine ac pultat aedis?

NICOBVLVS

Ego atque hic.

BACCHIS

Quid hoc est b. oct. V, 3

Negoli? nam, amabo, qui ovis has adegit?

NICOBVLVS

Ovis nos vocant pessumae.

SOROR

Pastor harum

Dormit, quom haec eunt a pecu palitantes.

BACCHIS

At edepol nitent; sordidae ambae haud videntur.

SOROR

At tonsae quidem ambae usque sunt.

PHILOXENVS

Vt videntur

Deridere nos!

NICOBVLVS

Sine suo usque arbitratu.

BACCHIS

Rerin' ter in anno tute has tonsitari?

1074–1095. Horum versuum quique duo in unum coniungendi, bacchiacum illum quidem octonarium, ne in duos versus distrahenda sint vocabula *nomine* 1074 et *Revortamur* 1094; quod item feci Truc. 675. Versu 1082 *ter* producitur ante vocalem more prisco, quem illustravi ad Amph. prol. 38. Ibidem *tu* vulgatum servari potest ea lege, ut non liquescat: vid. ad Amph. 341. Sequente versu τὸ *haec* a me additum stabiliendi metri causa.

SOROR

Pol hodie altera *haec* iam bis detonsa certum est.
Vetulae sunt thymiamae.

BACCHIS

At bonas fuisse credo.

SOROR

Viden', limulis, obsecro, ut contuentur?

BACCHIS

Ecastor sine omni arbitror malitia esse.

PHILOXENVS

Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.

BACCHIS

Cogantur quidem intro.

SOROR

Haud scio, quid eo opust, quae
Nec lactem nec lanam ullam habent. Sic sine adstent.
Exoluere, quanti fuere; omnis fructus
Iam illis decidit.

BACCHIS

Non vides, ut palantes
Grassentur?

SOROR

Quin aetate credo esse mutas:
Ne balant quidem, quom a pecu cetero absunt.

BACCHIS

Stultae atque haud malae *mihi* videntur.

SOROR

Revortamur
intro, soror.

NICOBVLVS

Eloco ambae manete:

1087 *venerimus* penultima longa est, sicut *meminerimus* Cist. 12, *fecerimus* Catull. VI, 10 etc. Vidd. grammatici. 1088 lege potius, *opust*, *quae nec lactem* etc.: *est* et *sit* passim confusa in libris vett,

Oves hae volunt vos. b. d.

BACCHIS

Prodigium hoc quidem est: humana nos voce adpellant oves. t. t. c

PHILOXENVS

Haec oves vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.

BACCHIS

Si quam debes, te condono; tibi habe: nunquam abs te petam.
Sed quid est, quapropter nobis vos malum minitamini?

PHILOXENVS

Quia nostros agnos conclusos istic esse aiunt duos

NICOBVLVS

Et praeter eos agnos meus est istic clam mordax canis;
Qui nisi nobis producuntur iamque emittuntur foras,
Arietes truces nos erimus: tam in vos incursabimus.

BACCHIS

Soror, est, quod te volo secreto. Eho, amabo!

NICOBVLVS

Quo illaec abeunt? as. ex t. d. et i. d. c.

BACCHIS

Senem illunc dedo tibi veteriorem, lepide ut lenitum reddas;

1098. Inconcinne libri, *Hae oves. Haec, illaec, istaec*, in foeminis prisci usus sunt. Vide ad Amph. 138, ad ad Terent. Andr. 98, 626, Eun. 531, infra 1110.

1103. *iamque*) Ita edd. aliquot vv. in his Imut.; nec tamen mala caeterorum lectio librorum, *iam atque*.

1105. *Eho, amabo*) Male haec sorori tribuuntur in vulgatis, τῷ *eho* potestatem suam consuetam haud obtinente. Melius aliquanto Acidalius Nic. *Eho, amabo, quo illae abeunt? Illae* autem libri, itidem inconcinne. Vid. ad 1098. De hoc versuum genere asynartetorum breviter exposui ad Amph. scen. suppos. *De vostram* 15 sqq.

1106. *ulteriorem*) Priscianus I, 6, p. 716 Putsch., ubi de comparativo τοῦ *veter* agit, *veteriorem*; cui lectioni refragatur metrum, nisi transponatur,

Ego ad hunc iratum adgrediar. Possumus nos hos intro inlicere huc.

SOROR

Meum pensum ego lepide adcurabo, quamquam odium est mortem amplexari. t. t.

BACCHIS

Facito, ut facias.

SOROR

Taceas. Tu tuom facito. Ego, quod dixi, haud mutabo. t. t.

NICOBVLVS

Quid illaec illic in consilio secreto duae consultant?

PHILOXENVS

Quid ais tu, homo?

NICOBVLVS

Quid me vis?

PHILOXENVS

Pudet dicere me tibi quiddam...

NICOBVLVS

Quid est, quod pudeat?

PHILOXENVS

Sed amico homini tibi, quod volo, credere certum est:

Nihili sum!

NICOBVLVS

Istuc scio iampridem. Sed, qui sis nihili, memora.

PHILOXENVS

Tactus sum vehementer visco; cor stimulo foditur.

NICOBVLVS

Pol tibi mul- t. t.

to aequius est coxendicem. t. d. c.

Sen. ill. dedo tibi veteriorem. Et hoc malim.

1108. *odium*) taedium, molestia, sicut passim, cuius explicatio est vulgatum *odiosum*.

1110–1113. Hi versus ex asynartetis illis sunt, in quibus iunguntur t. d. et i. d. c.

1114–1115. Hos versus ita digessi, secutus G. Hermannum De Metris p.

Sed quid istuc? Etsi iam ego ipse, quid sit, prope scire puto me; as. ex t. d. et i. d. c.
Verum audire etiam ex te studeo.

PHILOXENVS

Viden' hanc?

NICOBVLVS

Video.

PHILOXENVS

Haud mala mulier!

NICOBVLVS

Pol vero ista mala, et tu nihili.

PHILOXENVS

Quid multa? Ego amo.

NICOBVLVS

An amas?

PHILOXENVS

Ne carpe.

NICOBVLVS

Tu, homo putide, amator istac fieri aetate audes?

PHILOXENVS

Qui non?

137. Trochaïcus d. c. post eiusmodi t. t. loco clausulae usurpatus, ut saepius quidem Trochaïci d. acatalecti. Car. 112 similis versus etiam post iambum t. c. infertur; Casinae vero 647 et 654 eiusmodi brachycatalecticus sive ithyphallicus similiter post trochaicos longiores. Vide etiam ad Curc. l. l.

1117. Libri: *H. mala est mulier*, durius elidendo *a* litera priore in *mala*, secundum priscorum in hoc genere consuetudinem, de qua multus fui ad Amph. prol. 74.

1118–20. Hi versus rursus trochaïci t. acat., itaque eorum primo legendum, sicut vulgo, usurpato proceleusmatico: PH. *Quid multa? Ego amo.* NI. *An amas? Ne carpe* vulgato *Necas* adscriptum erat, tanquam aliorum librorum lectio, in V. C. Camerarii; quod praetuli, cum quia *Necare* pro *Enicare*, h. e. Obtundere, unsquam, quod sciam, neque Hic neque alii probi scriptores, tum quia verisimile est, *pe* syllabam a simili, quae sequitur, nota personae *ni* esse interceptam: nam *r* et *s* literae saepe vix dignosci in scriptis, sciunt, qui eos versarunt, monuitque I. F. Gronovius Observatt. I, 15. Medio horum versuum τὸ *fieri* prima syllaba porrecta pronuntiandum est, sicut passim fit, si metrum salvum velis. Vltimo legendum, *filio meo non sum iratus.* Iam denuo incipiunt asynarteti: nam qui haec om-

NICOBVLVS

Quia flagitium est.

PHILOXENVS

Quid opus verbis? filio meo non sum iratus;
Neque te tuo est aequom esse iratum: si amant, sapienter faciunt.

BACCHIS

Sequere hac.

PHILOXENVS

Eccas tandem!

NICOBVLVS

Probri perlecebrae et persuastrices,
Quid nunc? etiam redditis nobis filios et servom?
An ego experior tecum vim maiorem?

PHILOXENVS

Abin' hinc? h. l.
Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam inlepide adpelles! as. ex t. d. et i. d. c.

BACCHIS

Optume senex, quantum est in terra, sine hoc exorari abs te: ut
Istuc delictum desistas tanto opere ire oppugnatum.

NICOBVLVS

Ni abeas, quamquam tu bella es, magnum malum tibi dabo iam!

nia in formam trochaïcorum l. scat. redigere sibi videntur posse, egregie falluntur.

1122. Libri prorsus inconcinne: BA. *Sequere hac.* NI. *eunt eccas* etc. *Eunt* vel interpretamentum verborum *Eccas*, vel adscriptum a nescio quo, ut sciremus scilicet, ire nunc senes compellatum sorores Bacchides, quae adhuc constiterant consulentes.

1124. Singulus bacchiacus inter alius generis versus non sine exemplo venit: cf. Epid. 120, 317. Vers. seq. τὸ *quidem* liquescit: vid. ad Amph. prol. 74.

1128. *Ni*) Sic V. C., non *nisi*, ut vulgo, quo metrum evertitur. Correctionem hanc eius puto, qui nesciret, monosyllaba sub ictu posita, passim non elidi: vid. ad Amph. 149. *Malum* μονοσυλλάβως pronuntiandum: vid. ad Amph. prol. 74. Cae-

BACCHIS

Patiar. t. t.

Non metuo, ne quid mihi doleat, quod ferias.

PHILOXENVS

Vt blandiloqua est!

BACCHIS

Hei, mihi metuo!

SOROR

Hic mage tranquillust. t. d.

BACCHIS

I hac mecum intro, atque ibi, si quid vis, filium concastigato.

NICOBVLVS

Abin' a me scelus?

BACCHIS

Sine, mea pietas, te exorem!

NICOBVLVS

Exores tu me?

SOROR

Ego quidem ab hoc certe exorabo.

PHILOXENVS

Imo ego te oro, ut me intro abducas.

SOROR

Lepidum te!

PHILOXENVS

At scin', quo me pacto intro abducas?

SOROR

Mecum uti sis.

terum Sarracen. Mediol., *malum tibi malo dabo iam*. Rursus sequitur asynartetus, e t. d. et i. d. c. compositus.

1129. *Vt blandiloqua est!* BA. *Hei, mihi metuo!*) Haec vulgo Nicobulo tribuuntur.

1131. *I hac*) Ita Decurt., caeteri libri inconcinne, *I, i hac*, sicut etiam mox 1137, ubi itidem ille codex, *E hac*, quod *Ei hac* fuisse non inepte coniicit Pareus. Tò *I* coalescit cum vocali sequente: vid. ad 716. Hic quoque trochaicus plenus, legendumque, prout in libris est: — *si quid vis, filium concastigato*. Sequuntur 3 asynarteti similes supra positis cum

PHILOXENVS

Omnia, quae cupio, commemoras. t. d. claus.

NICOBVLVS

Vidi ego nequam homines; verum te neminem deteriorem.

PHILOXENVS

Ita sum. t. t.

BACCHIS

I hac mecum intro, ubi tibi sit lepide victibus vino atque unguentis.

NICOBVLVS

Satis, satis iam vostri est convivi! me nil poenitet, ut sum acceptus.
Quadringentis Philippis filius me et Chrysalus circumduxerunt,
Quem quidem ego ut non excruciem, alterum tantum non mercam auri. as. ex t. d. et i. d. c.

BACCHIS

Quid tandem? si dimidium auri redditur, isne hac mecum intro, atque ut t. t.
Eis delicta ignoscas?

PHILOXENVS

Faciet. t. d.

NICOBVLVS

Minume! nil moror! sine sic! malo illos ulcisci ambo! t. t.

PHILOXENVS

Etiam tu, homo nihili, quod dî dant boni, cave culpa tua amissis!.
Dimidium auri datur: accipias potesque et scortum adcumbas! as. ex t. d. et i. d. c.

clausula usitata: vid. ad Amph. scen. suppos. *Di vostram* 15 sqq.

1141. Vulg. *isne tu hac*; sed Decurt., *in hac*, V. C. *isne in*, ut prius sit glossa posterioris, ait Pareus.

1144. *boni* extrita *o* litera legen-

NICOBVLVS

Egon', ubi filius corrumpatur meus, ibi potem?

PHILOXENVS

Potandum est. t. t.

NICOBVLVS

Age, iam id, utut est, etsi dedecorum est, patiar, facere inducam animum;
Egon', quum haec cum illo adcumbet, inspectem?

BACCHIS

Imo equidem pol tecum adcumbam,
Ted amabo et te amplexabor.

NICOBVLVS

Caput prurit! perii! vix negito.

BACCHIS

Non tibi venit in mentem, amabo, si, dum vivas, tibi bene facias,
Tam pol id quidem haud perlonginquom esse, neque, si hoc hodie amissis, 1151
Post in morte eventurum unquam? t. d.

NICOBVLVS

Quid ago?

PHILOXENVS

Quid agas, rogitas etiam?

NICOBVLVS

Lubet, et metuo.

BACCHIS

Quid metuis?
as. ex t. d. et i. d. c.

NICOBVLVS

Filio ne obnoxius siem et servo.

dum: vid. ad Amphitruonem prolog. 74.

1151. *Tam* pro *tamen*: siquidem sic prisci secundum Festum, unde etiam sequiores *tametsi* pro *tamenetsi*. Alienum est τὸ *iam* librorum. Iidem inconcinne, *amiseris*. *Amissis*, ut supra 1144.

1154. Vulg. inconcinne, *sim*, nisi non elidatur.

BACCHIS

Mel meum, amabo,
Istaec fiunt. Tuos est. Vnde illum censes sumere, nisi quod
Tute illi dederis? Hanc veniam illis sine te exorem!

NICOBVLVS

Vt terebrat!
Satin', obfirmatum quod mihi erat, id med exorat? Tua sum
Opera et propter ted inprobior? t. d.

BACCHIS

Ne is?

NICOBVLVS

Quaen', mea, mavellem? Satin' ego istuc habeo obfirmatum? as. ex t. d. et i. d. c.

NICOBVLVS

Quod semel dixi, haud mutabo.

BACCHIS

It dies: ite intro adcubitum.
Filii intus vos expectant.

NICOBVLVS

Quam nos quidem actutum emoriamur? as. ex t. d et i. d. h.

BACCHIS

Vesper hic est: sequimini.

1156. *dederis* extrema syllaba longa: vid. G. I. Vossii Lat. Syntax. p. 134, locisque scriptorum ibi laudatis adde *fleveris* Pseud. 98, *fueris* Capt. 179, *memineris* Terent. Heaut. 974.

1159. Vulg. *Nusquam me a te nevelles.* Sed V. C. *Ne is quam mea mavellem*; Decurt., *ne is quam mea vellem. Ne is* frequente metathesi pro *isne?* Vid. Pareani lexic. mantiss. vv. Anastrophe et Metathesis. *Mea* passim audiunt amasiae apud Comicos: vid. Cas. 686 secundum lectionem in annotationibus propositam, Most. 336 etc.

1161. Genus hoc versuum haud alienum ab usu Plauti: cf. Capt. 861 sq, Cist. 428 sq, ad quae loca vide, quae annotamus, Pseud. 950 sq. 1325 sq. Trin. 236–39, Stich. 314. Tò *nos* v. omissum invitis MSS. et vv. edd.

1162. *Hic* pronomen corripitur, si-

PHILOXENVS

Ducite nos, quo lubet, tanquam quidem addictos.

BACCHIS

Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias. — Ite.

GREX

Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus;
Neque adeo haec faceremus, ni antehac vidissemus fieri,
Vt apud lenones rivales filiis fierent patres.
Spectatores, volumus vos valere et clare adplaudere.

ent passim: vid. ad Amph. 136. *Tanquam* quidem fuit quum ortum arbitrarer ex *tanquamde*, h. e. *tanquam*; sed amplio. Certe metrum fert τὸ *quidem* elisum: vid. ad Amph. prol. 74.

1163. *filiis* δισυλλάβως pronuntiandum, litera *i* media liquescente, quomodo *gratis* dicitur pro *gratiis*: vid. item ad Amphitruonis locum modo laudatum. Nec tamen spreverim legentem, intellecto *suis*: *L. i. h. s. capti, filiis qui fecere i. I.*

CAPTIVI

DRAMATIS PERSONAE

ERGASILVS, *parasitus.*
HEGIO, *senex.*
LORARIVS.
PHILOCRATES } *captivi.*
TYNDARVS } *captivi.*
ARISTOPHONTES.
PVER HEGIONIS.
PHILOPOLEMVS.
STALAGMVS.
GREX.

ARGVMENTVM

Captust in pugnad Hegionis filius;
Alium quadrimum fugiens servos vendidit.
Pater captivos commercatur Alios,
Tantum eii rei studens, ut natum recuperet;
Et in ibus emit olim amissum filium.
Is suo cum domino veste vorsa ac nomine,
Vt amittatur fecit, ipsus plectitur;
Et is reduxit captum et fugitivum simul,
Indicio cuius alium agnoscit filium.

Vers. 1. Vulg. *Captus est in pugna Hegionis filius*, sine ulla quidem metri forma. Versui prospiciens Camerarius ex ingenio: *Captus fuit i. p. H. f.*, non male, si librorum accederet auctoritas. Nunc, quum scriptor horum argumentorum vel ipse satis antiquus fuerit, vel certe antiquos, praesertim Plautum, per omnia imitetur, id quod pridem sensit Acidalius Divv. et Interpretatt. ad Amph. c. 2, verisimile est, neque ista *d* litera, hiatus auferendi causa olim usurpata, eam abstinuisse, itaque legendum esse, *Captust in pugnad H. f.* Vid. ad Amph. prol. 149, Amph. 262.

2. *Alium* pro *alterum*, ut mox iterum vs. 9. Vid. ad prol. 8.

4. Vulg. *Tantum studens, uti natum recuperet.* Mancus versus, quem additis verbis *eii rei* sanare studebam. Argent., *recup. suum*, quod recepit Pareus, sed τὸ *suum* ante *recup.* collocavit.

5. *in ibus*) Libri fere, *inibi;* Helmstad., quem contuli, *mihi*, quod eodem redit. Nostrum excogitavit Gulielmius Quaestt. in Capt. c. 1, probante Grutero, qui de hoc commento tanquam de scripti cuiusdam lectione loquitur. Cuius rei fides sit penes auctorem. *Ibus* pro *iis* usitatum priscis; vid. Parei lexic. h. v.

PROLOGVS

Hos quos videtis stare hic captivos duos, I. 1.
Illi, qui ne stant, hi stant ambo, non sedent.
Hoc vos mihi testes estis me verum loqui.
Senex qui hic habitat, Hegio, est huius pater.
Sed is quo pacto serviat suo sibi patri,
Id ego hic apud vos proloquar, si operam datis.
Seni huic fuerunt filii nati duo;
Alium quadrimum puerum servos surpuit,

Vers. 2. Inepte vulg., *Illi qui astant, hi* etc., siquidem, si hic stant captivi illi, non simul *illi*, h. e. *illic*, stare possunt. Pall. et nostri H, M, *Illi qui stant*; 5 Pal., *Illi quidem stant*; Guelferbytanus, quem inspeximus, *Illi, qui instant*; unde feci, *Illi, qui non stant*; sed malim nunc, *I. qui ne stant*, eodem sensu propiusque scripturae codicum. Locus iam perspicuus.

3. *Hoc vos*) Ita V. C. a m. 2. Ante ibi scriptum erat, quod item legitur in editione principe, *Hos vos*, mixtis *C* et *S* literis, velut etiam libri Catonis de R. R. prooemio v. 1 *praestare* exhibetur, sudantibus interpp., pro *praeclare*, h. e. *magnopere*, *valde*, *vehementer*, et sic passim scribae aberrarunt. Vulgus codicum h. l. *Vos vos*, emphasi absurda.

5. *suo sibi*) Terentius Ad. 932, *suo sibi gladio hunc iugulo*, ubi Donatus: « Ἀλληγορία. Et non suo, sed *suo sibi*, moraliter et ut veteres solent loqui. » Cf. Vechneri Hellenolex. I, 2, 6, 5 et ibi interpp. Similiter *mea mihi* Truc. 663.

8. Vulg. *Alterum quadrimum* etc. Acidalius Divv. in Capt. c. 1: « Non dicam, *inquit*, a versu repudiari hic *alterum*, quod ille non sane respuit omnino (vid. nos ad Amph. prol. 74), nec quidquam aliud afferam causae, cur germanum non sit, nisi quia in Argumento non idem scriptum est eo versu: *Alium quadrimum fugiens servos vendidit.* Inde scilicet et hic *Alium* reponendum, quod *alterum* interpretandum. Quid hoc rationis? inquies. Nimium. Alibi supra (Divv. in Amph. c. 2) docui, periocharum versus ex ipsis comoediis plerumque petitos aut adumbratos indidem cer-

Eumque hinc profugiens vendidit in Alide
Huiusce patri. Iam hoc tenetis? — Optumum est. —
Negat hercle se ille in ultimis. Abscedito!
Si non, ubi sedeas, locus est, est, ubi ambules,
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum.
Vos, qui potestis vostra opi censerier,
Accipite reliqüom: alieno uti nil moror.
Fugitivos ille, ut dixeram ante, huius patri,
Domo quem profugiens dominum abstulerat, vendidit.
Hic postquam hunc emit, dedit eum huic gnato suo
Peculiarem, quia quasi una aetas erat.

te; quod hic quoque factum nemo ausus fuerit infieiari: manifestius enim est, quam ut negari possit. Quando igitur *alium* illic, idem hic, unde petitum, fuisse ratio vincit. Vt *alius* autem pro *altero*, sic *alter* contra pro *alio* interdum reperitur. Exempla illius in Plauto crebra (vid. Par. lexic. v. *Alter*), bina quidem in perioche hac ipsa; huius e Claudiano memini nunc unum; Paneg. 4 in Consul. Honor. *Altera Romanae longa rectoribus aulae Conditio.*» Ita vir sagacissimus, quem item vide, sis, ad Truc. 148. Hoc modo etiam Casinae argum. 2, *Alium* senex adlegat, *alium* filius; et Livius I, 25, de duobus Horatiis, *alius* super *alium* corruerunt. Ad quam faciem item Ba. 927 *aliis* pro κακομέτρῳ, quod ibi vulgatur, *alteris* reposui, et Epid. 241, *Ibi illa interrogavit alium* loco infictae, quae adhuc obtinuit, lectioni, *Ibi i. i. illam.* Contra in loco quodam Ennii *alteris* vulgato *aliis* substituendum est: vid. nos ad Casinam 549.

11. Vulg. inconcinne quidem, *Negat hercle ille ultimus. Acced.* Argent. peius etiam et pro arbitrio editoris, *Sed negat h. se illic ult.* etc.; Reizius *mehercle* pro *hercle*, quod parum proficit; Bentleius ad Terent. Heaut. prol. 32, *discedito*, non male, sed scriptura a librorum longius recedente. Dixerit aliquis, τὸ *mus* in *ultimus* produci vi pausae, quae sequitur; sed eiusmodi licentiam per totum Plautum Terentiumque adeo nusquam inveni.

15. Vulg. pravo numero, *V., q. p. ope vestra c. Opi*, sicut alibi apud Hunc *carni*, *Carthagini*, *luci*, *morti*, *parti*, *sorti* (vid. Cas. prol. 71, quamquam hic prologus non est a Plauto scriptus, sed Plauto non indignus tamen), Amph. 10, Capt. 847, Cas. 312, Men. 381, Mil. 704, item *fontei* in prisca tabula Genuate apud Lips. de rect. pronunc. L. L. c. 8 in annotatt., *partei* et *portioni* in legis frument. fragmento, illustrato a Conrado Parergon p. 368. Vid. Schneider ad Caton. 136, nosque infra ad Capt. 739.

16. Vulg. numeris non ferendis, *Accipite reliquom: alieno uti nihil moror.* Vid. ad Ba. 1155.

Hic nunc domi servit suo patri, nec scit pater.
Enimvero dî nos quasi pilas homines habent.
Rationem habetis, quomodo unum amiserit.
Posteaquam belligerant Aetoli cum Aliis,
Vti fit in bello, alter capitur filius;
Medicus Menarchus emit ibidem in Alide.
Coepit captivos conmercari hic Alios,
Si quem reperire posset, qui mutet suom
Illunc captivom; hunc suom esse nescit, qui domi est.
Et quoniam heri indaudivit, de summo loco
Summoque genere captum esse equitem Alium,
Nil pretio parsit, filio dum parceret:
Reconciliare ut facilius posset domum,
Emit hosce de praeda ambo de quaestoribus.
Hice autem inter sese hunc confinxerunt dolum,
Quo pacto hinc servos servom herum amittat domum:
Itaque inter se conmutant vestem et nomina:
Illic vocatur Philocrates, hic Tyndarus:
Huius illic, hic illius, fert imaginem.

24. Vulg. item pravis numeris, *Postquam bell.* etc. *Postquam* verbi glossema rarioris.

28. Vulg. *S. q. r. p. cum quo m. s.* Sequor Pal. 3 et Acidal. Cf. Capt. 33, 103, et lexica.

30. *Indaudivit*, h. e. *inaudivit.* Sic MSS. Langg., probantibus I. Gulielmio Quaestt. in Capt. c. 1, Dousa, Grutero. Male vulgo, *inde audivit* Vid. ad. Amph. prol. 149.

31. Obsecutus Palatinis 1, 2 et libro Monachiensi, quem contuli, *militem* dederam pro vulgato *equitem*, quod versui minus convenire mihi videbatur, omiseramque τὸ *esse* exemplo veterum aliquot editionum, in his Sarraceniae anni 1499. Nunc *militem* τῷ *equitem* interpretationis causa adscriptum puto ex more aevo medio latine loquentium, quibus pro *equite* dicebatur, reponoque absque mutatione: *Summoque genere captum esse equitem Alium.* Vel *captum* vel *equitem* non liquescit: vid. ad Amph. 341.

34. *ambo*) Sic H, M, ut alias legi notatum erat in Pal. 1.

36. Vulg. *Quo pacto hic servus suum herum hinc am. d.* Pal. et M, *Q. p. is servus* etc.; V. C. initio, *Q. p. his servos.* Sed M non *suum*, sed *seuum* et superscriptum, *in habitu servi*, ut lepide *herus* vocetur servus, quia nunc peregri serviebat. Forte autem exaratum, *Quo hinc pacto* pro eo, quod excudi iusseram, *Quo pacto hinc.* Tò *hic* e glossa puto irrepsisse.

39. Vulg. inconcinne, *Huius illic*,

Et hic hodie docte expediet hanc fallaciam,
Et herum suom faciet libertatis conpotem,
Eodemque pacto fratrem servabit suom,
Reducemque faciet liberum in patriam ad patrem.
Inprudens, itidem ut saepe iam in multis locis
Plus insciens quis fecit, quam prudens, boni.
Sed inscientes sua sibi fallacia
Ita conpararunt et confinxerunt dolum:
Itaque hi conmenti de sua sententia,
Vt in servitute hic ad suom maneat patrem.
Ita nunc ignorans suo sibi servit patri.
Homunculi quanti sunt, quom recogito!
Haec res agetur nobis, vobis, fabulae.
Sed etiam est, paucis vos quod monitos voluerim.
Profecto expediet, fabulae huic operam dare:
Non pertractate facta est, neque item ut ceterae:
Neque spurcidici insunt versus inmemorabiles;
Hic neque periurus lenus est, nec meretrix mala,
Neque miles gloriosus. Neu vereamini,

hic illius hodie fert imaginem. Putide quoque, quum sequente versu vox *hodie* recurrat.

44. *itidemque*) Ita V. C., sed Pall. et nostri, *itidem*, quod probo, nec vulgatum *iam* post *saepe* nunc damnaverim propterea, quod desiderabatur in Langianis; sed τῷ *itidemque* in ordinem recepto servari non poterat. Legendum, *Inprudens, itidem ut saepe iam in m. l. P. i. q. f. q. p. boni. Sed* etc.

46. Verbum *itidemque* huc pertinere ratus, vulgatum *Sed* in *Sic* mutaveram. Sed nihil opus. Vid. ad Amph. 938. Codex G, *Sed hi inscientes.*

51. *recogito*) Nostri, sicut olim Pal. 6, qui istorum codicum recentissimus, et MS. Barth., *rem cogito;* sed bene habet vulgata. Vid. Gronov. ad h. l.

52. Insulse libri, *fabula. Res fabulae* nihil aliud sonat quam *fabulam*, quomodo Amph. 474 legitur *res voluptatum*, Stich. 8 *re virum*, Truc. 117 *rem amoris*, et apud Phaedrum fab. 4, 7, *res cibi.* Vid. Par. lexici Mantissa v. *Periphrasis*, Vechneri Hellenolex. ed. Heusinger. p. 524 ibique inttpp. *Nobis*, a nobis auctoribus.

58. *Neu* Gulielmius Quaestt. in Capt. c. 1, quo bene membra coniunguntur orationis: nam neque lascivias personasque odiosas exspectandas esse ait in hac fabula, neque timenda esse bella Aetolorum cum Aliis. Vulgo, *Ne.*

Quia bellum dixi Aetolis esse cum Aliis:
Foris illic extra scenam fient proelia:
Nam hoc pene iniquom est Comico choragio,
De subito conari agere nos tragoediam.
Proin, si quis pugnam exspectat, litis contrahat:
Valentiorem nactus advorsarium
Si erit, ego faciam, ut pugnam inspectet non bonam:
Adeo ut spectare postea omnis oderit.
Abeo. Valete, iudices iustissumi
Domi, bellique duellatores optumi!

ERGASILVS

Iuventus nomen indidit scorto mihi i. s. I, 1
Eo, quia invocatus soleo esse in convivium.
Scio, absurde dictum hoc derisores dicere;
At ego aio, recte: nam sibi in convivio
Amator, talos quom iacit, scortum invocat:
Estne invocatum, an non? Est planissume.
Verum hercle vero nos parasiti planius,
Quos nunquam quisquam neque vocat neque invocat;
Quasi mures semper edimus alienum cibum.
Vbi res prolatae sunt, quom rus homines eunt,
Simul prolatae res sunt nostris dentibus.

68. *bellique*) H. e. in bello. Cf. Truc. 448, Parei lexic. Plaut. v. *Domi bellique.*

V. 2, *esse in convivium*) Ita Langg., quomodo alibi dicitur *in mentem esse, in lustra iacere, in aleam ludere, in caveam ferre, in amorem haerere:* vid. ad Amph. 545. Sed propter ambiguitatem, quae inest τῷ *esse*, si vulgatum *convivio* retineatur, iam hoc non mutarim.

4. *At ego aio, recte*) Cf. infra 631.

6. *Estne invocatum, annon est?*) Vulg. *Estne invocatum, an non? Est pl.*, quod tuearis non eliso verbo *invocatum*. Vid. ad Amph. 341. Sed satis est probabile, alterum *est* alteri offecisse, sicut passim similia similibus.

Quasi cum caletur, cochleae in occulto latent,
Suo sibi succo vivont, ros si non cadit:
Item parasiti rebus prolatis latent
In occulto, miseri victitant succo suo,
Dum ruri rurant homines, quos ligurriant.
Prolatis rebus parasiti invenatici
Sumus; quando rure redierunt, molossici
Odiosicique et multum incommodistici.
Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus, frangique aulas in caput,
Vel extra portam Trigeminam ad Saccum ilicet.
Quod mihi ne eveniat, nonnullum est periculum:
Nam postquam meus rex est potitus hostium
(Ita nunc belligerant Aetoli cum Aliis:
Nam Aetolia haec est: illi est captus in Alide
Philopolemus huius Hegionis filius
Senis, qui hic habitat; quae aedes lamentariae
Mihi sunt, quas quotienscunque conspicio, fleo):
Nunc hic occoepit quaestum hunc filî gratia
Inhonestum et maxume alienum ingenio suo:
Homines captivos conmercatur, si queat
Aliquem invenire, suom qui mutet filium.

17. Inepte libri, *venatici*, quasi scilicet venatici canes opponi possint molossicis, qui item apti ad venationem, ut in vulgus notum est. Facile intercepta praepositio ab *i* litera praecedente. Neque obstat, quod alibi non legitur *invenaticus*, siquidem multa eiusmodi Hic finxit ἀναλόγως, velut statim *Odiosicus* et *Incommodisticus*, et *stimuleus* Mil. 510, et *ferentaneum* Trin. 423.

22. Vulg. *Vel ire extra portam trigeminam ad saccum* (vel *sacculum*) *licet*; quod ferri posset ea conditione, ut *Vel* particula liquesceret, sicut interdum fieri docuimus ad Amph. prol. 74, nisi longe verosimilius esset, elegans *ilicet* interpretamento suo concessisse. Cf. 399.

25. *Ita* posteriore syllaba porrecta: vid. ad Amph. 475.

33. Vulg. inconcinne, *suum quivum mutet filium*. Sequor editionem Argentinensem, quacum sentiunt Acidalius Divv. p. 89, Scioppius Susp. Lectt. 5, 11. Mira autem traiectione post hunc versum libri statim exhibent scenae duos postremos, contraque illa *Quod ego nimis* etc. — *moratus moribus* 57 inter et 58 incul-

Quod ego quidem nimis quam cupio ut inpetret:
Nam ni illum recipit, nihil est, quo me recipiam:
Nulla iuventutis spes est: sese omnes amant.
Ille demum antiquis est adulescens moribus,
Quoius nunquam voltum tranquillavi gratiis.
Condignis pater eius est moratus moribus:
Nunc ad eum pergam. Sed aperitur ostium,
Vnde saturitate saepe ego exivi ebrius.

HEGIO. LORARIVS. ERGASILVS.

HEGIO

Advorte animum, sis, tu. Istos captivos duos, i. s. I, 2
Heri quos de praeda emi de quaestoribus,
His indito catenas singularias;
Istas maiores, quibus sunt vincti, demito.
Sinito ambulare, si foris, si intus volent;
Sed uti adserventur magna diligentia.
Liber captivos avis ferae consimilis est:
Semel fugiendi si data est occasio,
Satis est; postilla nunquam possis prendere.

LORARIVS

Omnes profecto liberi lubentius
Sumus, quam servimus.

HEGIO

Non videre ita tu quidem.

cant, itidem vitium animadvertente Acidalio.

39. Libri, *Condigne est p. e. m. moribus*, quae est arena sine calce.

41. *exivi*) Ita nostri G et M, quod versui convenientius quam vulgatum *exii*: vid. ad Amph. 555.

42. G, *duo*.

43. Vulg. minus modulato versu, *Here quos emi de praeda de quaestoribus*. *Heri* V. C. Pall. G et vv. edd.

47. G, *observentur*.

50. *postilla*) Sic G et edd. nonnullae vv., in his Iunt.: V. C. iunctim, *postillā*; in Pal. 6 *m* litera expuncta fuit. Vulgus librorum, *post*

LORARIVS

Si non est, quod dem, mene vis dem ipse in pedes?

HEGIO

Si dederis, erit extemplo mihi, quod dem tibi.

LORARIVS

Avis me ferae consimilem faciam, ut praedicas.

HEGIO

Ita ut dicis: nam si faxis, te in caveam dabo.
Sed satis verborum est. Cura, quae iussi, atque abi.
Ego ibo ad fratrem ad alios captivos meos:
Visam, ne nocte hac quidpiam turbaverint;
Inde me continuo recipiam rursus domum.

ERGASILVS

Aegre est mi, hunc facere quaestum carcerarium
Propter sui gnati miseriam miserum senem;
Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest,
Vel carnificinam hunc facere possum perpeti.

HEGIO

Quis hic loquitur?

ERGASILVS

Ego, qui tuo moerore maceror,
Macesco, consenesco et tabesco, miser,

illam. Postilla et *Postidea* pro *Postea* passim Noster: vid. Par. lexic. hh. vv.

54. *erit extemplo mihi, quod dem tibi.* Malum.

56. *Ita ut dicis*) Formula vel honeste negandi, vel reticendi aliquid sine alterius iniuria, vel denique colloquium molestum nunc tepide approbandi, nunc finiendi cum gratia. Vide nos ad Curc. 605, item ad Terent. Eun. 229, et scriptoribus ibi laudatis adde Acidal. ad Ba. 6, interpp. ad Hesiodi Opp. et D. 643.

58. G., *E. i. a. f. atque ad a. c. m.*, ex interpretatione quidem et inconcinne; quamquam simile Grutero in mentem venit Suspice. VI, 5, ut legeretur, *E. i. a. f. ac al. c. m.* Duplex *ad* praepositio eum offendit, sed sic passim probi scriptores; vel Hic itidem infra 427, *redibo huc ad senem ad coenam asperam.*

60. Vulg. *rursum*, cumulatis vocibus *m* litera finitis, quod invenustum. Vide nos passim ad Terentium, item infra ad 303, Cas. 97, 449.

Ossa atque pellis sum miser a macritudine,
Neque unquam quidquam me iuvat, quod edo domi;
Foris aliquantillum etiam, quod gusto, id beat.

HEGIO

Ergasile, salve.

ERGASILVS

Dî te bene ament, Hegio.

HEGIO

Ne fle.

ERGASILVS

Egon' illum non fleam? ego non defleam
Talem adulescentem?

HEGIO

Semper sensi filio
Meo te esse amicum, et illum intellexi tibi.

ERGASILVS

Tum denique omnes nostra intellegimus bona,
Quom, quae in potestate habuimus, ea amisimus.
Ego, postquam gnatus tuos potitust hostium,
Expertus, quanti fuerit, nunc desidero.

HEGIO

Alienus quom eius incommodum tam aegre feras,
Quid me par facere patrem est, quoi ille est unicus?

ERGASILVS

Alienus ego? alienus illi? Ah, Hegio,
Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuom!
Tibi ille unicust; mi etiam unico magis unicus.

67. Forte *a* excidit ante verbum *macritudine*, siquidem et tunc probabam et nunc probo Langianorum, *O. a. p. s. miser a macritudine*, ut τὸ *a* causam indicet ut passim. Sarracen., *O a. p. ut miser m.*; vulg. *O. a p. s. misera m.*

71. Vulg. versu nihili, *egone non defleam T. a.?*

79. Eliditur *quoi*, vel cum sequente vocali coalescit, sicut itidem mox 89 et Trin. 1023.

80. Vulg. *ille*, minus ad propositum.

HEGIO

Laudo, malum quom amici tuom ducis malum.
Nunc habe bonum animum.

ERGASILVS

Eheu, heu, huic illud dolet,
Quia nunc remissus est edendi exercitus!

HEGIO

Nullumne interea nactus, qui possit tibi
Remissum, quem dixti, imperare exercitum?

ERGASILVS

Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,
Quoi obtigerat, postquam captust Philopolemus tuos.

HEGIO

Non pol mirandum est, fugitare hanc provinciam:
Multis et multigeneribus opus est ibi
Militibus. Primodum opus est Pistorensibus
(Eorum sunt aliquot genera Pistorensium);
Opus Paniceis est; opus Placentinis quoque;
Opus Turdetanis; opus est Ficedulensibus;
Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.

ERGASILVS

Vt summa saepe ingenia in occulto latent!

84. Vulg. — *animum.* Er. *eheu!* He. *huic illud dolet* etc.; verba autem *Nullumne — exercitum* in V. C. 3 Pall, nostris G H, Argent. et Mediol. Ergasilo adscribuntur, unde certe colligi poterat, personas ibi esse alternandas. Nam quod ista, *huic illud dolet — exercitus* Hegioni tribuuntur, pessimo fit exemplo, quum statim senex, id dixisse Ergasilum, affirmet. *Huic*, h. e. mihi, quod passim valet *Hic* pronomen: cf. infra 98, 265, 371, Mil. 310, Poen. 1113, 1127, Pseud. 1313. Similia sunt *hoc caput* Pseud. 725, *hic homo* Ba. 607, *meum caput* Capt. 880. Graecorum haec imitatione omnia: vid. L. Holibii Lectt. Aristoph. p. 49.

89 (*Quem attigerat*) MSS. et vv. edd., *Quoi obtigerat*, bene, ut τὸ *Quoi* liquescat: vid. supra ad 79.

92. *Primodum*) Ita 3 Pal. et codex Meursii, quod suavius ad aures accidit quam vulgatum *Primumdum*, passimque a me pro hoc positum. Vid. supra ad 60.

92 sq. *Pistorensibus — Pistorensium*) Sic fere libri vv., non, ut v.,

Hic qualis imperator nunc privatus est!

HEGIO

Habe modo bonum animum: nam illum confido domum
In his diebus me reconciliassere:
Nam eccum captivum hic adulescentem Alium,
Prognatum genere summo et summis divitiis:
Hoc illum me mutare confido fore.

ERGASILVS

Ita dî deaeque faxint!

HEGIO

Sed num quo foras
Vocatus es ad coenam?

ERGASILVS

Nusquam, quod sciam.
Sed quid tu id quaeris?

HEGIO

Quia mi est natalis dies:
Propterea te vocarier ad coenam volo...

ERGASILVS

Facete dictum!

HEGIO

Sed si pauxillum potes
Contentus esse.

ERGASILVS

Nae perpauxillum modo:
Nam istoc me adsiduo victu delecto domi.

Pistoriensibus, *Pistoriensium*, durius extrita horum verborum *i* litera media.

101. *hic captivom*) Malim cum Palatinis, *captivum hic*, ne frequentius veniant vocabula non elidenda. Vid. ad Amph. 341.

102. *divitiis* extrita *v* litera pronuntiandum: vid. ad Amph. prol. 90

105. Vulg. non sine iniuria versus abest *es*, quod praebent Pal. 3 et 1 a m. 2. Producitur more veteri: vid. ad Amph. 863. Frustra Iunt. Ald., *Nusquam pol*, *quod sciam*; Cam. et Pareus, *N. equidem q. s.*

107. Facete dictum. Non magis facete dictum est, quod dixit Hegio, quam bene atque amice, quod Epignomus Stich. 447; sed sic solent parasiti.

110. Post hunc versum v. sic legitur: He. *Age sis roga.* Er. *emin' tu?*

Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.

HEGIO

Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.
Age sis roga.

ERGASILVS

Emin' tu?

HEGIO

Nisi qui meliorem adferet
Quae mi atque amicis placeat conditio magis.
Sed si venturus, tempore.

ERGASILVS

Malis iam otium est.

HE. *nisi qui meliorem afferet.* (Notam HE. utrobique omisit H. Pro *emin' tu* plerique libri, *emtum*) ER. *Quae mihi atque amicis placeat conditio magis?* (Nota personae abest MSS.) *Quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.* HE. *Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.* (H: PA. *Pr. v. egio tu q. h. f. m.* Illud *egio* comparet etiam in M.) In his primum ratio non apparet, cur rogare iubeat parasitum Hegio, ubi mentio nondum facta est venditionis: nam hanc agi, ex parasiti responsione *emin' tu?* intelligitur. Deinde verba *Quae mihi atque amicis placeat conditio magis* eiusdem personae esse, cuius proxime praecedentia illa *Nisi qui meliorem adferet*, dudum est quum animadverterunt Palmerius et Acidalius, quorum hic bene monet de additiuncula solita in emtionibus, *nisi quidem alius conditionem attulerit meliorem.* Recte igitur fecisse videor, quum versus *Quasi* et *Profundum* praeposui duobus illis, quos vulgo excipiunt, quumque notam personae post *adferet*, scriptis quoque obsecutus, delevi. Sed erravi, quum verba *Age, sis, roga* duobus personis divisi, quae procul dubio Hegionis sunt omnia, rogare iubentis parasitum ex formula venditionum, an emere se velit senex. *Profundum* significare ventrem, ex Capro annotavit Palmerius; qui comparat, pariter atque Acidalius, Stichi 207 sqq.

115. Vulg. — ER. *hem! vel iam otium est.* Et sic quidem V. C.; sed caeteri libri, tam scripti quam impressi, *em lis i. o.* (P. 1, *octium*) e., *emulis* (vel *aemulis*) *i. o. e.*, *hem mihi iam o. e.*, unde coniicias, fraudem hic subesse, lectionemque veteris codicis Camer. a correctore, non malo illo quidem, sed quam par erat audaciore, profectam esse. Iam nescio cuius apud Turnebum in Adversariis emendatio haec, *hem mulis iam otium est*, ut de se tanquam mulione loquatur parasitus, aliquid affectati habet caretque aliorum proborum scriptorum testimoniis. Longe melius, meo quidem animo, Gruterus Suspp. 6, 5, *hem malis iam otium est;* quem secutus sum, nisi quod, e vel *em* vel *hem* illud ex praecedente vel litera verbi *tempori* seu *tempore*, vel nota

HEGIO

I modo, venare leporem; nunc erim tenes:
Nam meus scruposam victus conmetat viam.

ERGASILVS

Nunquam istoc vinces me, Hegio: ne postules;
Cum calceatis dentibus veniam tamen.

HEGIO

Asper meus victus sane est.

ERGASILVS

Sentisne esitas?

HEGIO

Terrestris coena est...

ERGASILVS

Sus terrestris bestia est.

HEGIO

Multis oleribus.

ERGASILVS

Curato aegrotos domi.
Numquid vis?

HEGIO

Venias tempori.

ERGASILVS

Memorem mones.

HEGIO

Ibo intro, atque intus subducam ratiunculam,
Quantillum argenti mi ad trapezitam siet.
Ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.

personae *e.* sive *he.* ortum ratus, omisso illo dedi: *Malis iam otium est.* Vid. ad Asin. 24.

117. *commetat*) Ita bona pars codicum, quod versum iuvat: vid. ad Amph. 355. Vulg. *commeat.*

125. Vulg. duriore numero, *Q. a. mihi apud t. s.*

LORARII. PHILOCRATES. TYNDARVS.

LORARIVS

Dî immortales si id voluerunt, vos hanc aerumnam exsequi, t. t. c. II, 1
Decet id pati animo aequo. Si id facietis, erit levior labos.
Domi fuistis, credo, liberi; herili nunc imperio servitus i. t.
Si evenit, ei vos morigerari mos bonust, i. s.
Eamque ingeniis vostris lenem reddere.
Indigna digna habenda sunt, herus quae facit.

PHILOCRATES

Oh, oh, oh!

LORARIVS

Eiulatione haud est opus.
Multam oculis multam iniuriarum edicitis.
In re mala animo si bono utare, adiuvat.

TYNDARVS

At nos pudet, quia cum catenis sumus.

LORARIVS

At pigeat postea i. t.

129 sqq. libri: *Domi fuistis, credo, liberi: Nunc servitus si evenit, ei vos morigerari mos bonust, Eamque herili imperio ingeniis vestris lenem reddere.* Vbi in verbis *herili imperio* vel explicandis vel emendandis multum et frustra sudant interpretes, quum non vident transposita esse et inculcanda post vocabulum *liberi*, ut *herili imperio servitus* dicatur, quomodo *Opulento homini servitus* Amph. 12 passimque alia huiusmodi, de quibus vid. Vechnerus Hellenolex. pp. 264, 295 sq. Nam transpositione versuum non paucos poëtae locos laborare, iam supra monuimus ad Asin. 18 sqq.

134. Vulg. *oculis multam miseriam additis.* Libri, *multa oculis multa mira editis* (vel *mira dicis*, *mira eudis*, *mira euditis*), *multa oculis multa misera editis* vel *euditis.* Ex quibus nondum vidi qui aliquid probabile eliceret, itaque ipse periculum feci emendandi, ut captivi illi multam iniuriarum, quas iam patiuntur, h. e. servitutis, suis ipsorum oculis edicere, seque, non hostes suos, ulcisci dicantur, operam perdentes.

136. *quia* pro *quod*, sicut Mil. 1195,

Herum nostrum, si vos eximat vinclis, quos argento emerit.

TYNDARVS

Quid a nobis metuit? Scimus nos, nostrum as. ex b. d.
Officium quod est, si sinat solutos. et i. h.

LORARIVS

At fugam fingitis! sentio, quam rem agitis.

TYNDARVS

Nos fugiamus? quo fugiamus?

LORARIVS

In patriam.

TYNDARVS

Apage! haud nos id deceat, t. t.
Fugitivos imitari.

LORARIVS

Imo edepol, si erit occasio, haud dehortor.

TYNDARVS

Vnum exorare vos sinite nos.

LORARIVS

Quidnam id est? c. t.

TYNDARVS

Vt sine hisce arbitris atque vobis locum
Detis nobis loquendi. c. d. h.

LORARIVS.

Fiat. Abscedite hinc! nos concedamus huc! c. t.

Stich. 482 et passim. V. C. *cum catenatis*, quam correctionem eius puto, qui similium multorum non meminisset, qualia sunt, quae laudant Pareus lexic. Plaut. v. *Cum*, Vechner. Hellenolex. ed. Heusing. p. 182 sq. quibus adde Ba. 363, Capt. 734, Most. 242, Rud. 166, Stich. 337, 616.

137. Perperam libri, glossemate e sequentibus petito, *si vos eximat vinculis, aut solutos sinat, quos a. e.*, quae falsa esse vel metrum arguit.

140. Asynarton ex c. d. et l. d. br. sive ithyphallico. Metrum recurrit Cas. 59, Pseud. 1244 sq., Truc. 87 sq.

144. *hisce*) Sic MSS. et vv. edd. prisce. Vulg. *his*.

145. Clausula. Vid. ad Amph. 81.

Sed brevem orationem incipesse. c. tr. h.

TYNDARVS

Hem, istuc mihi certum erat. — Concede huc.

LORARIVS

Abite ab istis. as. ex 2 anacr.

PHILOCRATES

Obnoxii ambo vobis sumus propter hanc rem, quom, quam
Volumus nos copiam esse, ea facitis nos conpotes. gall.
Secede huc nunc iam, si videtur, procul; c. t.
Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant,
Neve permanet palam haec nostra fallacia:
Nam doli non doli sunt, nisi astu colas,
Sed malum maxumum, si id palam provenit.
Nam si herus mi es tu, atque ego me tuom esse servom adsimulo, i. tr. h.
Tam viso opus, cauto opus, ut hoc sobrie, adcurate
Sineque arbitris agatur docte et diligenter.
Tanta inceptu res est. Haud somniculose hoc
Agendum est.

TYNDARVS

Ero, ut me voles esse.

PHILOCRATES

Spero.

TYNDARVS

Nam tu nunc vides, pro tuo caro capite,

148. Vide de hoc versuum genere asynartetorum ad Amph. scen. supposit. *Di vostram* 16—18.

149. *quam* aliqui Lang., recte; v. *quae*.

150. Vulg. mendose, *copia est, ea* ec.

153. Pes creticus, qualis est *Neu perma* — non dedecet poëtam latinum: cf. Amph. 64 sq. 76, 79, 84 sq., 88 sqq. etc.

157. Vulg. impedito metro, *Tamen viso opust, cauto est opus, ut hoc sobrie sineque arbitris Accurate hoc agatur docte et d.* Prius *hoc* abest quibusdam libris, in his nostris G H, item edit. Argent., posterius omisit G. Hermannus in libro De Metris, ubi hunc locum tangit; quem hac ex parte sequor.

Carum offerre meum me caput vilitati.

PHILOCRATES

Scio.

TYNDARVS

At memento scire, quando id, quod voles, habebis: i. t. c.
Nam fere maxuma pars homines habent
Morem hunc: quod sibi volunt, dum id impetrant,
Sunt boni; sed id ubi iam penes se habent,
Ex bonis pessumi et fraudulentissumi c. t.
Fiunt. Nunc, ut mihi te volo, esse autumo.

TYNDARVS

Quod tibi suadeo, suadeam meo patri.

PHILOCRATES

Pol ego te, si audeam, meum patrem nominem:
Nam secundum patrem tu es pater proxumus.

TYNDARVS

Audio.

PHILOCRATES

Et propterea saepius, uti memineris, te moneo, t. t.
Non ego herus tibi, sed servos sum. Nunc obsecro te hoc unum:
Quoniam nobis dì inmortales animum ostenderunt suom, t. t. c.
Vt qui herum me tibi fuisse, atque esse conservom, velint;

164 sqq. Asynartetos illos, ex c. d et t. h. compositos, agnoscere mihi h. l. videor, de quibus dictum ad Amph. scen. supposit. *Di vostram* 15 — 29. Licentia asynartetorum fit, ut verbi *maxuma* syllaba extrema, quae brevis est, longam valeat h. l.

165. *Morem* non liquescit: vid. ad Amph. 341.

166. Libri inconcinne, *sese.*

168. Vulg. pro *fiunt* legitur *sunt*, quomodo haud scio an nemo unquam veterum locutus sit. Similes f et ſ literae. Vulg. quoque, invitis MSS. vv. edd. et metro, — *Volo esse*, *esse autumo.*

174. Vulg. inconcinne, *atque esse nunc cons. vel.*

Quae antehac pro iure imperitabam meo, nunc te oro per precem,
Per fortunam incertam et per mei te erga bonitatem patris,
Perque servitium commune, quod hostica evenit manu,
Ne me secus honore honestes, quam quom servibas mihi;
Atque, qui fueris et qui nunc sis, meminisse ut memineris.

TYNDARVS

Scio quidem, me te esse nunc, et te esse me.

PHILOCRATES

Hem, istuc si potes
Memoriter meminisse, inest spes nobis huic astutiae.

HEGIO. PHILOCRATES. TYNDARVS.

HEGIO

Iam ego revortar intro, si ex his, quae volo, exquisivero. t. t. c. II, 2
Vbi sunt isti, quos ante aedis iussi huc produci foras?

PHILOCRATES

Edepol tibi ne quaestioni essemus, cautum intellego:
Ita vinclis custodiisque circummoeniti sumus.

HEGIO

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, quom etiam cavet:
Etiam qui cavisse ratus est, saepe is cautor captus est.

177. Vulg. itidem ἀμίτρως, *Perque conservitium.*

178. Absurde editores et nolentibus plerisque scriptis, etiam nostris G et M, — *honestes, quam ego te, cum serv. mihi.* Fraus ista inprimis Langg., *quam ego tecum* exhibentium.

179. Vulg. putide, *Atque ut qui f. e. q. n. s. mem. ut mem.*

181. Libri metro nullo, — *nobis in hac astutia.*

187. *Etiam qui cavisse* etc.) Vulgo soloece, *Etiam cum cavisse ratus est, saepe is cautor c. e. Saepius* pro *saepe*

An non vero iusta causa est, ut vos servem sedulo,
Quos tam grandi sim mercatus praesenti pecunia?

PHILOCRATES

Neque pol tibi nos, quia nos servas, aequom est vitio vortere;
Neque te nobis, si abeamus hinc, si fuat occasio.

HEGIO

Vt vos hic, itidem illi apud vos meus servatur filius.

PHILOCRATES

Captus est?

HEGIO

Ita.

PHILOCRATES

Non nos igitur soli ignavi fuvimus.

HEGIO

Secede huc: nam sunt, ex te quae solo scitari volo,
Quarum rerum te falsiloquom mi esse nolo.

PHILOCRATES

Non ero,
Quod sciam; si quid nescibo, id nescium tradam tibi.

TYNDARVS

Nunc senex est in tonstrina! Nunc iam *hic* cultros attinet!
Ne id quidem, involucrum iniicere, voluit, vestem ut ne inquinet.
Sed utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio; verum si frugi est, usque admutilabit probe.

HEGIO

Quid tu? servosne esse an liber mavelis? memora mihi.

is M. *Qui* cum compendio τοῦ *quom* facile fuerit permutatum.

192 sq. Minus concinne vulg. *illi — fuimus.*

196. Vulg. *nescivi*, confusione *b* et *v* literarum satis frequenti in codicibus. Vidit Acidalius. V. C. primitus, teste Pareo, *nescivo.*

198. Vulg. *involucre*, quae vox nihili. Dudum correxerat Turn. Adv. 28, 38.

PHILOCRATES

Proxumum quod sit bono, quodque a malo longissume,
Id volo; quamquam non multum fuit molesta servitus,
Nec mihi secus erat, quam si essem familiaris filius.

TYNDARVS

Eugepae, Thalem talento non emam Milesium:
Nam*que is* ad sapientiam huius nimius nugator fuit.
Vt facete orationem ad servitutem contulit!

HEGIO

Quo de genere natust illic Philocrates?

PHILOCRATES

Polyplusio,
Quod genus illi est unum pollens atque honoratissumum.

HEGIO

Quid hic ipsus? quo honore est illic?

PHILOCRATES

Summo, atque ab summis viris.

HEGIO

Tum igitur, ei quom in aliis tanta gratia est, ut praedicas,
Quid divitiae? suntne opimae?

PHILOCRATES

Vnde excoquat sevom senex.

202. Codd. 5 Gronovii, 3 nostri, *bonum*. Non male Gronovius legendum suspicatur, *Proxime quod sit bonum, quodque a malo longissume*, genere loquendi ab ipso in Observationibus et ad Livium illustrato.

205. Siculum haud dubie expressit in hac fabula poëta, itaque non Atticum talentum intellexit, verum Siculum, quod secundum Festum erat trium denarium, quum Atticum 6 milia denarium valeret. Vid. Bentleius Dissertat. de Epistoll. Phalarid. c. 14.

206. Vulg. imperfecto versu, *Nam ad sap.* etc. Argent., *Nam is ad sap.*

211. Vulg. *in Aleis*, impingente metro, nisi *e* literam in *Aleis* liquescere dicamus, quod duriusculum. Atqui codd. mei, item edd. Mediol. Argent. Iunt., *in aliis*, h. e. in aliis rebus, cum genere pollenti, tum honore summo et a summis; quod aptissimum. Similiter infra peccatur 477.

HEGIO

Quid pater? vivitne?

PHILOCRATES

Vivom, quom inde abimus, liquimus;
Nunc vivatne, nec ne, id Orcum scire oportet scilicet.

TYNDARVS

Salva res est: philosophatur quoque iam, non mendax modo est.

HEGIO

Quid erat ei nomen?

PHILOCRATES

Thesaurochryseonicocroesides.

HEGIO

Videlicet propter divitias inditum id nomen quasi est.

PHILOCRATES

Imo edepol propter avaritiam ipsius atque tenaciam.

213. Vulg. *abiimus*, minus ex antiqua consuetudine et accentu vitioso: vid. ad Amph. 503, 203. G, *abimus*.

215. *Salva res est*) Cf. Pseud. 976.

216. Vulg. *Thesaurochrysonicochrysides*, putida compositione, ut ad quam his adhibeatur ὁ χρυσός, et eo quidem sensu, ut aurum ab auro vinci dicatur; quod absurdum. V. C. initio, *T — chrusides*, M et Mediol., *T — crusides*. Vide etiam infra ad 554. Non inepte, ut opinor, nos, *Thesaurochryseonicocroesides*, h. est, aureo thesauro Croesum vincens. De regum Croesi, Midae, Darii, Philippi, Attali denique divitiis omnia in vulgus nota. Longe vel ineptiora vel a librorum scripturis remotiora aliorum commenta *Thesaurochrysonychochrysides*, *Thesaurocrypsonicochrysides*.

218. *atque tenaciam*) Ita codex membranaceus, quem inspexi, Guelferbytanus, quomodo legendum esse, quum vulgo exhibeatur *atque audaciam*, collato versu 219, pulcre vidit Acidalius. Hunc versum inter et sequentem vulgo talis inculcatur: *Nam ille quidem Theodoremedes fuit germano nomine*, quem a mala manu additum esse aio, delendumque, ut loco sua constet gratia. Quippe si hic audivit nomen Theodoromedis Hegio, cur infra 554 alterum tantummodo commemorat doceturque tanquam rem novam, Philocrati Theodoromedem fuisse patrem? Scilicet ex illo loco hic adscriptum a nescio quo glossatore: Theodoromedes fuit germano nomine; quae paulatim accrevere, dum versus existeret, ut solet fieri. Iam quoque ubi de tenacia illius mentio facta est, Hegio statim, ut convenit, *Quid tu ais? tenaxne pater est?* quum vulgo, immisso versu isto otioso, divellantur orationes.

HEGIO

Quid tu ais? tenaxne pater eius est?

PHILOCRATES

Imo edepol pertenax.
Quin etiam, ut mage noscas, Genio suo ubi quando sacruficat,
Ad rem divinam quibus opus est, Samiis vasis utitur,
Ne ipse Genius subripiat. Proinde, aliis ut credat, vide.

HEGIO

Sequere hac me igitur: eadem ego ex hoc, quae volo, exquaesivero.
Philocrates, hic fecit, hominem frugi ut facere oportuit:
Nam ego ex hoc, quo genere gnatus sis, scio: hic fassust mihi.
Haec tu si eadem confiteri vis, tuam in rem feceris,
Quae tam scito scire me ex hoc.

TYNDARVS

Fecit officium hic suom,
Quom tibi est confessus verum; quamquam volui sedulo
Meam nobilitatem occultare et genus et divitias meas.
Hegio, nunc, quando patriam et libertatem perdidi,
Non ego, istunc me potius quam te metuere, aequom censeo:
Vis hostilis cum istoc fecit meas opes aequabilis.
Memini, quom dicto haud audebat; facto nunc laedat licet.
Sed viden'? Fortuna humana fingit artatque, ut lubet:
Me, qui liber fueram, servom fecit, e summo infimum;

219. G prisce et ioco apertiore, *pertenax*, quod in ordinem recepi. Vide nos ad Amph. 28, 64 etc.

226. Vulg. soloece, *tua re feceris*. G, *tua in re f.*, unde feci, *tuam in rem f.* Ald. *tua ex re*, quod recepit Par.

227. Vulg. duriore numero, *quae tamen scito*. H, *tu*, quod fuit, opinor, *tã*, h. e. *tam*, pro *tamen*, sicut passim: vid. ad Ba. 1135 sq.

Qui imperare insueram, nunc alterius imperio obsequor;
Et quidem si proinde, ut ipse fui imperator familiae,
Habeam dominum, non verear, ne iniuste aut graviter
mi imperet. 238
Hegio, hoc te monitum, nisi forte ipse non vis, volueram.

HEGIO

Loquere audacter.

TYNDARVS

Tam ego fui ante liber, quam gnatus tuos;
Tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit manus;
Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te
servio.
Est profecto deus, qui, quae nos gerimus, auditque et videt;
Is, uti tu me hic habueris, proinde illum illi curaverit:
Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit.
Quam tu filium tuom, tam me meus pater desiderat.

HEGIO

Memini ego istaec. Sed fateriu' eadem, quae hic fassust
mihi? 247

TYNDARVS

Ego patri meo esse fateor summas divitias domi,
Meque summo genere gnatum; sed te obtestor, Hegio,
Ne tuom animum avariorem faxint divitiae meae:
Ne patri, tametsi unicus sum, decere videatur magis,
Saturum me servire apud te sumtu et vestitu tuo
Potius, quam illi, ubi minume honestum est, mendi-
cantem vivere. 253

HEGIO

Ego virtute deum et maiorum nostrum dives sum satis;

236. *insueram*) Ita V. C. 2 Pall. Langg. M et pleraeque vv. edd., sicut metri causa rescribi iussit Acidalius. G, — *imperio alienus obsequor.* An fuit hoc, *Q. imp. insueveram, nunc alieno imperio obsequor?*

247. *istaec*) Ita G M, quod elegantius vulgato *istoc.*

249. G, *Me quoque summo.*

254. Vid. Parei lexic. Plaut. v. *Virtute deum.*

Non ego omnino omne lucrum esse utile homini existumo.
Scio ego; multos luculentos lucrum iam homines reddidit;
Est etiam, ubi profecto damnum praestet facere, quam lucrum.
Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam.
Nunc animum huc advorte, ut ea, quae sentio, pariter scias.
Filius meus illi apud vos servit captus Alide;
Eum mihi si reddis, praeterea unum numum ne duis,
Et te et hunc amittam hinc: alio pacto abire non potes.

TYNDARVS

Optumum atque aequissumum oras, optumusque hominum es homo.
Sed privatam is servitutem servit illi, an publicam?

HEGIO

Privatam *is* medici Menarchi.

PHILOCRATES

Pol hic huius quidem est cliens.
Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit.

HEGIO

Facis, homo ut redimatur?

TYNDARVS

Faciam; sed te id orod, Hegio . . .

259. Vulg. *N. hoc an. advortito*, *ut* etc. Iunt. Ald. *huc*, eaedem et Mediol. et ex scriptis Pall., *advorte*, quod in metrum quadrat.

263. *es homo*) Ita Pall. G et vv. edd., τῷ *es* producto ante vocalem more prisco: vid. ad Amph. 863. Perperam vulgo secundum V. C., *homo es*.

265. *huius*) Vid. supra ad 84.

266. Vid. Erasmi Adagg. IV, 4, 61.

267. *Facis — te id oro, o H.*) Sic fere codd., quod mutatum arbitror a nesciente, praeseus pro futuro saepius usurpari, sicut monui ad Ba. 859. *Homo* vel *is homo*, sicut mox 271, passim personam describit, de qua locuti sumus. Vulg. quoque in-

HEGIO

Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.

TYNDARVS

Ausculta dum: scies.
Ego me amitti, donicum ille huc redierit, non postulo;
Verum te quaeso, aestumatum hunc mi ut des, quem mittam ad patrem,
Vt is homo redimatur illi.

HEGIO

Imo alium potius misero
Hinc, ubi erunt induciae, illuc, tuom qui conveniat patrem:
Qui tua, quae tu iusseris, mandata, ita ut vis, perferat.

TYNDARVS

At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris;
Hunc mitte: hic transactum reddet omne, si illuc venerit;
Nec fideliorem quemquam, nec quoi plus credat, potes
Mittere ad eum, nec qui mage sit servos ex sententia,
Neque adeo, quoi tuom concredat filium hodie audacius.
Ne vereare: meo periculo huius ego experiar vicem,
Ingenio eius fretus, quod me esse scit sese erga benevolum.

HEGIO

Mittam equidem istunc aestumatum tua fide, si vis.

TYNDARVS

Volo;
Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum volo.

concinne, *sed te id oro, Hegio.* Malim nunc, *Sed te id orod, Hegio*; vel, *S. t. id orabo, Hegio.*

273. *iusseris*) Ita MSS., etiam nostri H M et vv. edd.; G, *isseris.* Vulg. *miseris*, loquendi formula inusitata. Vulg. quoque, *ut velis*, duriore metro, quamquam explicabili: vid. ad Amph. prol. 74. *Vt vis*, sicut passim haec et similia, *Vt volo* etc., *Si vis*, *Vbi vis*. Cf. mox 28, Cas. 1 etc.

280. *quod med erga se scit*) Pall. et G, *sese.* Repone propius scriptu-

HEGIO

Num quae causa est, quin, si ille huc non redeat, viginti minas
Mihi des pro illoc?

TYNDARVS

Optuma imo.

HEGIO

Solvite istum nunc iam,
Atque utrumque.

TYNDARVS

Dî tibi omnes omnia optata adferant,
Quom me tanto honore honestas, quomque ex vinclis eximis!
Hoc quidem haud molestum est, iam quod collus collari caret.

HEGIO

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.
Nunc tu, illunc si illo es missurus, dic, demonstra, praecipe,
Quae ad patrem vis nuntiari. Vin' vocem huc ad te?

TYNDARVS

Volo.

ram veterem, *I. e. f.*, *quod me esse scit sese erga benevolum. Eius* monosyllabum: vid. ad Aul. 244.

284. *Optuma imo*) Vid. ad Aul. 259.

285. *optata*) Similiter Terentius Ad. 952: *Di tibi*, *Demea*, *omnia omnes semper optata offerant.*

287 sqq. Inconcinne libri, *collaria*, et mox, *dice.*

290. *Volo*) Ita G, quod minus imperiosum vulgato *Voca*, facileque cum eo potuit permutari. Cf. supra 281, infra 359 sq. 529, Cas. 159, Trin. 412, 456, Donat. ad Terent. Eun. IV, 7, 29.

HEGIO. PHILOCRATES. TYNDARVS.

HEGIO

Quae res bene vortat mihi meoque filio i. s. II, 3
Vobisque! Volt te novos herus operam dare
Tuo veteri domino, quod is velit, fideliter.
Nam ego te huic dedi aestumatum viginti minis;
Hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem,
Meum ut illi redimat filium: mutatio
Inter me atque illum ut nostris fiat filiis.

PHILOCRATES

Vtroquevorsum rectum est ingenium meum,
Ad ted atque illum; pro rota me uti licet:
Vel ego huc vel illuc vortar, quo imperabitis.

HEGIO

Tute tibi ea tuopte ingenio prodes plurimum,
Quom servitutem ita fers, ut ferri decet.
Sequere. — Hem tibi hominem!

TYNDARVS

Gratias habeo tibi,
Quom copiam istam mi et potestatem facis,
Vt ego ad parentes hinc remittam nuntium,
Qui me, quid rerum hic agitem et quid fieri velim,
Patri meo ordine omnem rem illuc perferat.
Nunc ita convenit inter me atque hunc, Tyndare,
Vt te aestumatum in Alidem mittam ad patrem:

293. *quod velit*) Vulg. *quod is velit*. Tò *is* salva sententia absit, sicut abest revera Argent. Iunt. Ald.; sed antiqua perissologia positum est, sicut passim, servaturque rectius τῷ *quod* eliso: vid. ad Amph. prol. 74.

299. *atque*) Sic libri. Vulgatum *adque* est a C. Rittershusio: vide Scioppii Suspp. Lectt. 5, 11. Addunt *ad* post *atque* edd. aliquot vv., in his Mediol. Argent. Iunt., idque ad marginem veteris codicis sui adscripsit Camerarius.

303. Vulg. *Gratiam*, minus expedito versu, cumulatisque vocibus *m* litera finitis: vid. supra ad 60.

Si non rebitas huc, ut viginti minas
Dem pro te.

PHILOCRATES

Recte convenisse sentio :
Nam pater expectat aut me, aut aliquem nuntium,
Qui hinc ad se veniat.

TYNDARVS

Ergo animum advortas volo,
Quae nuntiare hinc te volo in patriam ad patrem.

PHILOCRATES

Philocrates, ut adhuc locorum feci, faciam sedulo, t. t. c.
Vt potissumum, quod in rem recte conducat tuam,
Id petam, idque persequar corde et animo atque viribus.

TYNDARVS

Facis ita, ut te facere oportet. Nunc animum advortas volo.
Omnium primum salutem dicito matri et patri
Et cognatis, et si quem alium benevolentem videris :
Me hic valere, et servitutem servire huic homini optumo,
Qui me honore honestiorem semper fecit et facit . . .

PHILOCRATES

Istuc ne praecipias: facile memoria memini tamen.

TYNDARVS

Nam quidem, nisi quod custodem habeo, liberum me esse arbitror.
Dicito patri, quo pacto cum hoc mihi convenerit
De huius filio . . .

PHILOCRATES

Quae memini, mora mera est monerier.

311. *sentio*) G et H , *censeo*.

317. *corde atque animo*) Inconcinne libri vulgati, *I. p. id. persequarque corde et animo atque viribus.* Pal. 3, *persequar ;* V. C. caeteri Pall. Langg., *auribus* pro *viribus ;* Langg. etiam, *atque* pro *et*. *Idque* recte repositum a Camerario. Caeterum nunc vulgatam lectionem, quam dedi, praeferendam censeo.

323. *tamen*) Vid. ad Amphitruonem 38.

TYNDARVS

Vt eum redimat et remittat nostrûm huc amborum vicem.

PHILOCRATES

Meminero.

HEGIO

At quamprimum poterit, in rem utrique est maxume.

PHILOCRATES

Non tuom tu mage videre, quam ille suom gnatum cupit.

HEGIO

Meus mihi, suos quoique est carus.

PHILOCRATES

Numquid aliud vis patri
Nuntiari?

TYNDARVS

Me hic valere; et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili;
Neque te conmeruisse culpam, neque me advorsatum tibi;
Beneque hero gessisse morem in tantis aerumnis tamen;
Neque med umquam deseruisse te neque factis neque fide
Rebus in dubiis, egenis. Haec pater quando sciet,
Tyndare, ut fueris animatus erga suom gnatum atque se,
Nunquam erit tam avarus, quin te gratis emittat manu.

328. Vulg. inepte et versu nimio, *At qu. poteris, istuc in rem ut est m. Poterit, pater;* vel, *fieri poterit*, ut passim valet *posse*.

336. *Rebus in dubiis, egenis*) Asyndeton, qua figura Hic gaudet. Cf. Pers. 249 sq. Rud. 520 sq. 578; quomodo etiam Trin. 264 legendum esse vidi: *Meo modo moribus*, et ibidem paulo post, *imperiis, praeceptis*." Cf. infra 844 sq., 944 sq.

338. *Nunquam* per amplificationem oratoriam positum pro *Non*; quod ex interpretatione legitur in M. Male autem libri *gratus* pro *gratiis*, proclivi quidem lapsu; sed M, *gratis*. Potuit gratus esse erga Tyndarum Philocratis pater, neque tamen gratis eum manumittere. Hoc igitur indicandum erat, sicut ubique fere indicatur in re simili. Legerim autem nunc potius, quum vulgo libri exhi-

Et mea opera, si hinc rebito, faciam, ut faciat facilius:
Nam tua opera et comitate et virtute et sapientia
Fecisti, ut redire liceat ad parentes denuo,
Quom apud hunc confessus es et genus et divitias meas:
Quo pacto emisisti e vinclis tuom herum tua sapientia.

PHILOCRATES

Feci ego ita, ut commemoras, et, te meminisse id, gratum est mihi.
Merito tibi ea evenerunt a me: nam nunc, Philocrates,
Si ego item memorem, quae me erga multa fecisti bene,
Nox diem adimat: nam *ut* si servos mi esses, nihilo secius
Obsequiosus mihi fuisti semper.

HEGIO

Dî, vostram fidem,
Ingenium hominum liberale! ut lacrumas excutiunt mihi!
Videas, corde amare inter se: quantis suom herum laudibus
Servos conlaudavit!

PHILOCRATES

Pol med istic haud centesimam
Partem laudat, quam ipse meritus ut laudetur laudibus.

HEGIO

Ergo quom optume fecisti, nunc adest occasio
Benefacta cumulare: ut erga hunc rem geras fiedeliter.

PHILOCRATES

Mage non factum velle possum, quam opera experiar persequi.

beant *emittat: gratis emittat manu.*

339. *rebito*) Ita V. C. et M; vulgus codicum, *redibo.*

344. Vulg. claudicante versu, *F. e. ista, ut c.*

345. *M. illaec tibi ev.*) Perstandum in veteri lectione hac, *Merito tibi ea evenerunt.* τοῦ *tibi* longa h. l., sicut passim, *i* litera posterior non eliditur, sed sequente vocali corripitur, figura apud Hunc non infrequenti: vid. ad Amph. 341.

346. *me*) Sic fere MSS. et vv. edd., non *med*, ut vulgo, quod suffectum ab eo puto, qui nesciret, *si* monosyllabum sub ictu positum non liquescere: vid. ad Amphitruonem 149.

347. Vulg. ex interpretatione, *N. s. servus meus esses.*

Id ut scias, Iovem supremum testem do, et laudo, Hegio,
Me infidelem non futurum Philocrati...

HEGIO

Probus es homo.

PHILOCRATES

Nec me secus unquam ei facturum quidquam, quam memet mihi.

TYNDARVS

Istaec dicta te experiri et operis et factis volo;
Et quod minus dixi, quam volui, de te, animum advortas volo,
Atque horunc verborum causa cave tu mi iratus fuas;
Sed, te quaeso, cogitato, hinc mea fide mitti domum
Te aestumatum, et meam esse vitam hic pro te positam pignori:
Ne tu me ignorês, quom extemplo meo e conspectu abscesseris:
Quom me servom in servitute pro ted hic reliqueris;
Tuque te pro libero esse ducas; pignus deseras,
Neque des operam, pro me ut huius reducem facias filium.
Scito, te minis viginti hinc aestumatum mittier!
Fac fidelis sis fideli! cave fidem fluxam geras!
Nam pater, scio, faciet, quae illum facere oportet, omnia.
Serva in perpetuom tibi amicum me, atque hunc inventum inveni!
Haec per dexteram tuam, te dextera retinens manu,
Obsecro, infidelior mihi ne fuas, quam ego sum tibi!

360. Vulg. soloece, *quo minus.* Sequimur nos plerosque Pall. G H et vv. edd., in his Iunt.

361. Vulg. inconcinne, *caveto mihi*: G, *caveo*; Iunt. Ald. *cave mihi.*

364. *Ne tu me ignores*) Vid. ad Asin. 128. Nihil nunc mutem, sed pro *extemplo mi*, quod dederam, legerim secundum libros, *extemplo meo e c. a.*

371. *atque hunc inventum inveni*) H. e. atque me, quem tibi amicum iam olim invenisti, denuo inveni benefaciendo. Vid. supra ad 84. Male

Tu hoc age! tu mihi nunc herus es, tu patronus, tu pater:
Tibi commendo spes opesque meas.

PHILOCRATES

Mandavistin' satis?
Satin' habes, mandata quae sunt, facta si refero?

TYNDARVS

Satis.

PHILOCRATES

Et tua, et tua huc ornatus reveniam ex sententia.
Numquid aliud?

TYNDARVS

Vt, quamprimum possis, redeas.

PHILOCRATES

Res monet.

HEGIO

Sequere me: viaticum ut duim a trapezita tibi.
Eadem opera a praetore sumam syngraphum.

TYNDARVS

Quem syngraphum?

HEGIO

Quem hic ferat secum ad legionem, hinc ire huic ut liceat domum. —
Tu intro abi.

TYNDARVS

Bene ambulato.

PHILOCRATES

Bene vale.

HEGIO

Edepol rem meam

Pistoris filium intelligit Hegionis, de quo dudum est quum sermo fuit, ut eius vix et ne vix quidem meminerint auditores.

375. Vulg. minus concinne, *Mandavisti satis*. Langg. et H, *M. satis?* quos sequor.

379. Vulg. invitis codd., *ut dem hinc a t. t.* Metri sarciendi causa τὸ *hinc* additum.

381. G, *Q. hic referat*. Fortasse hoc fuit, *Q. hicce ferat*. Caeterum restitue veterem lectionem, *hinc ire huic ut liceat domum*. Abest τὸ *huic* a

Constabilivi, quom illos emi de praeda a quaestoribus!
Expedivi ex servitute filium, si dîs placet.
At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem, diu.
Servate istum, sultis, intus, servi, ne quoquam pedem
Ecferat sine custodela. Iam ego adparebo domi:
Ad fratrem *ego* modo captivos alios inviso meos;
Eadem percontabor, ecquis adulescentem noverit.
Sequere tu: te ut amittam, ei re primum praevorti volo.

ERGASILVS

Miser homo est, qui ipsus sibi, quod edit, quaerit, et id aegre invenit; t. t. c. III, 1
Sed ille est miserior, qui et aegre quaerit et nihil invenit;
Ille miserrumust, qui, quom cupit esse, quod edit, non habet.
Nam hercle ego huic die, si liceat, oculos ecfodiam lubens:
Ita malignitate oneravit omnis mortalis mihi;
Neque ieiuniosiorem, nec magis ecfertum fame,
Vidi, nec qui minus procedat, quidquid facere occeperis:

codice H, et abesse quidem salva sententia potest, sed nonnihil tamen ad perspicuitatem confert orationis, estque ex usu Plauti, *Hic* pronomen saepius inferentis.

385. G, *Atque etiam.*

387. *Mox adp. d.*) Vulg. versu nihili, *Efferat sine custode, ego apparebo domi.* Iunt. Ald. — *custode, at ego mox a. d.* Camerarius, quem sequitur Pareus, addidit *iam* ante *ego*, neque sic tamen metrum restituit. Hoc quidem assumto nunc legerim, τὸ *iā*, h. e. iam, ab antecedente *-la* syllaba interceptum ratus, *Ecferat sine custodela. Iam ego adparebo domi.* *Ecferat* prisce V. C.

389. Vulg. *ecquis hunc ad. n.*, invitis plerisque scriptis, in his Pall., tribus nostris, et vv. edd.

391. Vulg. minus suavi numero, *qui ipse sibi.*

397. Vulg. *occeperit*, ubi nescias, diem an aliquem hominem dicat pa-

Ita venter gutturque resident esuriales ferias.
Ilicet parasiticae arti maxumam in malam crucem:
Ita iuventus iam ridiculos inopes ab se segregat.
Nil morantur iam Laconas imi subsellî viros
Plagipatidas, quibus sunt verba sine penu et pecunia;
Eos requirunt, qui, lubenter quom ederint, reddant domi.
Ipsi obsonant, quae parasitorum ante erat provincia;
Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt,
Quam in tribu sontis aperto capite condemnant reos;
Neque ridiculos iam terunci faciunt; sese omnes amant.
Nam ut dudum hinc abivi, accessi ad adulescentes in foro;
Salvete, inquam. Quo imus nam, inquam, ad prandium? — Atque illi tacent. —
Quis ait «Huc,» aut quis profitetur? inquam. — Quasi muti silent,
Neque me rident. Vbi coenamus? inquam. Atque illice abnuont.
Dico unum ridiculum dictum dictis de melioribus,
Quibus solebam menstrualis epulas ante apiscier.
Nemo ridet. Scivi extemplo, rem de conpacto geri.
Ne canem quidem inritatam voluit quisquam imitarier.
Saltem, si non adriderent, dentis ut restringerent.
Abeo ab illis, postquam video, me sic ludificarier;
Pergo ad alios, venio ad alios, deinde ad alios: una res;
Omnes conpacto rem agunt, quasi in Velabro olearii.

rasitus: nam aliquis saepe intelligendum relinquitur, sicut monui ad Asin. 433.

398. Vulg. inconcinne, *Itaque venter*. Sequor Iunt. Ald.

400. Minus recte, ut opinor, vulgatae, *ridiculos inopesque*. Non enim omnes ridiculos isti ab se videntur segregasse, sed tantummodo ridiculos inopes, quales erant parasiti; et hoc merito queratur Ergasilus. Sed conf.

407. Aberat copula Langianis, probante Gulielmio Quaestt. in Capt. c. 3.

401. *imi subselli viros*) Cf. Stich. 465.

409. Vulg. ἀμέτρως, *Quo imus una, inquam*. In G τὸ *inquam* omissum est.

410. *Huc*) Bene sic Gulielm. Quaestt. in Capt. 3. Vulg. obscure, *Q. a, hoc a. q. p.?*

Nunc redeo inde, quoniam me ibi video ludificarier.
Item alii parasiti frustra obambulabant in foro.
Nunc barbarica lege certum est ius meum omne persequi:
Qui concilium iniere, qui nos victu et vita prohibeant,
His diem dicam: inrogabo multam, ut mihi coenas decem
Meo arbitratu dent, quom cara annona sit. Sic egero.
Nunc ibo ad portum hinc: est mi illic una spes coenatica;
Si ea decolabit, redibo huc ad senem ad coenam asperam.

HEGIO

Quid est suavius, quam bene rem gerere as. ex b. d. et t.
Bono publico, sicut ego feci
Heri, quom emi hosce homines? b. d. claus.
Vbi quisque vident, eunt obviam gratulanturque eam rem: as. ex 3 i. h.
Ita me miserum restitando retinendoque lassum reddiderunt. b. s.
Vix et gratulando miser iam eminebam; tandem abii ad pretorem;
Ibi vix requievi. b. d. claus
Rogo syngraphum; datur; eloco do Tyndaro; ille abiit domum. i. t.

427. Vulg. *decollabit*) Vid. Gronov. ad Liv. 27, c. 17.

430. Redit hoc metrum infra 722, ut ibi videbimus. Habes item Cas. 562, Most. 888 sq. Pseud. 1258 — 60. Syllaba longior versiculus est Cist. 418 cum clausula, item ex baccheo d. constante, sicut fieri solet in asynartetis, prius versuum genus, quibus continentur, pro clausula usurpantibus. Duabus syllabis longiores sunt Merc. 329 sq. Rud. 179 sq.

430. Vid. ad Amph. 474. *Reddiderunt* penultima brevi pronuntiandum est, ut metrum constet.

432. Vulg. — — — — *rogo syngraphum: Datur mihi: illico dedi Tyndaro. ille abiit domum.* Sed primum in H haec unius versus ambitu comprehenduntur, prout convenit

Postquam id actum, ad fratrem eo protinus, mei ubi sunt alii captivi; t. t.
Rogo, Philocratemne ex Alide ecquis omnium norit? t. t. c.

rationi totius loci metricae. Deinde G non habet *mihi*, quod versum impedit, et pro *dedi* H M et ed. vetus Mediol., quam adhibui, *de*, Argent., *do*, sicut ante, *datur*, sententia quidem vividiore, versu probiore.

433 sq. Vulg. *Inde illico revortor domum. postquam id actum est, eo: Protinus ad fratrem inde abii, mei ubi sunt alii captivi.* Acidalius Divv. p. 95: « Vetus, *inquit*, Coloniensis primum non *revortor* legit, sed *praevortor*, qua de voce nuper ad Curtium: hic quidem non peius, ac fortasse melius, si tamen illud totum *Inde illico revortor domum* bene legitur. Ego enim censeam pessime, nec putem a Plauto scriptum, nisi si, quod intendebat, violavit oeconomiae legem, et cum ipsi rei tum sibi pugnantia scripsit. Vide mecum et cogita. Credesne senem hunc, postquam syngraphum seu diploma impetrasset, ac Tyndarum simulatum amisisset, domum rediisse? Qua vero causa debuit? aut qua potuit modo? Quin a praetore statim ad fratrem iit, inde demum ad se revorsurus, ita uti nunc revortitur. Quod ita futurum quidem praedixerat etiam ad finem scenae, *Quae res bene vortat: — iam ego apparebo domi. Ad fratrem modo captivos alios inviso meos.* Tum enim ad praetorem cum Pseudotyndaro tendebat: quo expedito, ad fratrem abiit percontatum de adolescente altero, quem retinuerat: eo quoque facto, iam domum redit una cum Aristophonte, qui nosse Philocratem dixerat et voluerat conventum. An non igitur hoc mendacium, quod inseritur, *Inde illico revortor domum?* Iam alterum quoque vide. Ait, quum ad fratrem venisset, inde abiisse eo, ubi alii essent captivi sui. Vbi autem alios habuit praeterea captivos, nisi apud ipsum fratrem? Nusquam ullos. Sane quoties mentionem de aliis facit, eos apud fratrem asservari palam dicit. Loca plura sunt: pro pluribus hic sit unus scena *Advortite animum*: *Ego ibo ad fratrem, ad alios captivos meos, Visam, ne nocte hac quippiam turbaverint.* Quid? quod alio nusquam iisse convincitur ex iisdem, quae paulo ante attulimus ex scena *Quae res bene vortat:* in quibus testimonium item clarum de captivis apud ipsum fratrem in custodia detentis. Liquet ergo falsa et haec duo verba *inde abii*, quae a Plauto non scripta scio, uti superiora non credo. — Mireris a quo inserta haec tam absurda. Miror ego quoque: nisi quod ab aliquo esse suspicari licet, qui versibus, ut ipse censuit, imperfectis, ut res est, turbatis, fulcimentis eiusmodi voluerit subvenire ». — Haec ille praeclare, qui insuper monet, verba *inde abii* abesse a vetere ed. Coloniensi, quae neque exstant in Iunt. Ald., in vetustioribus autem libris leguntur, ut iampridem ista turbata esse intelligatur.

434. Vulg. inconcinne, *Philocratem ex A.* Male autem in omnibus editionibus vox *tandem* ad sententiam proximam refertur, quum ad hanc pertineat sitque instantis, sicut passim. Multum Hegionis intererat scire, ecquis aliorum suorum captivorum nosset Philocratem, non quo fucum sibi

Hic exclamat, eum sibi esse sodalem; dico, eum esse apud me;
Hic extemplo orat obsecratque, eum sibi ut liceat videre: i. t. c.
Iussi eloco hunc exsolvi. Nunc tu sequere me, uti, quod me oravisti, inpetres, eum hominem uti convenias. i. tr. h.

TYNDARVS

Nunc illud est, quom me fuisse, quam esse, nimio mavelim! i. t. III, 3
Nunc spes, opes auxiliaque a me segregant spernuntque se!
Hic ille est dies, quom nulla vitae meae salus sperabilist,
Neque exitium exitio est, neque adeo spes, quae hunc mi aspellat metum!
Nec sycophantiis, nec fucis, ullum mantellum obviam est;
Neque deprecatio perfidiis meis, nec malefactis fuga est;
Nec confidentiae usquam hospitium est, nec deverticulum dolis!
Operta quae fuere, aperta sunt! patent praestigiae!

factum suspicaretur, sed ut esset, quicum ille, quem iam carum habere coepit commodus senex, lubentius confabularetur quam cum ignotis. Nam quod tandem, nec statim, ubi Philocratis mentio facta fuerit, exclamasse volunt Aristophontem editores, nugantur.

435. Vulg., *Tandem hic exclamat.* Vid. not. praec.— Hic quoque versus i. t., sicut antecedens. *Eum esse,* non *esse eum*, ut vulgo, G, M.

436. Prius *i* in *sibi* eliditur: vid. ad Amph. prol. 74.

441. *dies* monosyllabum h. l. est: vid. ad Amph. prol. 74.

442 sq. Vulg. *Neque exilium exitio est.* Bene rursum Acidalius Divv. in Capt. c. 6: « Argulatur nescio quid Lambinus de exilii ratione ad illustrationem versus sic a se restituti: *Neque exilium exitio est, neque adeo spes, quae mihi hunc aspellat metum.* Affert Ciceronis locum, qui non vi-

Omnis res palam est, neque de hac re negotium est pol, quin ma- as. ex t. d. et i. d. c.
le occidam oppetamque pestem iam heri vicem meamque!
Perdidit me Aristophontes hic, qui modo intro venit:
Is me novit; is sodalis est Philocrati et cognatus;
Neque iam Salus servare, si volt, me potest, nec copia est, i. t.
Nisi si aliquam corde machinor astutiam. i. s.
Quam*quam*, malum, quid machiner? quid conminiscar? i. tr h.
Maxumas nugas ineptiasque incepisse! Haereo. — i. t. c.

HEGIO. TYNDARVS. ARISTOPHONTES. LORARIVS.

HEGIO

Quo illum nunc hominem proripuisse foras se dicam ex aedibus? i. t. III, 4.

TYNDARVS

Nunc enimvero occidi! eunt ad te hostes, Tyndare! i. s.

deo quid ad hunc Plauti facial: uti neque video, quae seulentia bona subsit huic ipsi, uisi leviter emendem et pro *exilium*, *exitium* reponam, ut sensus hic emergat, *exitium et interitum nulla ratione possum vitare vel effugere*. Id enim est *exire* interdum. Virgil. (Aen. V, 438): *Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.* Sic etiam e vet. codice Is. Pontanus ad Macrobii Sat. VI, 2. Et huc, nisi fallor, pertinet Festi glossa haec: «*Exitium* antiqui ponebant pro *exitu*; nunc *exitium* pessimum *exitum* dicimus.» Caeterum hunc versum inter et sequentem vulgo talis legitur: *Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis*, ταυτολεξία quidem glossatore digna, Plauto indigna.

448. *pestem iam*) Tolle τὸ *iam*: *pestem*, praesertim in commissura versus asynarteti, non liquescit. Vid. ad Amph. 341.

452. *Machinor* extremam syllabam producit: vid. ad Amph. prol. 38.

454. *incepisse*) Sic G, H et aliqui Langg.; V. quoque C. Camerarii et reliqui Langianorum, *incipisse*, non *incipisso*, sicut vulgo. *Incepisse* metro confirmatur.

456 sqq. Vulg. *N. e. ego occidi*, invitis G H, vv. edd., in his Mediol.

Quid loquar? quid fabulabor? quid negabo, aut quid fatebor? t. t.
Mihi in incerto sita res omnis est! quid rebus meis confidam? t. t.
Vtinam te dî prius perderent, quam periisti e patria tua,
Aristophontes, qui ex parata rem inparatam omnem facis!
Occisa est haec res, nisi reperio atrocem mi aliquam astutiam.

HEGIO

Sequere. Hem tibi hominem! adi atque adloquere.

TYNDARVS

Quis homo est me hominum miserior?

ARISTOPHONTES

Quid istuc est, quod meos te dicam fugitare oculos, Tyndare, t. t. c.
Proque ignoto me adspernari, quasi me nunquam noveris?
Equidem tam sum servos, quam tu, etsi ego domi liber fui,
Tu usque a puero servitutem servivisti in Alide.

HEGIO

Edepol miror minume, is si te fugitat aut oculos tuos,
Aut si te odit, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.

TYNDARVS

Hegio, hic homo rabiosus habitus est in Alide:
Ne tu, quod istic fabuletur, auris inmittas tuas:

Argent. et versu. Verba *Quid loquar?* quae vulgo hoc versu leguntur, MSS. et vv. edd. ad sequentem referunt, ut tanto affectu dignus existat versus t. t., qualis et proximus est. Iam veniunt iambi t. acat.

467. *miror minume*) Ita M, τῷ *minume* sub ictu posito. Idem et G, *is si te*. Vulg. *E. minime miror, si te f. a. o. t.*

470. *istic quod*) Potest ferri vulgata lectio *quod istic*, vocali litera *in*

Nam istic hastis insectatus est domi matrem et patrem
Et illic isti, qui insputatur, morbus interdum venit.
Proin' tu ab istoc procul recedas.

HEGIO

Vltro istum a me!

ARISTOPHONTES

Ain', verbero,
Me rabiosum? atque insectatum esse hastis meum memoras patrem,
Et eum morbum mi esse, ut qui med opus sit insputarier?

HEGIO

Ne verere: multos iste morbus homines macerat,
Quibus insputari saluti fuit, atque ibus profuit.

ARISTOPHONTES

Quid tu autem? etiam huic credis?

HEGIO

Quid ego credam huic?

ARISTOPHONTES

Insanum esse me.

TYNDARVS

Viden' tu hunc, quam inimico vollu intuitur? Concedi optumum est,
Hegio: fit, quod tibi dixi: gliscit rabies: cave tibi!

HEGIO

Credidi esse insanum extemplo, ubi te adpellavit Tyndarum.

quod elisa: vid. ad Amph. prol. 74.

472. Vulg. *qui sputatur*. Cf. 475, 477.

477. *Juvit atque iis*) Vulg. inepta sententia et inconcinne: — *fuit*. Tr. *atque Aliis profuit*. MSS. et vv. edd., *atque iis* (*ees*, *his*, *is*) *p*. Legendum sine controversia: — *fuit atque ibus profuit*. *Ibus* pro *Iis* haud semel Sarsinas: vid. Parei lexic. Plaut. h. v. Quomodo etiam *Hibus* pro *His* dixit Curc. 501, frustra carpente morem priscum Charisio Institutt. gramm. 1 ed. Putsch. p. 40.

478. *Quid tu autem? etiam* etc. Ita distinguendum, non, ut vulgo, sic: *Quid tu autem*, *etiam* etc. Vid. ad Aul. 138.

479. Inconcinne libri, *intuetur*.

TYNDARVS

Quin suom ipse interdum ignorat nomen, neque scit, qui siet.

HEGIO

Nam etiam te suom sodalem esse aibat.

TYNDARVS

Haud vidi magis!
Et quidem Alcmaeus atque Orestes et Lycurgus postea
Vna mi opera sunt sodales, qua iste.

ARISTOPHONTES

At etiam, furcifer,
Male mihi loqui audes? non te ego novi?

HEGIO

Pol planum id quidem est,
Non novisse, qui istum adpelles Tyndarum pro Philocrate.
Quem vides, ignoras; illum nominas, quem non vides.

ARISTOPHONTES

Imo iste eum sese ait, qui non est, esse; et, qui vero est, negat.

TYNDARVS

Tu enim repertus, Philocratem qui superes veriverbio!

ARISTOPHONTES

Pol, ego ut rem video, tu inventus, vera vanitudine
Qui convincas! Sed, quaeso hercle, agedum, adspice ad me!

483. *Nam etiam*) Ita G, quod exquisitius vulgato *At etiam*. — *Haud vidi magis.* Cf. Merc. 715 et quae laudat Parens in lexico h. v.

484. *Alcmaeus*) Ita V. C. et Langg.; Pall. et nostri, praeter G, *alcinous*, *alcuous*, *altionus*. Similiter *Dolum* Hic pro *Dolonem* dixit Pseud. 1240, et *Electri* pro *Electrionis* Amph. prol. 99, et *Tranium* pro *Tranionem* Most. 543, ut monet Dousa ad Pseudoli l. l.

486. *non ego te novi?* Vid. ad Amph. 362.

488. Vulg. durius eliso *eum* pronomine, quod salva sententia abesse potest, *Quem vides, eum ignoras.*

TYNDARVS

Hem!

ARISTOPHONTES

Dic modo:
Tyndarum esse negas?

TYNDARVS

Nego, inquam.

ARISTOPHONTES

Tun' te Philocratem esse ais?

TYNDARVS

Ego, inquam.

ARISTOPHONTES

Tune huiic credis?

HEGIO

Plus quidem, quam tibi aut mihi:
Nam ille quidem, quem tu esse hunc memoras, hodie hinc abiit Alidem
Ad patrem huius.

ARISTOPHONTES

Quem patrem, qui servos est?

TYNDARVS

Et tu quidem
Servos, et liber fuisti; et ego me confido fore,
Si huius huc reconciliasso in libertatem filium.

ARISTOPHONTES

Quid ais, furcifer? ten' gnatum te*te* memoras liberum?

493. Vulg. inconcinne, *Te negas Tyndarum esse?* Sed *te* servari potest, ubi hoc modo legitur: — — — AR. *Dic modo: te* (t. t.) *Tyndarum esse negas?* Posterior syllaba τοῦ *modo* producitur, sicut passim apud priscos: vid. ad Amph. 475. De singulis trochaicis t. acat., ad exprimendas gliscentes animorum perturbationes vel inter eiusmodi versus cat. vel etiam iambos t. usurpatis exposui ad Amph. 596.

494. *Ego* (ἐγὼ) non liquescit, quam figuram illustrare studui ad Amph. 341. De *Huiic* pro *Huic* posito vid. ibid. ad 128. Ista *Plus quidem quam tibi aut mihi* loquendi formula dicuntur alibi non usitata, sed simili illis, quae infra habes 544 et Aul. 259.

499. MSS., *Q. a. f.? tun' gnatum*

TYNDARVS

Non equidem me Liberum, sed Philocratem, esse aio quidem.

ARISTOPHONTES

Vt scelestus, Hegio, nunc is*te* te ludos facit!
Nam is est servos ipse, neque praeter eum quisquam eii fuit.

TYNDARVS

Quia tute ipse eges in patria, nec tibi, qui vivas, domi est,
Omnis inveniri similis tibi vis. Non mirum facis:
Miserorum est, ut malevolentes sint atque invideant bonis.

ARISTOPHONTES

Hegio, vide sis, ne quid tu huic temere insistas credere!
Atque, ut perspicio, profecto iam aliquid pugnae dedit:
Filium tuom quod se redimere ait, id ne utiquam mihi placet.

TYNDARVS

Scio, te id nolle fieri; ecficiam tamen ego id, si dî adiuvant:
Illum restituam huic, hic autem in Alidem me meo patri.

memoras esse liberum. Lege, *ten'gnatum.*

500. Vulg. *aio.* AR. *Quid est? Vt* etc., ubi quid sibi velint verba *Quid est?* aegre dicas. Sed saepius haec cum *Quidem* permutata, velut item Asin. 488. Acidalius Hegioni tribuebat, paulo quidem melius.

501. Libri imperfecto numero, *V. s. H. n. is te l. f.*, nec melius Dousa F., *V. s. Hegioni huic iste l. f.* Audiendus erat Gruterus.

502. Vulg. *Nam is est servus ipse, neque praeter se unquam ei servus fuit,* refragantibus MSS. et edd. vv., in quibus sic, *N. i. e. f. i. n. praeter eum quisquam ei s. s.*, unde non ita difficile fuit divinare manum Plauti, altero *servus* speciem glossematis prae se ferente nimis manifestam. Quod *eii* pro ei reposuimus, vid. ad Amph. 355.

506. *vide sis*) Formula cavere iubentis: cf. infra 564, 816 et quae loca laudat Pareus lexic. Plaut. h. v.

507. *dedit*) Ita Scioppius: nam vulgo, *edidit*, minus quidem ex usu Nostri et priscorum: vid. lexica.

Propterea ad patrem hinc amisi Tyndarum.

ARISTOPHONTES

Quin tute is es,
Neque praeter te in Alide nllus servos istoc nomine est.

TYNDARVS

Pergin', servom me exprobrare esse, id, quod vi hostili obtigit?

ARISTOPHONTES

Enim iam nequeo contineri.

TYNDARVS

Heus tu, audin', quid ait? quin fugis?
Iam illic hic nos insectabit lapidibus, nisi illunc iubes
Comprehendi.

ARISTOPHONTES

Crucior!

TYNDARVS

Ardent oculi: fune opus, Hegio!
Viden' tu, illi maculari corpus totum maculis luridis?
Atra bilis agitat hominem!

ARISTOPHONTES

At pol te, si hic sapiat senex,
Atra pix agitet apud carnuficem, tuoque capiti inluceat!

TYNDARVS

Iam deliramenta loquitur: larüae stimulant virum.

HEGIO.

Hercle quid, si hunc conprehendi iusserim?

TYNDARVS

Sapias magis.

514. Vulg. ex interpretatione et versu claudicante, *Enimvero iam n. c.* Argent., *Enim iam n.*, Iunt. Ald., *Sed enim iam n.* Vulg. quoque, *Heus audin', quid ait?* Sed Pall. et nostri codd. praeter G, item Argent., *heus tu, q. a.*, unde pronomen accessivi.

516. Vulgo impedito versu, *Fune opust*, H. Vid. Gruteri Suspicc. VI, 12.

519. *Atra pix*) Poena servorum. Vid. Lambin. ad h. l. et Rud. 669.

521. Vulg. inepte et versu ἀκεφάλῳ, *Quid?* quid si hunc comprehendi ius-

ARISTOPHONTES

Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae
Cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis!

TYNDARVS

Audin', lapidem quaeritare?

ARISTOPHONTES

Solus te solum volo,
Hegio.

HEGIO

Istinc loquere, si quid vis: procul tamen audiam.

TYNDARVS

Namque edepol si adbites propius, os denasabit tibi
Mordicus.

ARISTOPHONTES

Neque pol med insanum, Hegio, esse creduis,
Neque fuisse unquam, neque esse morbum, quem istic autumat;
Verum si quid metuis a me, iube me vinciri. Volo,
Dum istic itidem vinciatur.

TYNDARVS

Imo enimvero, Hegio,
Istic, qui volt, vinciatur.

ARISTOPHONTES

Tace modo! ego te, Philocrates
False, faciam, ut verus hodie reperiare Tyndarus!
Quid mi obnutas?

TYNDARVS

Tibi ego obnuto?

serim? Pall. Langg. nostri 3 et vett. edd., *Hercle quid* etc.

527. Quidam libri, in his Pal. 4 Iunt. Argent. Basil. Brix., *Mordicibus*, h. e. dentibus, inquit Pareus, qui confert Aul. 189. Vid. etiam Gruteri Suspicc. VI, 14.

533. *abnuto?*) Male vulgo voce nihili, *abnutas*. Legendum: *obnutas*, h. e. *adnutas*, usu *ob* praepositionis

HEGIO

Quid agat, si.....?

TYNDARVS

Absis longius!

HEGIO

Quid ais? quid, si adeam hunc insanum?

TYNDARVS

Nugas: ludificabitur;
Garriet, quoi neque pes unquam neque caput compareat.
Armenta absunt: Aiacem, hunc quom vides, ipsum vides. 536

pervulgato apud veteres Latinos, ut Festus auctor est. Et sic quidem dilucide H, quem contuli; G, *adnutas*, sicut statim idem liber, *annuo* pro *abnuto*, quod item fuerit initio, *obnuto*. Inepte autem libri: — *abnuto? quid agat, si absis longius?* quasi aliud agat insanus, si prope adstes, aliud, si longius abscesseris. Distinguendum, ut sero intelligo: — *abnuto?* HE. *Quid agat, si* .... (additurus erat, *si propius accedam?* quod prosiliens impedit Tyndarus, orationemque senis interpellat) TY. *Absis longius!*

534. *Nugas: ludif.*) Acidalii distinctionem recepi etc. *Nugas*, intellecto *egeris*, sicut Most. 1039, Pers. 710.

535. Vulgo soloece, *G. quod neque* etc. Vidit Acidalius. *Quoi* pro *cuius* figura Colophonia. G, *G. in quo neque* etc.

536. *Armenta adsient*) Vulgo nulla forma orationis, *Ornamenta absunt*, *Aiacem* etc., cui vitio medicaturus Acidalius Divv. in Ba. cap. 7, tentabat, *Armenta absunt; ceterum Aiacem* etc., Dousa Centur. cap. 19, *adsint*, Camer. *absint*. Iam Pall. et nostri H M, *Hortamenta*, «h. e. *inquit annotator in margine Palatini sexti*, flagella, quibus aurigae utuntur, quum equos hortantur. Aiax μαστιγοφόρος.» Cuius rei fides sit penes auctorem. Et fac, hoc valere vocem *hortamentum*, quid negotii Telamonis filio cum flagellis? In Hippolyto haec feram, in Aiace non fero. Apage igitur istud *Hortamenta*, potiusque vulgatum *Ornamenta* retineamus, nisi magis placeat veterum editionum, in his Mediol. Argent. Iunt., lectio *Armenta*, probata illa quidem Acidalio l. l. et Meursio Exerc. crit., qui sua laudat ad Lycophrontis illa: τοῦ λύσσαν ἐν ποίμναισιν αἰχματηρίαν Χἐαντος. Acidalius: « *Ornamenta*, inquit, nunc legunt, et arma clypeum vestitumque militarem interpretantur. Atqui vetus lectio est *Armenta*, quam asserere non dubitem e fabella, qua fertur Aiax Vlyssem in armentis persecutus atque ea occidisse, quum putaret ipsum, insanus ex ira, quod interemti Achillis arma sibi negata illa impetrasset. Huc respicitur aperte, atque assimilationis huius non occulta et apta causa: quod Aristophontes item insanus alium videre insimulabatur, quam revera quem videret. In Philocrate quippe falso verum Tyndarum videbat, vere tamen, haud

HEGIO

Nihili facio; tamen adibo.

TYNDARVS

Nunc ego omnino occidi!
Nunc inter sacrum saxumque ego sto, nec, quid faciam, scio!

HEGIO

Do tibi operam, Aristophontes, si quid est, quod me velis.

ARISTOPHONTES

Ex me audibis vera, quae nunc falsa opinare, Hegio.
Sed primum hoc med expurgare tibi volo, me insaniam
Neque tenere, neque mi esse ullum morbum, nisi quod servio.
At ita me rex deorum atque hominum faxit patriae compotem, ut
Istic Philocrates non magis est, quam aut ego, aut tu.

HEGIO

Eho, dic mihi,
Quis igitur illic est?

ARISTOPHONTES

Quem dudum dixi a principio tibi.
Hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi
Et parentum et libertatis apud te deliquio siet.

falso. Cuius elegantiam allusionis qui non intellexere nec fabulam scivere, corruperunt Plauti germanissimam hanc scripturam: *Armenta absunt: ceterum Aiacem, hunc cum vides, ipsum vides*. Ita igitur restitue, et *ceterum* vel in versus dimensione contrahe in disyllabum, vel ipsa scriptura *cetrum* repraesenta, quod alibi quoque memini nos factitasse ». Sic ille, cuius sententiae plane subscribo, quum ambigue dicantur ornamenta, h. e. vestimenta, abesse Tyndaro, ubi Aiacis sunt intelligenda, quod indicatum oportuit. Sed *ceterum* alienum.

538. Vulgo *Nunc ego inter* etc.

542. *Morbum* figurate dixit pro infortunio, sicut passim Graeci suum νόσος.

545. Vulgo minus facili metro, *Quis igitur ille est?* Vide tamen ad Amph. prol. 38. *Illic* V. C. et plerique Pall., item Langg. et noster G, qui sic, non male quidem, *Quis illic est igitur*. In nostra lectione proceleusma-

HEGIO

Quid tu ais?

TYNDARVS

Me tuom esse servom et te meum herum.

HEGIO

Haud istuc rogo.

Fuistin' liber?

TYNDARVS

Fui.

ARISTOPHONTES

Enimvero non fuit; nugas agit.

TYNDARVS

Qui tu scis? an tu fortasse fuisti meae matri obstetrix,
Qui id tam audacter dicere audes?

ARISTOPHONTES

Puerum te vidi puer.

TYNDARVS

Ast ego te video maior maiorem. Hem rursum tibi!
Meam rem ne cures, si recte facias. Num ego curo tuam?

HEGIO

Fuvitne huic pater Thesaurochryseonicocroesides?

ARISTOPHONTES

Non fuit, neque ego istuc nomen unquam audivi ante hunc diem;
Philocrati Theodoromedes fuit pater.

TYNDARVS

Pereo probe!
Quin quiescis? I dierectum, cor meum, ac suspende te!
Tu subsultas; ego miser vix adsto prae formidine.

ticus (*Quis igitur*) pro trochaeo est adhibitus. Vid. ad Amph. 357.

548. G, *Haud te istuc rogo.*

554. *Thesaurochrysonicochrysides.* Vid. supra ad 216. H, *Thesaurocrusonicocrisides*, M, *Thesaurocrisonicochrisides.* Caeterum vulg. inconcinne, *Fuitne.*

557. Vulg. manco numero, *Q. quiescis dierectum* etc. Correxit I. Guliel-

HEGIO

Satin' istuc mihi exquisitum est, fuisse hunc servom in Alide,
Neque esse hunc Philocratem?

ARISTOPHONTES

Tam satis, quam nunquam hoc invenies secus.
Sed ubi is nunc est?

HEGIO

Vbi ego minume. atque ipsus se volt maxume.
Tum igitur ego deruncinatus, deartuatus, sum miser
Huius scelesti technis, qui me, ut lubitum est, ductavit dolis!
Sed vide, sis!

ARISTOPHONTES

Quin exploratum dico et provisum hoc tibi.

HEGIO

Certon'?

ARISTOPHONTES

Quin nihil, inquam, invenies magis hoc certo certius.
Philocrates iam inde usque amicus fuit mihi a puero puer.

HEGIO

Sed qua facie est tuos sodalis Philocrates?

ARISTOPHONTES

Dicam tibi:
Macilento ore, naso acuto, corpore albo, oculis nigris,
Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

HEGIO

Convenit.

TYNDARVS

Vt quidem hercle in medium ego hodie pessume processerim!

mius Quaest. in Capt. cap. 3. Vulgo quoque: — *meum ᵇi. ac s. te*, invitis quidem MSS. et vett. edd.

564. *dico*) M, *dicto*, G, *video*.

568. V. impingente versu: — *albo et oculis n.* Copulas addere est librarior,

Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur
meo!

HEGIO

Verba mihi data esse video.

TYNDARVS

Quid cessatis, conpedes,
Currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos custo-
diam?

HEGIO

Satin' med illi hodie scelesti capti ceperunt dolo?
Illic servom se adsimulabat, hic sese autem liberum.
Nuculeum amisi; reliquit pignori putamina:
Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere obfuciis.
Hic quidem me nunquam inridebit. Colaphe, Cordalio,
Corax,
Ite istinc! ecferte lora!

LORARIVS

Num lignatum mittimur?

HEGIO. TYNDARVS. ARISTOPHONTES.

HEGIO

Iniicite actutum manicas huic mastigiae! i.s. III, 5

TYNDARVS

Quid hoc est negotî? quidnam ego deliqui?

HEGIO

Rogas,

571. *morientur*, h. e. frangentur. Simile Aristophanis, quod ad h. l. laudatur. Simile etiam illud eiusdem Acharn. 356, edit. Inveruizz.: Ὀλίγου τ'ἀπέθανον ἄνθρακες Παρνήσιοι.

576. *Nuculeum* forma prisca V. C. Pall. Langg., quomodo est etiam Curc. 55. Vulgo quoque, *pigneri*, sicut *temperi*, sed invitis V. C. et vett. edd.

577. *obfuciis*) Ita Langg. Vulgo *offuciis*.

579. Vulg. *efferte*, scriptura sequiore. H, *hec ferte*, M, *hec fertem*, h. e. *ecferte*. Vid. ad Asin. 24.

580. Verbum *actutum*, quod vulgo

Sator sartorque scelerum et messor maxume?

TYNDARVS

Non occatorem dicere audebas prius?
Nam semper occant rustici, quam sarriunt,
Prius.

HEGIO

At ut confidenter mihi contra adstitit!

TYNDARVS

Decet innocentem servom atque innoxium
Confidentem esse suom apud herum potissumum.

HEGIO

Adstringite isti, sultis, vehementer manus!

TYNDARVS

Tuos sum: tu quidem has vel praecidi iube!
Sed quid hoc negotî est, quamobrem suscenses mihi?

HEGIO

Quia me meamque rem, quod in te uno fuit,
Tuis scelestis falsidicis fallaciis
Delaceravisti, deartuavistique opes.
Confecisti omnis res ac rationes meas:
Ita mi exemisti Philocratem fallaciis.

abest cum versus iniuria, comparet in Argent. Brix. Iunt. Ald.

584 sqq. Vulg. nullis numeris, *Nam semper occant prius quam sarriunt rustici.* HE. *At ut confidenter mihi contra astitit!* Verbum *Prius* transpositum librarii non concoquerunt.

589. *Tuos sum*) Vid. ad Amph. 401. Vulgo autem, refragantibus Pall. MSS. Gifanii apud Scioppium Susp. Lect. V, 11 et Is. Pontani, item 3 nostris, *T. s.*, *tuas quidem v. p. i.*, pro qua lectione propugnat Taubmannus, ut qui sciat scilicet, Comicum nostrum frequenter iocum ex ambiguo et παρὰ προσδοκίαν sic captare. Facit id quidem Plautus, et interdum non suo loco, sed semper tamen in personis vilibus seu servorum seu lenonum seu parasitorum, a quibus abhorret loco honesto nati Tyndari, et nusquam in tanta animi commotione, qualis hic pingitur.

590. Τὸ *hoc* reperi in G, quumque ex usu Nostri et Comicorum esse intelligerem, repudiandum non duxi, praesertim quum consulto deletum videretur a nescio quo, metrum huius versus laborare perperam arbitrato, quod quidem sartum tectum est, ubi vocalis in *quid* eliditur, sicut passim fieri demonstravi ad Amph. prol. 74.

Illum esse servom credidi, te liberum:
Ita vosmet aiebatis, itaque nomina
Inter vos permutastis.

TYNDARVS

Fateor, omnia
Facta esse ita, ut tu dicis, et fallaciis
Abiisse eum abs te mea opera atque astutia.
An, obsecro hercle te, id nunc suscenses mihi?

HEGIO

At cum cruciatu maxumo id factum est tuo.

TYNDARVS

Dum ne ob malefacta peream, parvi existumo.
Si ego hic peribo, atque ille, ut dixit, non redit:
At erit mi hoc factum mortuo memorabile,
Herum meum captum ex servitute atque hostibus
Reducem fecisse liberum in patriam ad patrem,
Meumque potius me caput periculo
Praeoptavisse, quam is periret, ponere.

HEGIO

Facito ergo, ut Acherunti clueas gloria!

TYNDARVS

Qui per virtutem perbitat, non interit.

603. Vulgo *parvi aestimo*; numero imperfecto, nisi, obsecutus Gulielmio Quaestt. in Capt. cap. 1, reponas, *parvid*. Sed G, *extumo*, M, *extimo*, h. e. nisi fallor, *existumo*: et sic potius rescripsi, quum praesertim verba *aestimare* et *existimare* passim inter se permutata esse constet. Gulielmii quidem commentum se tuetur illis, quae dixi ad Amph. prol. 149. Fuit, quum legendum putarem *perbitem* vel *perbitam* pro *peream*, quem glossatoris foetum existimabam: cf. 611.

604 sqq. Vulg. putide, *Si ego hic peribo, ast ille, ut dixit, non redit*: *At erit* etc. H, *as ille*.

606. *Meum herum me captum*) Transpositione verborum expeditur locus, ut legatur, *Herum meum captum* etc., qua ratione etiam vox gravis *Herum* sub ictu ponitur; nam alioqui τὸ *meum* ἀνεκθλίπτως pronuntiandum esse dicas: vid. ad Amph. 341.

611. *perbitat*) Ita Camerarius et I. Scaliger ex Nonio, ut misceri solent coniugationes verborum apud veteres: vid. ad Aul. 109—112. Vulg. *peritat*;

HEGIO

Quando ego te exemplis excruciasso pessumis,
Atque ob sutelas tuas te morti misero,
Vel te interisse, vel perisse praedicent!
Dum pereas, nihil interduo, dicant vivere!

TYNDARVS

Pol si istuc faxis, haud sine poena feceris,
Si ille huc redibit, sicut confido adfore.

ARISTOPHONTES

Proh dî inmortales! nunc ego teneo, nunc scio, hoc
Quid hoc sit negotî: meus sodalis Philocrates
In libertate est ad patrem in patria. Bene est,
Neque est mihi quisquam, aeque melius quoi velim.
Sed hoc mihi aegre est, me huic dedisse operam malam,
Qui nunc propter me meaque verba vinctus est.

HEGIO

Vetuin', te quidquam mi hodie falsum proloquì?

TYNDARVS

Vetuisti.

HEGIO

Cur es ausus mentiri mihi?

TYNDARVS

Quia vera obessent illi, quoi operam dabam;

G *periit*, utrumque ex interpretatione. *Perbitere* quidem pro *perire* in usu fuisse apud priscos, etiam Festus auctor est, et usurpavit verbum Plautus Pseud. 780, Rud. 399; sed h. l. agitur primae verbum declinationis *Perbitare*, ad quam faciem *Interbitem* dictum, ut videtur Acidalio, Truc. 672, et *Fodare* pro *Fodere* veteribus, auctore Festo. *Perbitare* item Livius Andronicus apud Nonium p. 654 ed. Mercer. *Bitere*, *Abiterè*, *Adbitere*, *Rebitere* passim Comicus: vid. Parei lexic. Plaut. hh. vv., Epid. 395, Rud. 681.

612. Vulg. ex interpretatione numeroque horridiore, *excruciavero*. Iambum quidem senarium duobus dactylis cum cretico finitum in toto Plauto non invenias. II M et velt. edd., *pessumis excruciavero*.

613. Notanda formula loquendi *Morti misero* pro *Ad mortem misero*. Sic Maro, *It clamor coelo*.

626. Tò *quoi* non liquescit, sed vo-

Nunc falsa prosunt.

HEGIO

At tibi oberunt.

TYNDARVS

Optumum est!
At herum servavi, quem servatum gaudeo,
Quoi custodem addiderat me herus maior meus.
Sed malene id arbitrare factum?

HEGIO

Pessume.

TYNDARVS

At ego aio Recte, qui abs te seorsum sentio:
Nam cogitato: si quis hoc gnato tuo
Tuos servos faxit, qualem haberes gratiam?
Emitteresne, necne, eum servom manu?
Essetne apud te is servos acceptissumus?
Responde.

HEGIO

Opinor.

TYNDARVS

Cur ego iratus mihi es?

HEGIO

Quia illi fuisti, quam mihi, fidelior.

TYNDARVS

Haud esse repentinas amicitias *decet*.
Quid? tu una nocte postulavisti et die
Recens captum hominem et nuperum et novitium

sali sequente corripitur: vid. ad Amph. modo l. l.

627. *Optumum est*) Ita H et velt. edd. Vulgo *Optume est*, quod et ipsum ferri potest.

629. Vulg. minus probo numero, *Q. me c. a. h. m. m.*

638. Hunc versum e codice olim Helmstadiensi, cuius usus liberaliter mihi permissus erat, arcessivi, quum neque indignus Plauto esset in genere, neque ineptus ei, quem ipsi assignavi, loco videretur. Leguntur autem in eo codice versu 640 post *nuperum*, tanquam supra alicubi omissa, haec: *haud repentinas esse oportet amicitias*; et subscriptum: *neque veteres idcirco*. Quoniam et absque his satis bene se habebat responsum Tyndari, factum reor ut omitterentur.

Te perdocere, ut melius consulerem tibi,
Quam illi, quicum una a puero aetatem exegeram?

HEGIO

Ergo ab eo petito gratiam istam! — Ducite,
Vbi ponderosas crassas capiat compedes.
Inde ibis porro in latomias lapidarias.
Ibi quom alii octonos lapides ecfodiunt, nisi
Cotidianus sesquiopus confeceris,
Sexcentoplago nomen indetur tibi!

ARISTOPHONTES

Per deos atque homines ego te obtestor, Hegio,
Ne tu istunc hominem perduis!

HEGIO

Curabitur:
Nam noctu nervo vinctus custodibitur;
Interdiu sub terra lapides eximet.
Diu ego hunc cruciabo; non uno absolvam die.

ARISTOPHONTES

Certumne tibi istuc?

HEGIO

Non moriri certiust.
Abducite istum actutum ad Hippolytum fabrum:
Iubete huic crassas conpedes inpignier!
Inde extra portam ad meum libertum Cordalum
In lapicidinas facite deductus siet;
Atque hunc ita velle dicite me curarier,
Ne quid deterius huic sit, quam quoi pessume est.

TYNDARVS

Cur ego te invito salvom me esse postulem?

646. *ecfoderint*) Ita edd. sequiores, in quam sententiam a se ipso, ni fallor, excogitatum illud *effodint*, quod nunc libros occupat, interpretabatur, sed praeter analogiam, Camerarius. Libri vett., tam scripti quam impressi, unanime *effodiunt*.

652. *Interdiu*) Sic Pall. et nostri H M, item vett. edd. Vulgo *Interdius*.

Periclum vitae meae tuo stat periculo.
Post mortem in morte nihil est, quod metuam, mali;
Et si pervivo usque ad summam aetatem, tamen
Breve spatium est perferundi, quae minitas mihi.
Vale atque salve; etsi, aliter ut dicam, meres.
Tu, Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale:
Nam mihi propter te hoc obtigit.

ARISTOPHONTES

Oh!

HEGIO

Abducite!

TYNDARVS

At unum hoc quaeso, si huc rebitet Philocrates,
Vt mi eius facias conveniundi copiam.

HEGIO

Peristis, nisi iam hunc e conspectu abducitis!

TYNDARVS

Vis haec quidem hercle est, et trahi et trudi simul.

HEGIO

Illic est abductus recta in phylacam, ut dignus est.
Ego illis captivis aliis documentum dabo,
Ne tale quisquam facinus incipere audeat:
Quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam,
Vsque obfrenatum suis me ductarent dolis.
Nunc certum est nulli post haec quidquam credere:
Satis sum semel deceptus. Speravi miser,
Ex servitute me exemisse filium;
Ea spes elapsa est. Perdidi unum filium
Puerum quadrimum, quem mihi servos surpuit:

678. *Oh*) Hoc vulgo non legitur. Solus M, quod sciam: — *obtigit o. hc. abducite.*

679. *Vnum hoc te quaeso*) *Te* pronomen exhibent vett. edd., in his Iunt.; sed malim nunc vulgatam lectionem, quam recepi.

681. *Peristis*) Ita H, magis quidem ex usu Nostri et priscorum. Vulgo *Periistis*.

688. G, *posthac*, quod non deterius.

Neque eum servom unquam reperi, neque filium;
Maior potitus hostium est. Quod hoc est scelus?
Quasi in orbitatem liberos produxerim!
Sequere hac: reducam te, ubi fuisti. Neminis
Misereri certum est, quia mei miseret neminem.

ARISTOPHONTES

Exauspicavi ex vinclis; nunc intellego
Redauspicandum esse in catenas denuo.

ERGASILVS

Iupiter supreme, servas me measque auges opes!
t. t. c. IV, 1
Maxumas opimitates opiparasque obfers mihi;
Laudem, lucrum, ludum, iocum, festivitatem, ferias,
Pompam, penum, potationes, saturitatem, gaudium;
Sine sacris hereditatem sum aptus ecfertissumam;
Nec quoiquam homini supplicare me nunc est certum mihi:
Nam vel prodesse amico possum, vel inimicum perdere:
i. t.
Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies!
Nunc ad senem cursum capessam hunc Hegionem, quoi boni

693. *eum*) Sic H M. Vulgo minus recte, *enim*, siquidem non propterea scilicet filium suum alterum senex perdidisse dicendus est, quod neque eum neque servum raptorem reperit; sed perditus esse filius neque visus a patre postea, non magis quam servus, recte dicitur.

694. G, lapsu proclivi, *Quid h. e. s.*

702 sqq. Iambi t. acat., quos rursus excipiunt 2 trochaici t. c.

704. *Sine sacris hereditatem*) H. e. bonum absque incommodo et molestia. Cf. Trin. 451. Proverbium. Vulg. autem hic versus post 707 inculcatur, ineptiore quidem loco, quum satis intelligatur, *laudem*, *lucrum*, *ludum*, *iocum* et quae similia homo,

Tantum adfero, quantum ipsus a dîs optat, atque etiam amplius.
Nunc certa res est: eodem pacto, ut Comici servi solent,
Coniciam in collum pallium: primo ex med hanc rem ut audiat;
Speroque me ob hunc nuntium aeternum adepturum cibum.

HEGIO. ERGASILVS.

HEGIO

Quanto in pectore hanc meo magis rem voluto, b. t.
Tanto mi aegritudo auctior est in animo, IV, 2
Ad illunc modum sublitum os esse mi hodie;
Neque perspicere quivi. b. d.
Quod quom scibitur, per urbem inridebor; b. d. et i. h.
Quom extemplo ad forum advenero, omnes loquentur:
Hic ille est senex doctus, quoi verba data sunt!

quasi partes esse istius hereditatis, quam se adeptum gloriatur.

709. Vulg. inconcinne, *ipse a diis.* Vel legendum *ipsus*, vel *divis. Dis* fere MSS. ex usu Comicorum et veterum.

711. *Coniciam*) Ita V. C. et 5 Pall. neque geminare olim solebant literas.

712. *Me* monosyllabum, sub ictu positum, non magis eliditur, quam *nuntium*; vid. ad Amph. 149, 341, 116.

713. *hanc meo magis rem*) Ita 3 nostri, compositione elegantiore, quam in vulgatis, quae, *hanc rem meo magis.*

714. *auctior*) V. ad Amph. prol. 38.

716. Vulg. *Neque id perspicere potui*, eliso *e* priore in *Neque*: vid. ad Amph. prol. 74.

717. *Q. q. s., inrid. per urbem*) Vulg. *Q. c. s., per urbem irrid.*, non male usurpato asynarteto illo, qui constat b. d. et i. h., de quo monui ad Amph. 422. Hanc si rationem ineas, *per* praepositio, si alteram, quam haud invitus nunc repudio, τοῦ *scibitur* postrema syllaba, ante vocalem producitur: vid. item ad Amph. prol. 38. Cf. 720.

719. *doctus*) Ita Dousa Centur. cap. 19, aliique, quomodo Pers. 589 legatur: *Vide, sis, ille ego doctus leno pene in foveam decidi*: et idem esse ducere et verba dare. Vulg. autem, *ductus.*

Sed Ergasilus estne hic, procul quem video? as.
Conlecto quidem est pallio. Quidnam acturust?

ERGASILVS

Move abs te moram, atque, Ergasile, age hanc rem. as. ex b. t. et t.
Eminor interminorque, ne qui obstiterit mi obviam, t. t. c.
Nisi qui sat diu vixisse sese homo arbitrabitur:
Nam qui obstiterit, ore sistet.

HEGIO

Hic homo pugilatum incipit.

ERGASILVS

Facere certum est. Proinde ut omnes itinera insistant sua,
Nec quis in hanc plateam negotî conferat quidquam sui:
Nam meus est balista pugnus, cubitus catapulta est mihi,
Humerus aries; tum genu ut quemque icero, ad terram dabo;
Dentilegos omnis mortalis faciam, quemque obfendero.

HEGIO

Quae illaec eminatio est nam? nequeo mirari satis.

723. *Eminŏr*) Vid. ad Amph. prol. 38. Vulg. autem inconcinne, *ne quis mi obst. obv.* Bentleius ad Terent. Heaut. prol. 31: *Eminor, interminor, ne* etc. In G *mi* omissum est, non male. Nec spreverim huiusmodi t. t. acat.: *Eminor interminorque, ne quis obviam mi obstiterit.* Vide, quae nos ad Aoph. 596. Trochaïcum eiusmodi catal., sibi quidem notiorem, saepius alteri substituerunt scribae et recensores, velut item mox 732.

727. Vulg. minus bene, *Ne quis.*

729. Vulg. *tum genu ad quemque iecero, ad t. d.* Sed absurdum istud iecero nonnisi in V. C. et Pall. 5 visebatur, qui libri etiam ex interpretatione ille *quemcumque*, hic *aliquemcumque* pro *quemque* exhibebant, ceteris Palatinis et nostris H M *quem* pro eodem praeferentibus. Ceterum reliqui Pall., *iero*, sed vett. edd. *icero*, et Iunt. Ald., *ut quemque icero*, utrumque recte, siquidem non *icere* ad aliquem, sed *icere* aliquem dicitur.

731. *Q. i. e. est? nam*) Malim cum Acidalio, *Quae illaec eminatio est nam?* more Plauti, saepe *nam* particulam traiicientis, velut, monente Acidalio, Aul. 96, 379, Epid. 272, ubi vulgo *iam* pro *nam* legitur, Pers. 312: quibus addas licet Most. 252, aliaque eiusmodi loca passim se prae-

ERGASILVS

Qui mi in cursu obstiterit, faxo vitae is extemplo obstiterit sae!
Faciam, ut huius die locique meique semper meminerit!

HEGIO

Quid hic homo tantum incipissit facere cum tantis minis?

ERGASILVS

Prius edico, ne quis propter culpam capiatur suam:
Continete vos domi! prohibete a vobis vim meam!

HEGIO

Mira edepol sunt, ni hic in ventrem sumsit confidentiam.
Vae misero illi, cuius cibo iste factus est inpensior!

ERGASILVS

Tum pistores scrophipasci, furfuri qui alunt sues,
Quarum odore praeterire nemo pistrinum potest,
Eorum si quoiusquam scropham in publico conspexero,
Ipsis ex dominis meis pugnis exculcabo furfures!

HEGIO

Basilicas edictiones atque imperiosas habet:

bentia. Quamquam neque *Nam* principio sententiae positum sua caret elegantia. Vid. Trin. 608.

732. *Qui mihi obst.*) Vulg. obscuro metro, *Qui mihi in cursu obstiterit, faxo vitae is extemplo obstiterit suae.* Qui versum babuere pro trochaico t. cat., inquinatum eum nescio quo glossemate dum arbitrantur, alii aliud omisere, scriptores librorum Helmstadiensis, et Monachiensis, quos continli, item edd. Argent. Iunt., *extemplo*, quod tam ex usu Plauti est quam quod maxime, nos ipsi verba *in cursu*, quae quidem sane non absimilia interpretamento, sed genuina tamen sunt, neque dubium est, quin hic quoque, sicut orationis suae basilicae principio, trochaicum plenum parasitus usurpaverit, ut sic legatur: *Qui mi in cursu obstiterit, faxo vitae is extemplo obstiterit sae.* *Sae*, h. e. suae, quomodo *Sus*, *Sa*, *Sum*, pro *Suus*, *Sua Suum* veteres dixisse, Festus auctor est. Verbum *extemplo* vocali sequente retrahit accentum.

738. *inpensior*) H. e. *gravior*, quod valet etiam *propensior* Ba. 479 (fere autem iam apud Hunc, nedum sequiores, figurate dicitur, velut Ba. 359). Vulg. invitis fere omnibus MSS. et vett. edd. sententiaque subabsurda, *imperiosior.*

739. *qui alunt furfuri sues*) Bene sic pro metri ratione Vossius, nec multo deterius, nisi quod in thesi latitare sinit graviorem vocem *furfuri*, Camerarius, *qui al. furfuri s.* «Fur-

Satur homo est; habet profecto in ventre confidentiam.

ERGASILVS

Tum piscatores, qui praebent populo piscis foetidos.
Qui advehuntur quadrupedanti crucianti canterio,
Quorum odos subbasilicanos omnis abigit in forum:
Eis ego ora verberabo sirpiclis piscariis:
Vt sciant, alieno naso quam exhibeant molestiam.
Tum lanii autem, qui concinnant liberis orbas ovis,
Qui locant caedundos agnos, et duplo agninam danunt,
Qui petroni nomen indunt verveci sectario;
Eum ego si in via petronem publica conspexero,
Et petronem et dominum reddam mortalis miserrumos.

HEGIO

Euge, edictiones aedilitias hic habet quidem;
Mirumque adeo est, ni sibi fecere hunc Aetoli agoranomum.

ERGASILVS

Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior,
Tantus ventri conmeatus meo adest in portu cibus.
Sed ego cesso hunc Hegionem onerare laetitia senem,
Qui homine *hominum* adaeque nemo vivit fortunatior?

furi, inquit vir optimus, sicut parti miscetur in una in Ciceronis versu, mutato *e* in *i* longum». Vid. supra ad prol. 15.

751. Absurde libri, *et duplam agninam darunt*: quod qui ita interpretantur ut dicant, carnem agninam frequentiorem esse vervecina apud laniones, et duplo plures agnos caedi quam *verveces*, maximas nugas agunt, praesertim quum mox addunt, agninam esse cariorem, quod fieri non potest, si est frequentior. Imo agnina caro sicut apud nos, ita etiam apud veteres in cibis delicatioribus fuit, quod vel ex versu 782 colligas: propterea-que id duplo tanto, quanto vervecinam, vendere eam dicuntur h. l. lanii.

757. Reges etiam dominos vocabant parasiti, quo fortasse respexit Ergasilus: vid. Parei lexic. Plaut. v. *Rex*, nos ad Terentii Phorm. 304.

760. Vulg. versu septenario, *Qui homine adaeque n. v. f.* G H et edd. Argent. Iunt. Ald., *hominum*, M, *hominem*. Bene Camerarius, *Qui homine hominum adaeque* etc. Sed monitum oportuit de additamento. Caeterum Langg. ex interpretatione, *Quo homine*, Iunt. Ald. soloece, *Quoi homine*.

HEGIO

Quae illaec est laetitia, quam illic laetus largitur mihi?

ERGASILVS

Heus, ubi estis? *ecquis* hic est? ecquis hoc aperit ostium?

HEGIO

Hic homo ad coenam recipit se ad med.

ERGASILVS

Aperite hasce ambas foris,
Priusquam pultando assulatim foribus exitium adfero!

HEGIO

Perlubet hunc hominem conloqui. Ergasile!

ERGASILVS

Ergasilum qui vocat? i. t.

HEGIO

Respice.

ERGASILVS

Fortuna quod tibi nec facit nec faciet, as. ex 2 an.

762. Versum supplevi ex simili, qui est Amph. 855: nam vulg., versum versu farcientes itaque ambo pessumdantes, sic legunt: ER. *Heus, ubi estis? ecquis hoc aperit ostium?* HE. *hic homo Ad coenam recipit se ad me.* ER. *aperite hasce ambas fores;* nec iuvat vel reponi secundum Argent. Iunt. Ald. *Heus, heus, u. e.? e. h. mihi* (ita et Langg.) *a. o.*, vel auctore Pareo, *ubi estis vos?* Versum priorem vocabulo *ostium* recte finiunt V. C. edd. Mediol. Argent. Verbis *ecquis hic est?* offecisse videntur, quae sequuntur, persimilia *ecquis hoc.*

764. Vulg. frigida sententia temereque mutato metro, etiam invitis vett. edd., in his principe, cui vel antiquissimum Camerarii codicem posthabendum existimant viri docti, sicut monui ad Asin. 632, sic legitur: *Priusquam pultando vel assulatim foribus exitium adfero.* Recte Taubmannus, « *Vel* illud natum a correctoribus, qui indicare volebant, legi vel *assulatim* vel *assultatim* ». *Assultatim* enim fere codd., in his, si qua Pareo fides, V. C. et Pall. praeter 4, (sed in iis quidem, observante Taubmanno, a manu aliena) item nostri H et M. G non male, *exitium dabo*, quomodo dare malum et similia dicuntur.

765. Bene se habet vulgatus verborum ordo hic: HE. *Perlubet hunc hominem colloqui. Ergasile* etc. Vox *colloqui* sequente vocali non liquescit, quem locum tractavi ad Amph. 341.

766–68. Exposui de hoc genere me-

Hoc me iubes? — Sed qui est?

HEGIO

Respice ad med: Hegio sum.

ERGASILVS

Oh,

Quantum est hominum optumorum optume, in tempore advenis! gall.

HEGIO

Nescio quem ad portum nactus es, ubi coenes: eo fastidis.

ERGASILVS t. t.

Cedo manum!

HEGIO

Manum?

ERGASILVS

Manum, inquam, cedo tuam actutum!

HEGIO

Tene. t. t. c.

ERGASILVS

Gaude!

HEGIO

Quid ego gaudeam?

ERGASILVS

Quia ego impero. Age, gaude modo!

HEGIO

Pol moerores mi antevortunt gaudiis.

ERGASILVS

Nolo ita siet!

tri ad Amph. scen. supposit. *Di vostram* 16—18. *Sed quis est* repereram in H et M, quod cretico quidem convenit, asynarteto anacreonteo non convenit. De *med* pro *me* reposito metri gratia vid. ad Amph. prol. 149. Vulg. *Oh mihi quantum* etc.; sed aberat pronomen Palatinis. Caeterum hos versus olim in quatuor digesseram.

773. *Nolo ita siet*) Hoc vicinum vulgato *Noli irascier*, quomodo item *ira* pro *ita* legitur Cas. 506, ut facillime quidem fieri potuit in tanta olim *t* et *r* literarum vicinitate, et haec et similia *scies*, *sciet*, *irritascis* (Amph. 298, ubi sic plerique Pall.) pro *sies*, *siet*, *irritassis*, passim exarata deprehenduntur in MSS. Acidalius aut

Iam ego ex corpore exigam omnis maculas moerorum tibi!
Gaude audacter!

HEGIO

Gaudeo, etsi nil scio, quod gaudeam.

ERGASILVS

Bene facis. Iube...

HEGIO

Quid iubeam?

ERGASILVS

Ignem ingentem fieri.

HEGIO

Ignem ingentem?

ERGASILVS

Ita dico: magnus ut sit.

HEGIO

Quid, volturi? me
Tuan' causa aedis incensurum censes?

ERGASILVS

Noli irascier.
Iuben', an non iubes, adstitui aulas, patinas elui,

delenda haec censebat, tanquam petita ex 787, aut legendum fortasse, *non ita est: scies.* Vid. etiam ad 777, 779.

774. *exigam*, quomodo, admonente Taubmanno, Suetonius Octav. cap. 94: *et statim in corpore eius exstitisse maculam, velut depicti draconis, nec potuisse unquam exigi.* Langg. *exuam* unde Gulielmus Verisimilium 3, 3, tanquam certissimum, faciebat *eluam.* «Eluuntur, *inquit*, proprie e veste maculae: inde ad animum transtulit etiam Poenulo (70 sq): *Inest amoris macula huic homini in pectore, Sine magno damno quae elui ne utiquam potest*».

776. *Bene facis*) Formula gratiam agentis. Cf. Terent. Eun. 141: ubi interpres vetus: «In consuetudinem, *inquit*, venit, *Bene facis* et *Bene fecisti* non indicantis esse, sed gratias agentis».

777. Vulg. *Quid? me, volturie, Tuan'* etc. Sed fere MSS., etiam nostri G M, *volt uri*, sicut itidem vett. edd.; H, *volt uti*, quod eodem redit: vid. ad 773. *Volturie* versui refragatur, quod pro glossemate adscriptum puto. *Volturi* a Plauto dictum, ut *fili*, *geni*.

779. *aulas adstitui*) Ita G et Argent.; sed etiam, quod vulgo legitur, *adstitui aulas*, excusari potest iis,

Laridum atque epulas foveri foviculis ferventibus,
Alium piscis praestinatum abire...

HEGIO

Hic vigilans somniat.

ERGASILVS

Alium porcinam atque agninam et pullos gallinaceos....

HEGIO

Scis bene esse, si sit unde.

ERGASILVS

Pernas atque ophthalmiam,
Horaeum, scombrum et trugonem et cetum et mollem caseum?

HEGIO

Nominandi istorum tibi erit mage quam edundi copia
Hic apud me, Ergasile.

ERGASILVS

Mean' me causa hoc censes dicere?

HEGIO

Nec nil hodie hic, nec multo plus tu edes (ne frustra sies):
Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me adferas.

ERGASILVS

Quin ita faciam, ut tute cupias facere sumtum, etsi ego vetem.

quae protuli ad Amphit. vs. 341.

783. Nihil opus metri gratia reponi *pernam*, quod itidem fieri potest ut non liquescat, sed legendum e G nostro *ophthalmiam*, non *ophthalmia*, ut vulg., siquidem vox est primae declinationis.

784. Vulg. scabro numero, *Horeum*, *scombrum*. Polysyndetum ioci causa usurpasse h. l. videtur Comicus, et omitti potuit copula post *Horaeum*, sicut post *trugonem* deficiebat in Langg. *Trugonem* autem prisca scribendi ratione legn pro *trygonem*, quia graeca vox est τρύγων. Iunt. Ald. et Meursii codex, *trygona*.

787. Vulg. pessime modulato versu, *N. n. hodie n. m. p. tu hic edes*, *ne frustrā sis* etc.

789. Vulg. minus facili numero nec sententia aeque bona, *Q. i. f.*, *ut te cupias f. s.*, e. e. v. G, *ut te tute cu-*

HEGIO

Egone?

ERGASILVS

Tu nae.

HEGIO

Tum tu mi igitur herus es.

ERGASILVS

Imo bene volens.

Vin' te faciam fortunatum?

HEGIO

Malim, quam miserum quidem.

ERGASILVS

Cedo manum!

HEGIO

Hem manum!

ERGASILVS

Dî te omnes adiuvant!

HEGIO

Nil sentio.

ERGASILVS

Non enim es in senticeto: eo non sentis. Sed iube
Vasa tibi pura adpararier ad rem divinam cito,
Atque agnum adferri propere unum pinguem.

HEGIO

Cur?

ERGASILVS

Vt sacrufices.

pias. *Tute*, tu ipse; quamquam et pro *Tu* passim *Tute* Hic usurpat. Vett. edd., *recipias*. Vid. ad 773.

790. *Tute*) Male vulg. editoribus obtemperaveram, *Tute* exhibentibus. *Tune* propemodum omnes scripti etiam nostri, si a Guelferbytano discesseris; Palatinus autem 3, dilucide, *tu nae*. Hoc verum. Cf. Most. 918, Stich. 604, Trin. 601.

794. *adpararier*) Ita Camerarius, nec male, nisi quod fortasse verbi vocalis extrema longa non eliditur: vid. ad Amph. 341, *adparari*.

795. Male libri, *A. a. afferri proprium pinguem* etc. Peior Pii Bononiensis interpretatio haec: « *Proprium*. Id est *tuum*: nam aliena diis immolare nefas. Vel sacris accommodum: ut habeat scil. omnia insignia

HEGIO

Quoi deorum?

ERGASILVS

Mi hercle: nam ego tibi sum nunc summus Iupiter;
Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gaudium.
Proin tu divom hunc saturitate facias tranquillum tibi.

HEGIO

Esurire mihi videre.

ERGASILVS

Mihi quidem esurio, non tibi.

HEGIO

Tuo arbitratu; facile patior.

ERGASILVS

Credo: consuetus puer.

HEGIO

Iupiter te dîque perdant!

ERGASILVS

Te hercle mi aequom est gratias
Agere ob nuntium: tantum ego nunc porto a portu tibi boni.
Nunc tu mihi places!

HEGIO

Abi, stultus: sero post tempus venis.

hostiae necessariam. Tò *propere* in hoc latere sensit Scaliger; sed id hiantem versum destituit. Reposuimus igitur, *propere unum*, quomodo passim ex abundanti *unus* additur, praesertim apud priscos. Vid. Amph. 532, Most. 656, 663, Stich. 512, et quae Pareus lexic. Plaut. h. v.

796. Vulg. *nam e. t. nunc sum s. I.* Secutus eram H M, Mediol. Argent.; sed iam praestare mihi videtur Guelferbytanae lectio membranae haec: *ego tibi sum nunc summus I.*, qua recepta ὁμοιοφώνων *sum* et *summus* concursos ingratior vitatur.

797. Male M, *laet. et gaud.*

798. Vulg. inconcinne, *Proinde tu deum huncce sat.* etc. MSS. et vett. edd. fere, *hunc*, quo arcessito restituitur quidem metrum, sed vox *deum* ingrate eliditur atque in thesi occultatur. Quum igitur M nostrum et vett. edd., velut Mediol. Argent. Iunt., praeferre viderem *Proin*, non dubitavi *divom* reponere, quo et alibi Hic utitur: vid. ad Ba. 593.

799. *equidem*) Ita vett. edd.; sed non deterius vulgatum *quidem*.

ERGASILVS

Igitur olim si advenissem, mage tu tum istuc diceres;
Nunc hanc laetitiam accipe a me, quam fero: nam filium
Tuom modo in portu Philopolemum vivom salvom et sospitem
Vidi in publica celoce, ibidemque illum adulescentulum
Alium una, et tuom Stalagmum servom, qui aufugit domo,
Qui tibi subripuit quadrimum puerum filiolum tuom.

HEGIO

Abi in malam rem! ludis me!

ERGASILVS

Ita me amabit sancta Saturitas, i. t.
Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine,
Vt ego vidi. . . t. t. c.

HEGIO

Gnatum meum?

ERGASILVS

Tuom gnatum et genium meum.

HEGIO

Et captivom illum Alidensem?

ERGASILVS

Μὰ τὸν Ἀπόλλω!

HEGIO

Et servolum
Meum Stalagmum, meum qui gnatum surpuit. . . . ?

ERGASILVS

Νὴ τὰν Κόραν!

804. Oxymorum. Semper autem sero advenire ad Hegionem sibi videtur parasitus, ubi eius filius non adest.

810. Iambus t. hic est versus, sequens rursus t. t. c.

812. *Meumne gnatum?*) Vulgo hiante versu, *Vt ego vidi*. HE. *Meum gnatum?* Malim nunc quidem, *Gnatum meum?* vel, *Ne* (h. e. *An*) *meum gnatum?* anastrophe Huic et veteribus satis usitata: vid. Par. lexic. Mantiss. v. Anastrophe et Metathesis. N et H, item *n* et *h*, literae tam similes in MSS., ut saepe vix dignos-

HEGIO

Iam diu?

ERGASILVS

Νὴ τὰν Πραινέστην!

HEGIO

Venit?

ERGASILVS

Νὴ τὰν Σιγνίαν!

HEGIO

Certon'?

ERGASILVS

Νὴ τὰν φρυσινῶνα!

HEGIO

Vide sis!

ERGASILVS

Νὴ τὰλάτριον!

HEGIO

Quid tu per barbaricas urbis iuras?

ERGASILVS

Quia enim item asperae,
Vt tuom victum autumabas esse.

HEGIO

Vae aetati tuae!

ERGASILVS

Quippe quando mihi nil credis, quod ego dico sedulo.
Sed Stalagmus quoius erat tunc nationis, quom hinc abit?

HEGIO

Siculus.

ERGASILVS

At nunc Siculus non est: Boius est; boiam terit:

scantur, cuius rei documentum insigne dabo ad Trin. 786. Fieri igitur facillime potuit, ut τὸ *Ne* a simili, quae antecedit, personae nota interciperetur. Et hoc profecto verum.

818. *Vae aetati tuae*) H. e. vitae tuae, tibi. Non infrequens apud Hunc genus exsecrationis. Cf. Stich. 555,

Liberorum quaerundorum causa ei, credo, uxor data est.

HEGIO

Dic: bonan' fide tu mi istaec verba dixisti?

ERGASILVS

Bona.

HEGIO

Dî inmortales! iterum gnatus videor, si vera autumas.

ERGASILVS

An tu dubium habebis, etiam sancte quom ego iurem tibi?
Postremo, Hegio, si parva iuriiurando est fides,
Vise ad portum.

HEGIO

Facere certum est. Tu intus cura, quod opust.
Sume, posce, prome quidvis: te facio cellarium.

ERGASILVS

Nam hercule, nisi manticulatus probe ero, fusti pectito!

HEGIO

Aeternum tibi dapinato victum, si vera autumas!

827. *quod opust*) Ita Pareus, tanquam ex MSS., edidit, quomodo et Argent., h. e. quo opus est: vid. ad Amph. prol. 149. Vulg. minus modulato versu, *quod opus est.*

829. *Nam hercle, nisi si manticulatus*) Ita sensu perspicuo et faceto Brix. Argent. Iunt. Ald. Sed V. C. et Pall. 1, 4, *mantiscinatus*, quo vergit etiam Pal. 6, Laugg., *mantissinatus*, quae merae mihi videntur depravationes Gallorum more pronunciati *manticinatus*, quod reliqui fere libri exhibent. Atqui hoc ipsum quam sit vicinum a nobis positae lectioni *manticulatus*, unusquisque videt, neque audiendus Gruterus, qui inciviliter carpit Colvium ita legentem, cui etiam Acidalius suffragatur Div. in Epid. cap. 3, laudatque in eam rem Festum verbo *Manticulis*, ubi sic: «*Manticularum* usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro seculo fuit: unde *manticulari* dicebantur, qui furandi gratia manticulas attrectabant». Malim autem nunc propius scripturam librorum veterem: *Nam hercule nisi manticulatus* etc.

830. Absurde vulgo *dapinabo*: nam si se homini cibum praebiturum promittit h. l. Hegio, quid opus addere, *a me meoque gnato*, quae per se intelliguntur? Imo ioci causa sibi ipsum parasitum *dapinare* victum de suo ipsius filiique iubet. *Dapinato* Argent. Iunt. Ald.

ERGASILVS

Vnde id?

HEGIO

A me meoque gnato.

ERGASILVS

Sponden' tu istuc?

HEGIO

Spondeo.

ERGASILVS

At ego, tuom tibi advenisse filium, respondeo.

HEGIO

Cura, quam optume potes.

ERGASILVS

Bene ambula et redambula!
Ille hinc abiit; mihi rem summam credidit cibariam.
Dî inmortales, ut ego collos iam praetruncabo tergoribus!
t. t.
Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! t. t. c.
Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!
Nam alia si memorem, quae ad ventris victum conducunt, mora est.
Nunc ibo ad *meam* praefecturam, ius ut dicam larido,
Et, quae pendent indemnatae, pernis auxilium ut feram.

840. Tò *meam* praebet Pall. 5 et Argent. Vulgo cum iniuria versus abest. Similiter Cas. 11: *Quin ruri es in praefectura tua?* et ibid. 22, *Rure inculcabo usque in praefectura mea*; et 15, *ubi dierectus tuam in provinciam.* Caeterum vulgus codicum: *N. i. ut p. et ius d. l.*, *Et quae* etc., ingrate repetita *et* coniunctione, quae passim pro *ut* scripta deprehenditur in codd. velut G Cas. 43. Cf. Cist. 94, 201.

841. Vulg. *E. q. p. i. pernae, eis a. u. f.* Sed melius Pall. Lang. G et M, quamquam hic a 2 m., item vett. edd., *pernis a. u. f.* Tò *ut* abest Pall. Argent. Iunt. Ald.

PVER HEGIONIS

Diespiter te dîque, Ergasile, perdant et ventrem tuom, i. t. V, 1
Parasitosque omnis, et qui posthac coenam parasitis dabit!
Clades, calamitas, intemperies modo in nostram advenit domum.
Quasi lupus esuriens, metuvi, ne in me faceret impetum;
Nimisque hercle ego illum male formidabam: ita frendebat dentibus.
Adveniens deturbavit totum cum carni carnarium;
Arripuit gladium, praetruncavit tribus tergoribus glandia;
Aulas calicesque omnis confregit, nisi quae modiales erant;
Cocum percontabat, possentne seriae fervescere;
Cellas refregit omnis intus, reclusitque armarium.
Adservate istunc, sultis, servi! ego ibo, ut conveniam senem:
Dicam, aliud ut penum sibi adornet, siquidem sese uti volet:
Nam in hoc, ut hic quidem adornat, aut iam nihil est, aut iam nihil erit.

844 sqq. Vulgo nulla metri forma: *Clades calamitasque intemperies modo in nostram advenit domum. Quasi lupus esuriens, metui ne in me faceret impetum.* Amat Hic in magnis affectibus asyndetum: vid. supra ad 336. *Modo* pro monosyllabo est: vid. ad Amph. prol. 74.

847. Inconcinne libri, *carne*. Vid. ad fabulae prol. 15.

850. Vulg. ex interpretatione pessime quidem deproperato verbo *Cocum*: *Cocum percontabatur*. Multa priscis activa, quae serioribus deponentia: vid. Priscian. l. VIII, p. 799 sqq. Putsch. et lexica.

853 sqq. Putide Priscian. l. V, p. 659: *Dicam seni, curet sibi aliud penus*. Lang. *adornet*, quum vulgo legatur *ornet*, et sequente versu imperfecto quidem numero, nisi et *Nam* et *Quidem* non elidantur, quod duriusculum (vid. tamen ad Amph. 341), hoc modo: *Nam hic quidem ut*

HEGIO. PHILOPOLEMVS. PHILOCRATES. STALAGMVS.

HEGIO

Iovi dìsque ago gratias merito magnas, b. t. V, 2.
Quom te reducem tuo patri reddiderunt,
Quomque ex miseriis plurimis me exemerunt,
Quae adhuc, te carens dum hic fui, sustentabam;
Quomque hunc conspicio in potestate nostra;
Quomque haec reperta est fides firma nobis!

PHILOPOLEMVS

Satis iam dolui ex animo, et cura me satis et lacrumis maceravi hoc;
Satis iam audivi tuas aerumnas, ad portum quas mihi memorasti.
Hoc agamus.

PHILOCRATES

Quid nunc, quoniam tecum servavi fidem, t. t c.
Tibique hunc reducem in libertatem feci?

HEGIO

Fecisti, ut tibi,

adornat, *aut iam nihil est*, *aut iam nihil erit*. Vbi Iunt. Ald., *Nam in hoc, ut hic quidem ad.* etc. Etiam Argent., *Nam in hoc hic quidem* etc. M, *ornat.*

858. *Quas, dum te carens hic fui s.*) Ferri potest vulgata lectio a me recepta. Relativa non semper congruere suis nominibus, mouui ad Aul. 725, neque insolens, praesertim apud priscos, coniugationis usus periphrasticae: vid. ad Amph. 761. Vtroque tamen offensus Acidalius reponebat: *Quas dum te carendum hic fuit, sust.*

859 sqq. Novum h. l. genus versuum asynartetorum usurpavit Plautus, qui constant iambo hypercatalecto et baccheo dimetro.

861 sqq. Hi quoque asynarteti, sed ex illis, qui t. d. et i. d. h. continentur, de quibus dixi ad Bacch. 1160. — *hoc*, propter hoc: vid. Parei lexic. Plaut. h. v. Male idem ex Pal. 2: — *maceravi hic.* Vulg. sic distinguitur: — *maceravi. Hoc! satis* etc. quae ratio quid sibi velit, non intelligo.

862. *mihi quas*) Haec verba transponenda sunt, vel legendum *memo-*

Philocrates, nunquam referre gratiam possim satis,
Proinde ut tu promeritus de me et filiod.

PHILOPOLEMVS

Imo potes,
Pater, et poteris, et ego potero, et dî eam potestatem dabunt,
Vt beneficium benemerenti nostro merito muneres,
Sicut tu huic potes, pater mi, facere merito maxume.

HEGIO

Quid opus verbis? lingua nulla est, qua negem, quidquid roges.

PHILOCRATES

Postulo abs te, ut mi illunc reddas servom, quem hic reliqueram
Pignus pro me, qui mihi melior, quam sibi, semper fuit,
Pro benefactis eius ut ei pretium possim reddere.

HEGIO

Quod benefecisti, referetur gratia: id, quod postulas,
Et id et aliud, quod me orabis, impetrabis; atque te
Nolim suscensere, quod ego iratus ei feci male.

PHILOCRATES

Quid fecisti?

HEGIO

In lapicidinas conpeditum condidi,
Vbi rescivi, mihi data esse verba.

PHILOCRATES

Vae misero mihi!
Propter meum caput labores homini evenisse optumo!

HEGIO

At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis:

ravisti. — *ad portum*. H et M, *apud portum*. Fere ad hunc modum autem haec dividuntur in MSS. et vett. edd.

867. Camerarius praeter libros, — *filio meo*. PH. *I. p.* Lege, — *filiod*. PH. *I. p.* Vid. ad Amph. prolog. 149.

880. *meum caput*, h. e. me: vid. supra ad 84.

881. Tò *pro* non liquescit: vid. ad Amph. 149.

Gratiis a me, ut sit liber, abduc.

PHILOCRATES

Edepol, Hegio,
Facis benigne! Sed quaeso, hominem ut iubeas arcessi.

HEGIO

Licet.
Vbi vos estis? Ite actutum: Tyndarum huc arcessite.
Vos ite intro. Interibi ego ex hac statua verberea volo
Erogitare meo minore quid sit factum filio.
Vos lavate interibi.

PHILOPOLEMVS

Sequere hac, Philocrates, me intro.

PHILOCRATES

Sequor.

HEGIO

Age, tu illic procede, bone vir, lepidum mancupium meum!

STALAGMVS

Quid me facere oportet, ubi tu, talis vir, falsum autumas?
Fui ego bellus, lepidus, bonus vir, nunquam, neque frugi bonae,
Neque ero unquam: nae tu spem ponas, me bonae frugi fore.

HEGIO

Propemodum, ubi loci fortunae tuae sint, facile intellegis: t. t. c.

882. Inconcinne libri, *Gratis a me, ut sit liber, abducito.* Argent. male, *Gratis hunc a me.*

885. *Vos ite*) H, *Vsite.* An, *Visite?*

891. *ne in spe tu ponas*) Legendum, si quid sentio, *nae tu spem ponas.* — *me bonae frugi fore.* Verba haec ταυτολόγα ex antecedentibus petita et pro interpretamento hic adscripta mihi videbantur, needum poenitet suspicionis. Caeterum inepte vulgo libri, *ne tu spem deponas*, h. e. perdas, contrario sensu ac qui hic requiritur. Peius etiam Pall., *neque spem ponas.* Acidalius secundum nescio quem librum veterem, *ne tu in spe ponas*, ad quam faciem in spem referre aliquid dicatur Epid. 330.

Recte et vere loquere. Sed neque vere tu, neque recte, adhuc
Fecisti unquam.

STALAGMVS

Quod ego fatear, credin' pudeat, quom autumes?

HEGIO

At ego faciam ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo!

STALAGMVS

Heia, credo ego, inperito plagas minitaris mihi!
Tandem ista aufer, dice, quid fers, ut feras hinc quod petis.

HEGIO

Satis facundus! sed iam fieri dictis volo conpendium.

STALAGMVS

Vt vis, fiat.

HEGIO

Bene morigerus fuisti puer; nunc non decet.
Hoc agamus. Iam animum advorte, ac mihi, quae dicam, edissere.
Verax si eris, tuam rem facies ex mala meliusculam.

STALAGMVS

Nugae istaec sunt: non me censes scire, quid dignus siem?

HEGIO

At ea subterfugere potis es pauca, si non omnia.

STALAGMVS

Pauca ecfugiam, scio: nam multa evenient, et merito meo,

897. *dice*) Vulgo *dicque:* sed a codd. abest copula. De asyndeto vid. supra ad 336.

898. *fieri dicta compendi volo*) Vulg. inconciune minusque ex usu Nostri, *fieri dictis compendium volo.* Malim tamen nunc verbis tantummodo transpositis, *fieri dictis volo compendium.*

899. *Vt vis, fiat*) *Facere* et *fieri* in obscoenis esse, monet pluribusque exsequitur ad h. l. Acidalius in Divinationibus. Vulg. quoque *fuit*, quod item servari potest, ubi seorsim dicta haec ab Hegione accipiuntur.

901. Vulg. soloece et manco numero, *Si eris verax, tuis rebus feceris*

Quia et fugi, et tibi subripui filium et eum vendidi.

HEGIO

Quoi homini?

STALAGMVS

Theodoromedi in Alide Polyplusio Sex minis.

HEGIO

Proh dî inmortales! is quidem est huius pater Philocratis.

STALAGMVS

Quin melius novi, quam tu, et vidi saepius.

HEGIO

Serva, Iupiter supreme, et med et meum gnatum mihi!
Philocrates, per tuom te genium *ego* obsecro, exi! te volo!

PHILOCRATES. HEGIO. STALAGMVS.

PHILOCRATES

Hegio, adsum: si quid me vis, impera.

HEGIO

Hic gnatum meum t. t. c. V, 3
Tuo patri ait se vendidisse sex minis in Alide.

PHILOCRATES

Quam diu id factum est?

STALAGMVS

Hic annus incipit vicesimus.

PHILOCRATES

Falsa memorat.

STALAGMVS

Aut ego, aut tu: nam tibi quadrimulum

meliusculas. Bene Pal. 4 supra lineam, *e tuis rebus*, quomodo edidit Camerarius. Hoc probo, nisi quod potius rescripserim *tuis e rebus*.

910. Male vulgo *ingenium*. *Genium*, quod sententia ipsa flagitat, Pall. 3, 4, G, H et vett. edd. In M quoque nostro puncto subter notatum prius i

Tuos pater peculiarem parvolum puero dedit.

PHILOCRATES

Quod erat ei nomen, si vera dicis, memoradum mihi.

STALAGMVS

Paegnium vocitatust; post vos indidistis Tyndaro.

PHILOCRATES

Cur ego te non novi?

STALAGMVS

Quia mos oblivisci est hominibus,
Neque novisse, quoius nihili sit faciunda gratia.

PHILOCRATES

Dic mihi: isne istic fuit, quem vendidisti meo patri,
Qui mihi peculiaris datus est, huius filius?

HEGIO

Vivitne is homo?

STALAGMVS

Argentum accepi; nil curavi ceterum

HEGIO

Quid tu ais?

PHILOCRATES

Quin istic ipsust Tyndarus tuos filius,
Vt quidem argumenta hic loquitur: nam is mecum a puero puer
Bene pudiceque educatust usque ad adulescentiam.

HEGIO

Et miser sum et fortunatus, si vos vera dicitis:
Eo miser sum, quia male illi feci, si gnatus meust.
Heu, heu, quom ego plus minusve feci, quamde aequom fuit!

in *ingenium*, tanquam inducendum. Vid. Bentleius ad Terent. Andr. I, 5, 54. ubi similiter peccatum.

916. Vulg. non infrequenti soloecismo, *Quid erat ei nomen*. Sequimur 3 codices nostros et veteres editiones.

924. Vulg. *Vt quidem hic argum. loq.*, eliso *quidem*. Vid. ad Amph. prol. 74.

928. *Eheu*) Repone, *Heu, heu*,

Quod male feci, crucior modo, si infectum fieri possiet.
Sed eccum incedit huc, ornatus haud ex suis virtutibus.

TYNDARVS. HEGIO. PHILOCRATES. STALAGMVS.

TYNDARVS

Vidi ego multa saepe picta, quae Acheruuti fierent,
t. t. c. V, 4
Cruciamenta; verum enimvero nulla adaeque est Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapicidinis. Inibi demum est locus, ubi
Lassitudo omnis labore est exigunda ex corpore.
Nam ubi illo adveni, quasi patriciis pueris aut monedulae,
Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent:
Itidem haec advenienti mi upupa, qui me delectem, data est...
Sed herus eccum ante ostium, et herus alter eccum ex Alide
Rediit.

HEGIO

Salve, exoptate gnate mi!

TYNDARVS

Hem, quid? Gnate mi?

sicut vel legitur in libris vel legendum est etiam absque iis, ubicunque spondeo opus est: nam *Eheu* iambus: vid. Pseud. 79 sqq. Burmann. et I. H. Voss. ad Virgilii Eclog. II, 58. Vulg. quoque, *cur ego plus* etc., sed invitis propemodum omnibus MSS. et edd. vett.

933. *Illi*) Libri *Illic ibi*. Lege, *Inibi*, quo et alibi Hic utitur, velut Pers. 125. Vulg. quoque durioribus numeris: — — — *locus*, *Ubi labore lassitudo omnist* (vel *est omnis*, sicut plerique codd.) *exigunda ex corpore*.

936. *coturnices*) Huc respexisse Dousae Centuriouat. cap. 20 extremo videtur Imperator M. Antoniu., quum scribit: Καὶ τὸ ὀρτυγοτροφεῖν, μηδὲ περὶ τὰ τοιαῦτα ἐπτοῆσθαι. Quo etiam referri possiut ea, quae de filio Reguli in Epistolis commemorat Plinius.

937. *qui me delectem*) Ita Pal. 1 et noster G, sicut legere suaserunt Lam-

Attat, scio, cur patrem adsimules ted esse, et me filium:
Quia mi, item ut parentes, lucis das tuendae copiam. 941

PHILOCRATES

Salve, Tyndare!

TYNDARVS

Et tu, quoius causa hanc aerumnam exigo.

PHILOCRATES

At nunc liber in divitias faxo venies: nam tibi
Pater hic est; hic servos, qui te huic hinc quadrimum surpuit,
Vendidit patri meo te sex minis; is te mihi 945
Parvolum peculiarem parvolo puero dedit.
Ille indicium fecit: nam hunc ex Alide huc reduximus.

TYNDARVS

Quid? huius filium?

PHILOCRATES

Intus eccum fratrem germanum tuom!

TYNDARVS

Quid ais tute? adduxtin' illunc huius captivom filium?

PHILOCRATES

Quin, inquam, intus hic est.

TYNDARVS

Fecisti edepol et recte et bene!

PHILOCRATES

Nunc tibi pater hic est; hic fur est tuos, qui parvom hinc te abstulit. 951

binus atque Dousa; 4 quoque Pal., *delectem*, 6 *delecter*, ex interpretatione, ut opinor. Vulg. soloece, *qui me delectet*, quod initio fuerit *q. m. delecter*, literis *r* et *t* facillime inter se permutandis, quia vox *upupa* est tribr.

945. *Vendiditque* perperam Pareus, asyndetum haud concoquens, quod ut passim ab Hoc, ita h. l. aptissime usurpatur ad significandam actionis celeritatem.

947. *reducimus*) Malim secundum Pall. et G, *reduximus*. Alii MSS., in his M, *adduximus*.

948. *Q.? me h. f.?*) Legendum, ut vulgo, *Quid? huius filium?* h. e. *Quid? h. f. reduxistis.* Iambus hic t. acat.

949. Vulg. *Quid tu ais?* non liquescente *tu* pronomine: v. ad Amph. 341.

951. *Nunc*) H. e. igitur, sicut passim, velut Ba. 73.

TYNDARVS

At ego hunc grandis grandem natu ob furtum ad carnuficem dabo.

PHILOCRATES

Meritus est.

TYNDARVS

Ergo edepol *merito* meritam mercedem dabo.
Sed dic, oro: pater meus tun' es?

HEGIO

Ego sum, gnate mi.

TYNDARVS

Edepol demum in memoriam nunc regredior, quom cogito,
Quasi per nebulam, Hegionem patrem meum vocarier.

HEGIO

Is ego sum.

PHILOCRATES

Conpedibus quaeso ut levior tibi sit filius,
Atque hic gravior servos.

HEGIO

Certum est, principium id praevortier.
Eamus intro, ut arcessatur faber: ut istas conpedes

953. Vulg. abest *merito*, corruente versu.

955. Loco huius versus vulgo duo leguntur huiuscemodi: *Nunc demum in memoriam redeo, cum cogito, Nunc edepol demum in memoriam regredior, audisse me Quasi* etc. Quorum prior abest G, qui posteriore, *demum mecum in mem.* Facile intelligitur, turbasse h. l. glossatores, neque dubium esse potest, quin τὸ *redeo* lectiori *regredior* appinxerint isti et ex abundanti addiderint, *audisse me*, cuius in locum succedat opus est *cum cogito*, quod tam ex usu Comici, quam quod maxime (cf. Curc. 578, Stich. 426): nam vulgatum quidem *quom mecum cogito*, etsi item Nostro familiare, nec versus fert, et vagans h. l. suspicionem movet interpolationis.

956. Duplici ratione expediri versus potest, ut vel *nebulam* non elidatur, quam figuram illustravi ad Amph. 341, vel *Quasi* habeatur pro spondeo, sicut legitur Cas. 680, Merc. 944, Poen. 704, 745, Stich. 526, Clitellariae fragmento 8, ubi male Acidalius: *Non quasi si, ut haec sunt hic limaces lividae* etc. quod ne latinum quidem; item Terent. Phorm. 376.

Tibi adimam, huic dem.

STALAGMVS

Quoi peculî nihil est, recte feceris.

CATERVA

Spectatores, ad pudicos mores facta haec fabula est:
t. t. c.
Neque in hac subagitationes sunt, neque ulla amatio;
Nec pueri suppositio, neque argenti circumductio;
Neque, ubi amans adulescens scortum liberet clam suom patrem.
Huiusmodi paucas poëtae reperiunt comoedias,
Vbi boni meliores fiant. Nunc vos, si vobis placet,
Et si placuimus, neque odio fuimus, signum hoc mittite:
Qui pudicitiae esse voltis praemium, plausum date.

963. Durus versus, quem libri praeferunt, sed ferendus tamen. Vel corripitur extrema syllaba in *suppositio*, vel, quod malim, *neque* eliditur, quem locum tracto ad Amph. prol. 74.

INDEX SPECIALIS

VOLVMINIS PRIMI

Typographus ad Lectorem	pag.	v
Praefatio Frid. Henr. BOTHE	»	1
COMOEDIAE: Amphitruo	»	17
Asinaria	»	151
Aulularia	»	241
Bacchides	»	329
Captivi	»	437

Corrigenda in nonnullis exemplaribus

Pag. 31 in not. ad vs. 91, pro *missum* lege *omissum*.
» 257 vs. 122, pro *dapsilis* lege *dapsilas*